This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

48. 100.

M. TVLLI CICERONIS

ORATIO

DE IMPERIO GNEI POMPEI.

COMMENTARIO CRITICO INSTRVXIT

ET

ADNOTATIONIBVS SVPERIORVM INTERPRETVM

SVISQVE EXPLANAVIT

CAROLVS HALM.

LIPSIAE, MDCCCXLVIII.

PROSTAT IN LIBRARIA C. F. KOEHLERI.

(AD. WINTER.)

BIBLIOTHECA BODLEIANA

PRAEFATIO.

Cum post editas orationes, quae in Vatinium et pro Caecina inscribuntur, librarii honestissimi rationes flagitarent, ut oratio, quae in scholis lectitari solet, vulgaretur, omnium pervagatissimam, Pompeianam, sumere constitui, cum simul ostendere vellem, quid consilii in illis orationibus sequerer, ad quas amplus recentioris interpretis commentarius exstat. Ita enim Beneckei cura usus sum, ut quae ille a prioribus sumpsit, ea fontibus ipsis denuo aditis aequo iure in meum usum converterem, sed longas disputationes, quibus hodie facile carere possis, resecarem; quae autem ipse nova adiecit, ita adhiberem, ut editioni suum pretium relinqueretur. In meo autem commentario nova quaedam mihi afferre licuit ex schedis Garatonianis, de quibus in Actis litterariis Monacensibus, quae inscribuntur *Gelehrte Anzeigen*, in num. 35 sqq. huius anni exposui. Restat ut viris doctis, qui novis codicum collationibus

me instruxerunt, quantas maximas possum gratias publice agam, C. T. Zumptio, qui collationem codicis Berolinensis a se ipso factam mihi donavit, fratribus Mommseniis, quorum Theodorus collationem fragmenti Tegernseensis Ravennae in meum usum descripsit, Tycho autem collationem codicis Perusini, apographa Garatoniana codicisque Palatini noni specimina mihi subministravit, Carolo denique Prienio, qui totam orationem ad fidem eiusdem Palatini contulit lectionesque diligentissime exscriptas Roma mihi dono misit. Sed est cur doleam, quod sero eam collationem accepi, cum iam oratio ipsa typis exscripta erat, ut tantum in commentario, ubi operae pretium videbatur, lectiones huius codicis optimi afferre potuerim.

Hadamari in ducatu Nassoviano
IV. Cal. April. a. 1848.

Carolus Halm.

ERRATA.

Pag. 5. l. 10. pro „revertunt" leg. „revertuntur."
– 13. l. 12. ab inf. pro „de" leg. „the."
– 25. l. 6. et p. 124. l. 14. pro „duo" leg. „duae."
– 111. l. 17. pro „Th." leg. „T."
– 115. l. 11. pro 24. leg. 21.
– 117. l. 19. pro I, 2. leg. II, 1.
– 151. l. 12. leg. „metonymiam."
– 156. l. 8. pro „unum" leg. „unus."
– 166. l. 10. ab inf. pro „*cetera*" leg. „*ceterae*."
– 183. l. 20. pro 16. leg. 6.
– 189. l. 21. leg. „Latonae."

M. TVLLII CICERONIS

ORATIO

DE

IMPERIO CN. POMPEI.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE REBUS A CN. POMPEIO GESTIS, ANTEQUAM BELLO MITHRIDATICO PRAEFICERETUR*).

Cn. Pompeius, Cn. filius cognomine Magnus, natus a. 106. a. Chr. C. Atilio Serrano Q. Servilio Caepione coss., sumpta toga virili, bello sociali militiae tirocinia posuit in exercitu patris Cn. Pompeii Strabonis [1]), qui consul a. 89. Asculo capto de Picentibus triumphavit et a. 88. proconsul Vestinos et Pelignos in deditionem accepit. Bellum acerrimum nondum profligatum erat [2]), cum Pompeius Strabo, qui etiamtum proconsul cum imperio erat, a. 87. Romam cum exercitu suo a senatu arcessitus est, quam a Cinna adventante defenderet [3]),

*) Cf. praeter vitam Pompeii a Drumanno in Hist. Rom. Vol. IV. p. 324 sqq. conscriptam duo programmata sic inscripta: A. H. J. Vrillowski, Geschichte Pompejus des Grofsen. Rastenburg 1838 et 1843. 4. In altera commentatione (36 pagg.), quae sola mihi ad manus erat, vita eius usque ad finem a. 67. a. Chr. deducta est.

1) Cic. §. 28. Vell. Pat. II, 29, 5. *Hic a toga virili assuetus commilitio prudentissimi ducis, parentis sui, bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia excoluerat* etc. In Tac. Ann. XIII, 6. (*imperatori quantum ad robur deesse, cum XVIII. aetatis anno Cn. Pompeius, XIX. Caesar Octavianus civilia bella sustinuerint?*) dubites bellumne sociale an Cinnanum intelligendum sit: equidem Cinnanum, quamquam temporis ratio non accurate constat, propter verbum *sustinendi* significari puto; in eo enim Pompeius iam et miles erat et suis se viribus confidere posse ostendit. Ceterum v. de Cn. Pompeio Strabone Niebuhr's Vorles. über Roem. Gesch. II. p. 352 sq. et p. 365 sq. — 2) v. Kiene, *der Roem. Bundesgenossenkrieg* p. 295 sq. — 3) v. eundem l. c. p. 296 sq.

quo in tumultu Pompeius filius miles in exercitu patris[4]) iam egregium virtutis specimen edidit, cum seditione militum exorta suam patrisque vitam animi constantia servaret.

Sub adventum in Italiam L. Sullae eius partes secutus adolescentulus XXIII annorum privato consilio et sumptu ex reliquiis exercitus paterni in agro Piceno firmum contraxit exercitum eumque tribus legionibus confectis et cum M. Bruto re bene gesta ad Sullam adduxit[5]), a quo honorifice exceptus et imperator salutatus est[6]). Bello autem civili in Italia finito ob strenuam operam, quam Sullae navaverat[7]), ab eo electus est, qui reliquias belli extra Italiam conficeret. Ac primum quidem a. 82. in Siciliam missus est contra Cn. Papirium Carbonem, qui audito Pompeii adventu ex Sicilia, in quam cum multis claris viris ex Africa redierat, in insulam Cossyram aufugit, sed per emissarios Pompeii retractus et catenatus ad eum deductus est. Is reliquos ne in conspectum quidem admissos occidi iubet, Carbonem ante pedes suos in vinculis destitutum gravi oratione in contione increpans capitis condemnat, caputque interfecti ad Sullam mittit[8]). His suppliciis sumptis omnis motus in Sicilia compressus resque sine terrore belli compositae sunt[9]). Haec dum in Sicilia geruntur, litteris senatus

---

4) Plut. Pomp. 3. Dio Cass. 36, 8. *ἢ οὐ μέμνησθε, ὅσα μὲν ἐν τῷ πρὸς Κίνναν πολέμῳ ἐτάλαιπώρησα, καί τοι κομιδῇ νέος ὤν;* Cic. §. 28. *qui extrema pueritia miles in exercitu fuit summi imperatoris.* Iam Manutius monuit hic patrem Pompeii, non Sullam intelligi; ducem enim, non militem Pompeium filium ad Sullam profectum esse; v. Beneck. p. 192. Drum. IV. p. 327. not. 72. Accedit quod veri superlatio nimia foret, si vicesimus tertius aetatis annus *extrema pueritia* vocaretur: nam etiam si Pompeii Strabonis exercitus intelligitur, orator aut tempora confudisse aut rei augendae causa eum, qui iam XVII. aetatis annum egressus esset (v. Aul. Gell. X, 28.), etiam puerum nominasse putandus est, quod idem fecit in or. p. Balbo 4, 9. Quare, ut historiae sua fides magis constet, fortasse statuendum est tempus illud *militiae*, de quo Cicero loquitur, ad totum tempus referendum esse, quo Pompeius Strabo proconsul in Piceno exercitui praeerat, donec Romam profectus est. — 5) Vell. Pat. II, 29, 1. Dionis fragm. Peir. 133. Vol. I. p. 120. Sturz. Kiene l. c. p. 330 sq. Cic. §. 28. — 6) Plut. Pomp. 8. *ὡς εἶδεν αὐτὸν ὁ Σύλλας προσιόντα καὶ τὴν στρατιὰν παρεστῶσαν εὐανδρίᾳ τε θαυμαστὴν καὶ διὰ τὰς κατορθώσεις ἐπηρμένην καὶ ἱλαράν, ἀποπηδήσας τοῦ ἵππου καὶ προσαγορευθεὶς, ὡς εἰκὸς, αὐτοκράτωρ ἀντιπροσηγόρευσεν αὐτοκράτορα τὸν Πομπήϊον, οὐδενὸς ἂν προσδοκήσαντος ἀνδρὶ νέῳ καὶ μηδέπω βουλῆς μετέχοντι κοινώσασθαι τοῦνομα τοῦτο Σύλλαν, περὶ οὗ Σκηπίωσι καὶ Μαρίοις ἐπολέμει.* — 7) v. Nieb. Vorles. II. p. 397. — 8) App. B. Civ. I, 96. — 9) Cic. §. 30. *Testis est Sicilia, quam ... consilii celeritate explicavit.* Recte dicit Drumann IV. p. 330. hoc non debuisse ab oratore in virtutis imperatoriae documentis afferri, et multo

et Sullae in Africam navigare et bellum cum Cn. Domitio Ahenobarbo, Cinnae genero, eiusque socio Hiarba Numidiae rege gerere iussus est [10]). Pugna ad Uticam commissa Domitius fugatus atque occisus, victor a militibus imperator salutatus est [11]). Inde in Numidiam irruptione facta totoque bello quadraginta diebus confecto litteras a Sulla accepit, quibus ceteris legionibus dimissis, quas quinque in Africam traiecerat, cum una successorem Uticae exspectare iubebatur. Cum ipse ignominiam tacitus ferret, exercitus eius palam indignabatur; iamque res ad seditionem processerat, cum Pompeius iuravit se sibi manus illaturum, si cogere perseverarent. Sic tandem aegre ad officium revertunt. In Italia interim rumor increbuerat Pompeium defecisse, iamque Sulla fortunam suam lamentari coeperat, qua sibi necesse esset cum pueris belligerare; sed re ut erat gesta cognita etiam permisit, ut rogatione lata Pompeius cum exercitu rediret [12]), atque ipse adventanti obviam progressus manu porrecta Magnum [13]) magna voce appellavit. Triumphum tamen petenti adversatus est, quod nemini nisi consuli aut praetori triumphare per leges liceret [14]). Sed iam tum Pompeius prae se tulit, quantum populi gratia etiam contra dictatoris voluntatem conficeret; dicere enim ausus est, solem orientem plures quam occidentem adorare solere, significans, quod Sulla denegasset, id se sperare populi beneficio sibi concessum iri. Hoc dicto ad Sullam perlato obstupefactus bis exclamavit: *Triumphato* [15]). Sic eques Romanus, id quod nemini ante eum obtigerat, ex Africa de rege Hiarba [16]) a. 81. triumphavit.

---

minus temperantiam (quamquam Cic. hanc ipsam non nominavit) laudari, qua Pompeius post crudelissima illa supplicia in Sicilia componenda usus sit; v. §. 62. *fuit in his provinciis* (Sicilia et Africa) *singulari innocentia, gravitate, virtute.* Scilicet appellavit *gravitatem*, quae crudelitas inhumana erat. — 10) Plut. c. 11 sqq. Zonaras 10, 2. — 11) Cic. §. 30. *Testis est Africa, quae ... sanguine redundavit.* Plut. 12. ὡσάμενοι δὲ πολλῷ φόνῳ τοὺς πολεμίους (λέγονται γὰρ ἀπὸ δισμυρίων τρισχίλιοι διαφθεῖν) ἀντικράνορα τὸν Πομπήϊον ἠσπάσαντο. — 12) v. Drum. IV. p. 334. not. 43. Rem significavit Cicero, cum §. 61. dixit: *bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit.* — 13) v. Drum. IV. p. 335 sqq. — 14) Plut. Pomp. 14. — 15) v. Drum. IV. p. 338. Kiene l. c. p. 331. — 16) non ex Domitio devicto: nam triumphus non concedebatur nisi ex iusto et hostili bello, i. e. ex bello contra hostes externos. Hinc alter quoque triumphus Pompeii equitis in Fastis non triumphus ex Sertorianis appellatur, sed ex Hispanis, qui rebelles Sertorii partibus se adiunxerant. Similis erat causa Muciani a. 69. p. Chr., de quo refert Tacitus in Hist. IV, 4: *Multo cum honore verborum Muciano triumphalia de bello civili data: sed in Sarmatas expeditio fingebatur.*

Post mortem Sullae cum a. 78. M. Aemilius Lepidus[17]) consul, qui Pompeii studio consulatum adeptus erat, Sullae acta rescindere vellet, quo in conatu collegam Q. Lutatium Catulum adversarium nactus est, a senatu, ne quid in urbe turbaret, iussus est in provinciam suam Galliam abire. Neque tamen Alpes transgressus est, sed in Etruria castra locavit copiasque collegit, quas contra Urbem duceret. Sed quamquam iam magnam Italiae partem commoverat Galliamque Cisalpinam per M. Brutum occupaverat, facile tamen Catuli et Pompeii virtute, cui senatus decreto imperium extraordinarium[18]) commissum erat, periculum ab urbis moenibus depulsum est. Lepido reiecto Pompeius contra Brutum profectus est eumque Mutinae obsedit, quae obsessio iam longius ductum iri videbatur, cum Brutus sive sententia mutata sive a suis proditus ipse in deditionem venit, et postero die, quamquam ut sibi incolumi abire liceret impetraverat, interemptus est. Lepidus autem in Sardinia frustra bellum molitus morte fortuita rei publ. poenam antevertit.

Dum haec in Italia geruntur, Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania bellum ingens excitaverat. Cum priores duces contra eum missi male rem gessissent, a. 79. Q. Metello Pio bellum Hispaniense demandatum erat. Sed cum nec ipse incrementa factionis Sertorianae inhibere posset, Sertoriusque auctus copiis, quas ei M. Perperna ex reliquiis exercitus M. Lepidi adduxerat, iam in Italiam invasurus videretur, Pompeius, qui id ipsum exspectans[19]) post devictum Lepidum exercitum dimittere noluerat, senatus consulto pro consule pari cum Metello imperio cum novis copiis in Hispaniam missus est, cum unus dux videretur, qui tantum bellum profligare posset[20]). Quadraginta diebus exercitu parato Alpes a. 76.[21]) transgressus per Gallorum gentes, quae concitatae, ut videtur, a Sertorii emissariis eius iter impedire conabantur, viam ferro in Hispaniam sibi patefecit[22]). In Hispania

---

17) De eius conatis v. Drum. IV. p. 339 sqq. et Nieb. Vorles. II. p. 391 sqq. — 18) Nescio cur non hoc quoque Tullius inter nova exempla c. 21. retulerit. — 19) Quantopere ei quoque gloriae inhiaret, ipse in epist. ad Senat. (Salust. fragm. hist.) indicavit: *equidem fateor me ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum.* — 20) Hinc ad senatum gloriabundus scripsit: *nomine modo imperi a vobis accepto diebus XL exercitum paravi hostesque in cervicibus iam Italiae agentes ab Alpibus in Hispaniam summovi.* — 21) non iam a. 77. Cf. Drum. IV. p. 361 sq. et impr. Nieb. ad or. p. Font. p. 44 sq. — 22) Fracti a Pompeio deinde a M. Fonteio, qui pro praetore provinciae Galliae per triennium (75—73.) praefuit, penitus subacti sunt. Ceterum cum neque Appianus, quamquam qua via Pompeius Alpes transgressus esset tradere non omisit (B. Civ. I. c. 109.), neque Plutarchus quidquam de his certaminibus memoriae prodiderit, Cicero in oratione sua (§. 30. *testis est Gal-*

ipsa cum Sertorio per quinquennium ita dimicavit, ut bellicam gloriam suis rebus gestis ante partam saltem non magnopere auxisse videretur[23]). Denique Sertorius octavo ducatus sui anno (72. a. Chr.), cum res eius iam accisae essent, a M. Perperna aliisque suae factionis coniuratis in convivio interemptus imperiumque partium ad Perpernam ducem imparem translatum est[24]), quem Pompeius victum captumque interfecit Hispaniasque recepit decimo fere anno quam coeptum erat bellum, 71 a. Chr. Metellus et Pompeius ex Hispaniis[25]) triumpharunt; sed Pompeius hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus ante diem, quam consulatum iniret, curru Urbem invectus est[26]). Antea autem Pompeius, cum ex Hispania exercitum reduceret, quinque milia servorum, qui profugi ex caede, qua M. Crassus ad caput Silari fluminis in Lucania Spartaci copias deleverat, Galliam petebant, conciderat, quibus caesis gloriose ad senatum scripsit a Crasso fugitivos victos, a se belli radices excisas esse[27]).

---

lia etc.) non minus quam Pompeius in ep. ad Senatum verum exaggerasse putandi sunt. Ipse enim scripsit: *Per eas* (Alpes) *iter aliud atque Hannibal nostris opportunius feci. Recepi Galliam, Pyrenaeum* etc. Adde Plin. Hist. Nat. III, 4. §. 18. *utpote cum Pompeius Magnus tropaeis suis, quae statuebat in Pyrenaeo, DCCCLXXVI oppida ab Alpibus ad fines Hispaniae ulterioris in ditionem a se redacta testatus sit.* (Idem Plinius repetiit lib. VII, 27.) Quem autem locum Steinmetz et Benecke ex Plut. v. Pomp. c. 8. huc retulerunt, eum ad res bello civili in Gallia Cisalpina gestas pertinere Drumannus IV. p. 362. not. 36. recte monuit; cf. etiam vitam Sullae a Drum. conscriptam Vol. II. p. 464 sq. — 23) Liv. Epit. 96. *Sertorius ... interfectus est octavo ducatus sui anno, magnus dux et adversus duos imperatores Pompeium et Metellum saepe par vel frequentius victor, ad ultimum desertus et proditus.* Drumann IV. p. 377: *Der Krieg mit Sertorius war ganz geeignet, ihn von der Ueberschätzung seiner Kräfte zu heilen, und er bestärkte ihn darin. Eben so wurde die Menge durch seine scheinbaren Erfolge getäuscht* etc. Neque tamen est magnifica laus, quam Cic. Pompeio ob res Hispanicas tribuit; cum enim §. 30. dixit: *testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit*, dissimulavit ille quidem victorias Sertorianas, sed tamen non dixit arma Pompeii semper victricia fuisse. Cf. etiam Niebuhrii iudicium Vorles. über Roem. Gesch. II. p. 397. extr. — 24) App. B. Civ. I, 118 sqq. — 25) Flor. III, 22, 10. *Victores duces externum id magis quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.* Cf. supra not. 16. — 26) Vell. Pat. II, 30, 2. — 27) Plut. v. Pomp. 21. v. Crassi 11. Cic. §. 30. *Testis est iterum Italia, quae cum servili bello premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum exspectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum.* Bene Haunius: Cic. deutet hier sowohl das seinetwegen eilige Treffen, als des Pomp. Ausdruck im Berichte an, huldigt aber doch durch die ganze Form dem

Iam ita nimius liberae rei publ. evaserat[28]), ut multi timerent, ne legionibus retentis armis principatum sibi vindicaret[29]): quam suspicionem ille quidem reiecit professus se post triumphum exercitam dimissurum esse, sed popularis aurae ita se studiosum gerebat tantaque admiratione sui populum impleverat, ut satis confidere posset, quidquid appetisset, populi gratia se consecuturum esse. Hac spe fretus ausus erat XXXIV. annum agens, priusquam ullum alium magistratum gessisset, absens consulatum petere; in qua petitione cum tribunis pl. pollicitus esset se pristinam tribunatus potestatem in consulatu restituturum esse, decreto senatus, qui se infirmiorem videret, quam ut communi populi voluntati adversari posset, lege Villia annali et Cornelia solutus et deinde a populo consul creatus est. Gessit autem consulatum a. 70. cum M. Crasso, quo in magistratu tribuniciam potestatem, a Sulla dictatore ad inanem speciem redactam, restituit[30]) suoque assensu perfecit, ut lex Aurelia iudiciaria perferretur.

Cum consul simulata modestia iurasset se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum, idque servasset[31]), post biennium A. Gabinius legem tulit, ut bellum adversus piratas, classibus suis iam totum terrarum orbem terrentes, Cn. Pompeio demandaretur. Vetus erat hoc malum, quo navigatio infestabatur, atque imprimis Cilicia quasi commune praedonum receptaculum infame erat. Antea tamen certis tantum locis solaque aestate pauci homines maria infestando quaestum fecerant; sed illis temporibus, cum in diversis terris continentia bella gesta essent et multi rem patriamque amisissent, hominum perditorum copiis affluentibus praedonum numerus in immensum augeri coeptus erat, et quamquam Romani plures classes ducesque ad eos opprimendos miserant,

---

Pompeius. Quod autem Italia ab eo auxilium expetisse dicitur, ex Plut. v. Crassi c. 11. suam lucem accipit: *γεγραφὼς δὲ τῇ βουλῇ πρότερον (ὁ Κράσσος), ὡς χρὴ καὶ Λούκουλλον ἐκ Θρᾴκης καλεῖν καὶ Πομπήϊον ἐξ Ἰβηρίας, μετενόει καὶ πολὺν ἤκειν ἐκείνους ἔσπευδε διαπράξασθαι τὸν πόλεμον εἰδὼς, ὅτι τοῦ προσγενομένου καὶ βοηθήσαντος, οὐκ αὐτοῦ, τὸ κατόρθωμα δόξει.* Is autem Lucullus erat Marcus L., proconsul Macedoniae, frater Lucii, qui in Asia pugnabat; v. Drum. IV. p. 177. — 28) Kiene l. c. p. 331 sq. — 29) App. B. C. I, 121. — 30) Plut. Pomp. 21. *Οὐ γὰρ ἔστιν οὕτινος ἐμμανέστερον ὁ Ῥωμαίων ἡράσθη δῆμος καὶ μᾶλλον ἐπόθησεν ἢ τὴν ἀρχὴν αὖθις ἐπιδεῖν ἐκείνην* (scil. tribunatum), *ὥστε καὶ Πομπήϊον εὐτύχημα ποιεῖσθαι μέγα τὸν τοῦ πολιτεύματος καιρόν, ὡς οὐκ ἂν εὑρόντα χάριν ἄλλην, ἢ τὴν εὔνοιαν ἀμείψεται τῶν πολιτῶν, εἰ ταύτην ἕτερος προέλαβε.* Ac recte monuit Haunius p. 13. not. 1. postea, cum inter Caesarem et Pompeium de exercitibus dimittendis controversiae exortae essent, Pompeium ipsum poenituisse, quod tribuniciam potestatem in integrum restituisset, coll. App. B. Civ. II, 29. — 31) Vell. Pat. II, 31. v. Drum. IV. p. 392.

ex quibus P. Servilius opes eorum ita attriverat, ut prorsus fractae viderentur, tamen malum paulatim repressum denuo resurgebat, et Romanis aliis bellis districtis ad ultimum eo usque creverat, ut qui initio parvis pauciisque navigiis furtivis expeditionibus latrocinati essent, tum iustis classibus belli more piraticam exercerent. Iam universum mare a Syriae littoribus usque ad fretum Herculeum in sua potestate tenere; non solum Romanorum socios extra Italiam habitantes, sed Italiam ipsam variis modis affligere; mercatores ab omnibus maribus intercludere habere, ut populus Romanus cum aliarum rerum vesalium, quae navibus advehi solebant, inopia, tum annona vehementer laborare inciperet. Tandem cum res ad extremum perducta esset, populus R. deliberare coepit, quid agendum esset, ut malum tam inveteratum extingueretur. Sed magnum et difficile opus videbatur, tantas copias navales delere, per universa maria dispersas itaque instructas, ut et facillime effugere possent, et ubique tuta receptacula haberent. Tum igitur A. Gabinius tribunus pl., incertum suone impulsu an a Pompeio subornatus[32]), rogationem tulit[33]), ut unus ex consularibus ad praedones opprimendos mitteretur, essetque ei in triennium imperium totius maris, quod est intra Herculis columnas, terraeque continentis in omnibus provinciis usque ad quinquagesimum milliarium a mari aequum cum proconsulibus, ut quindecim legatos[34]) ex ordine senatorio sibi legaret, et praeter amplissimas copias, quibus opus esset, pecuniam quantam vellet ex aerario depromeret. Nominatim ille quidem Pompeium non dixerat, sed apparebat, si populus talem rogationem audisset, fore ut neminem nisi Pompeium tanto imperio ornare vellet. Et sic evenit. Populus enim summis studiis Pompeium bello praefici iussit; contra optimates infinitam illam potestatem, qua paene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur[35]), aegre ferentes omnibus viribus adversati sunt praeter C. Caesarem, qui legem non in Pompeii gratiam, sed quo plebem sibi conciliaret, acriter defendit. Sed cum omnia vi agerentur, resque

---

32) Dio 36, 6: *πρὶν δὴ Αὐλός τις Γαυίνιος δήμαρχος γνώμην ἔδωκεν, εἴτ' οὖν τοῦ Πομπηΐου καθέντος αὐτὸν εἴτε καὶ ἄλλως χαρίσασθαί οἱ ἐθελήσας· οὐ γάρ που καὶ ὑπ' εὐνοίας αὐτὸ τῆς τοῦ κοινοῦ ἐποίησε· κάκιστος γὰρ ἀνὴρ ἦν κτλ.*; cf. Drum. IV. p. 402. — 33) Plut. Pomp. 25 sq. Dio 36, 6 sqq. App. Mithr. 94. Vell. Vat. II, 31. — 34) sic Plut. l. c. Dio 36, 20. — 35) Vell. Pat. II, 31, 3. *Sed tamen idem hoc ante septennium in M. Antonio praetore decretum erat. Sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat. In Antonio homines aequo animo passi erant.* Simile imperium infinitae potestatis sub Tiberii principatu in eisdem terris Germanico commissum est (Tac. Ann. II, 43.), et sub Nerone Corbuloni *„in tantum ferme modum aucta potestate, quem populus Ro. Cn. Pompeio bellum piraticum gesturo dederat"*, ut ait Tacitus in Ann. XV, 25.

iam in eo esset, ut L. Trebellio trib. pl. intercedere perseveranti magistratus abrogaretur, consiliis impetu victis rogatio in contione perlata est[36]), impetravitque Pompeius, ut aliquanto plura, quam Gabinius rogaverat, a populo acciperet. Qua in contione cum Q. Catulus rogationem dissuadens dixisset esse quidem praeclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium iam liberae rei publ., neque omnia in uno reponenda, adiecissetque: *Si quid huic acciderit, quem in eius locum substituetis?* succlamavit universa contio: *Te, Q. Catule.* Tum ille victus consensu omnium et tam honorifico civitatis testimonio ex contione discessit[37]). Iam senatus quoque, cum ultra resisti non posse intelligeret, omnia quae populus insserat rata esse decrevit. Ac tanta erat de Pompeio fiducia, ut statim lege perlata pretia frumenti aliarumque rerum venalium retro abirent[38]).

Non fefellit ille magnam expectationem, quam homines de eo conceperant; nam si quo in alio bello, in hoc boni ducis munus egregie explevit, ut difficile sit dictu, quid magis admirere, consiliumne eius in bello apparando, an industriam in agendo, an celeritatem in conficiendo, an denique rationis prudentiam, qua in victos consuluit perfecitque ne bellum tam late diffusum mox iterum exardesceret. Cum enim bellum hieme apparare coepisset, atque universum mare inter legatos, quos viginti quattuor[39]) acceperat, ita distribuisset, ut in qua quisque curabat parte summam potestatem haberet, ipse ineunte vere totum tractum orientalem, singula maria sinusque circumiens, perlustrare coepit, et intra quadraginta dies mare Tyrrhenum, Africanum, Sardoum, Corsicum, Siculum piratis repurgavit firmissimisque praesidiis confirmavit[40]); deinde cum Romam reversus conatus C. Calpurnii Pisonis consulis suos apparatus impedire cupientis repressisset et omnia quae ad bellum conficiendum opus erant ordinavisset, Brundisium properavit, et tractus orientalis magnam partem circumvectus praedones in mare Cilicium compulsos ad promontorium Coracesium classe aggressus fudit fugavitque. Et quo plenius bellum vetus exstingueret, reliquias piratarum contractas in urbibus remotoque mari loco certa in sede constituit, ne denuo necessitate rapto vivendi ad latrocinia compellerentur. Ita bellum tam longe lateque dispersum spatio non amplius trium mensium[41])

---

36) v. impr. Ascon. in or. Cornel. p. 71. ed. Bait. — 37) Cic. §. 59. Vell. Pat. II, 32. Plut. Pomp. 25. Val. Max. VIII, 15, 9. Xiphil. ex Dione Vol. V. p. 111. ed. Sturz. et Dion. Exc. Vat. p. 180. ed. Lips. — 38) Plut. Pomp. 26. *αἱ δὲ τιμαὶ τῶν ὠνίων εὐθὺς πεσοῦσαι λόγον ἡδομένῳ τῷ δήμῳ παρεῖχον, ὡς αὐτὸ τοὔνομα τοῦ Πομπηΐου λέλυκε τὸν πόλεμον.* — 39) Plut. c. 26., sed App. Mithr. 94. teste viginti quinque accepit. Qui factum sit, ut numerus quem Gabinius rogaverat (v. not. 34.) adnugeretur, non constat; sed videtur Pompeius ipse plures postulasse. — 40) Cic. §. 34. 35. Plut. c. 26. — 41) v. Garat. in Comment. ad c. 12, 35. extr.

confectum est. Sed eius patrati gloria nondum contentus etiam Q. Metello, qui a. 68. in insulam Cretam proconsul missus erat, gloriam rerum gestarum praeripere studuit[42]). Videbantur Cretenses rebus Mithridatis favisse piratasque ob eius gratiam adiuvisse, adeo ut eorum insula altera praedonum sedes haberetur. Qui primus insulam invasit, M. Antonius, triumviri pater, rem male gessit; felicior erat eius successor Metellus, qui totam insulam ferro ignique vastavit, multas nobiles urbes cepit, iamque in eo erat, ut insulam in Romanorum potestatem redigeret. Sed cum saeve in captivos consuleret multosque supplicio afficeret, reliqui, qui a Metello obsidebantur, eandem poenam metuentes, ad Pompeium legatos supplices miserunt, eumque invitarunt, ut insulam, quae ad eius imperium pertineret, in deditionem acciperet. Tum ille preces legatorum non aspernatus Metellum bello desistere iussit, civitatibus autem scripsit, ne amplius Metelli imperata facerent, unumque ex suis legatis, L. Octavium, misit, qui eorum civitates in fidem reciperet. Is cum in urbes obsessas cum praesidiis ingressus Cretensibus contra Metellum auxilium ferret, Pompeium non solum in magnam invidiam, sed etiam in contemptionem adduxit. Sed Metellus ea nihil curans fortiter bellum persecutus Octavium ipsum captivum fecit, quem in castris vexatum contumeliisque affectum turpiter dimisit, victisque Lasthene et Panare totam insulam subiecit, ex qua cognomen adeptus est.

Anno sequenti (66. a. Chr.) cum Pompeius etiamtum in illis locis imperium exercitumque haberet, C. Manilius trib. pl. magna nobilitatis indignatione legem tulit, ut Pompeio bellum Mithridaticum mandaretur; de qua ut recte iudicari possit, ex re erit res belli Mithridatici potissimas, imprimis quas Tullius in suasione sua attigit, breviter perstrinxisse.

CAPUT II.

DE BELLIS MITHRIDATICIS.

Mithridates VI. Eupator[1]), qui patri eiusdem nominis, aetate nondum maturus imperio, a. fere 120. a. Chr. in regno successit, simulatque regni administrationem aggressus est, statim non de regendo, sed de

---

42) De his rebus Creticis v. Plut. Pomp. 29. Flor. III, 7. Vell. Pat. II, 34. App. Exc. 30. de Legat. pag. 33. ed. Paris. (Didot.). Drum. II. p. 51—54. et IV. p. 413 sq. Hoeck, Creta III. p. 1509 sqq.

1) De eius nomine v. Comment. ad §. 4. Vitam Mithridatis quattuor libris se narraturum esse professus est P. S. Frandsen, cuius operis primum librum in comment. scholast. Altonae 1847. publicavit; v. Zeitschr. f. das Gymnasialwesen. Vol. I, 4. p. 157 sq.

augendo imperio cogitavit[2]). Neque Scythae antea invicti ingenti felicitate perdomuit. His viribus auctus mox consilia iniebat tetrae Asiae, in qua Romani post devictum Aristonicum firmiter consistebant, in suam potestatem subigendae, non veritus vim aut magnitudinem Romanorum, quibus iam tum se parem existimaret. Eius cunctis resistendi primum occasionem Romani nacti sunt inter discordias, quae inter Mithridatem et Nicomedem II. Epiphanem de vindicanda Cappadocia ortae erant. Cum enim uterque senatum Romanum adiisset, ut fabis nominibus alienum regnum sibi vindicaret, senatus et Mithridati Cappadociam, quam rege Ariarathe necato invaserat, et Nicomedi Paphlagoniam, quam et ipse per vim occupaverat, ademit. Ac ne contumelia regum foret ademptum illis quod daretur aliis, uterque populus libertate donatus est. Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes negant vivere gentem sine rege posse. Atque ita rex illis a senatu Ariobarzanes constituitur, quem L. Sulla instituit a. 92. a. Chr.[3]). Tum Mithridates callido consilio Tigranem regem Armeniae ad societatem belli Romani, quod iam dudum meditabatur, pellicere cupiens, dissimulata offensione sua impulit, ut Ariobarzani regni admodum bellum inferret, et ne quis dolus subesse videretur, filiam suam ei Cleopatram in matrimonium dedit[4]). Primo igitur adventu Tigranis Ariobarzanes sublatis rebus suis Romam contendit. Atque ita per Tigranem rursus Cappadocia iuris esse Mithridatis coepit. Sub idem tempus Nicomede, rege Bithyniae, mortuo (91. a. Chr.[5])), etiam filius eius, et ipse Nicomedes Philopator cognomine, a Mithridate pellitur; qui cum supplex Romam venisset, decernitur in senatu, ut uterque in regnum restituantur, in quod tum missi sunt legati, quorum princeps erat M'. Aquilius, eique adiutor L. Cassius

---

2) Haec prima narravi secundum Iustinum 37, 3 sqq. — 3) Plut. Sulla 5. App. Mithr. 57. Liv. Epit. 70. — 4) Hotomanus, quem posteriores interpretes securi secuti sunt, adnotavit ad or. Pompeianam §. 4. „*Tigrane*, Mithridatis socero, ut Appianus, genero, ut Plut. scribit". Nescio quem locum Appiani Hotom. significet (fortasse error ex verbis App. Mithr. c. 15. *Τιγράνης δ' αὐτῷ κηδεστής ἐστι* male intellectis natus est); certe de B. Mithr. c. 104. a Plutarcho non dissentit, ubi legimus: *Τιγράνῃ δ' οὐκ ἔγνωστο μὲν πολεμεῖν ἔτι· παῖδες δ' ἐκ τῆς Μιθριδάτου θυγατρὸς αὐτῷ γεγένηντο, ὧν δύο μὲν αὐτὸς ὁ Τιγράνης ἀνῃρήκει κτλ.* Alios locos Appiani indicat Kritz. ad Vell. Pat. p. 228. Contra Velleius II, 37, 2. *socerum* Mithridatis Tigranem appellavit, quod non ferentes editores *socium* corrigebant, qua mutatione vereor ut scriptoris manus restituta sit. Videtur enim ille Tigranem socerum pro genero dixisse, sive memoria lapsus est, sive ita a scriptore quodam traditum invenit, sive denique invento vocabulo Graeco κηδεστής, quod et socerum et generum significat, socerum cum genero confudit. — 5) cf. Clintoni Fast. Hellen. III. p. 418 sq.

datus, qui Asiam Pergamenam obtinebat[6]). Tum illi copiis contractis Nicomedem in Bithyniam et Ariobarzanem in Cappadociam reduxerunt, reductisque opem Romanam ostentantes persuadebant, ut incursionibus in Mithridatis regnum faciendis belli causam inferrent. Morem gessit Nicomedes et Pontum usque ad Amastrim populatus praeda onustus domum rediit. Quo facto Mithridates cum frustra apud duces Romanos de iniuria conquestus esset, cum magna manu filium Ariarathem ad occupandam Cappadociam mittit iterumque Ariobarzanem regno expellit. Ea causa belli arrepta duces Romani non exspectato senatus populive iussu magnum exercitum contraxerunt, copiasque tripertitas, quibus L. Cassius, M'. Aquilius, Q. Oppius praecerant, adiunctis auxiliis Nicomedis regi Pontico opposuerunt. Sic bellum inter Romanos et Mithridatem initium cepit a. 88. a. Chr.[7]). Primum ad manus ventum est inter Mithridatis et Nicomedis copias, qui a ducibus Mithridaticis ad Amnium fluvium cum magna suorum strage profligatus est[8]). Deinde Mithridates M'. Aquilium aggressus non minore clade affecit castrisque exutum in Pergamum aufugere coegit[9]). Tum Cassius quoque et Oppius cum suis copiis recesserunt, magnusque tractus terrarum, inter quas provinciae erant a Romanis recens subactae, usque ad Ioniam ditionis regiae factus est[10]). Has regiones obeunti Mithridati Oppium Laodicenses, ad quos se receperat, vinctum adduxerunt, quem ille cetera illaesum et solutum omnibus locis circumducebat, captivum ducem Ro. ostentans[11]). Sed gravius consuluit in M'. Aquilium, legationis principem et praecipuum belli auctorem, quem a Mitylenaeis sibi traditum catenatum asino impositum circumvehebat et denique Pergami auro liquefacto in os infuso crudeliter necavit[12]).

---

6) App. Mithr. 11. — 7) App. l. c. 17. Clinton l. c. p. 426., qui ait: „Cicero p. l. Manil. c. 3. remarks that the year B. C. 66 was the twenty-third from the beginning of the war: *ab illo tempore annum iam tertium et vicesimum regnat.* This computation is exact: and to his death in B. C. 63 was a space of twenty-six years from the beginning of the war in B. C. 88. The number was exaggerated by de Roman writers. It was called thirty years by Plinius H. N. VII, 26.; forty by Florus 3, 5.; forty-six by Justin 37, 1.; forty by Eutropius 6, 12. etc." — 8) App. 18. — 9) ib. 19. — 10) Hinc Ciceronis verba §. 7. *tota in Asia* explicanda sunt, ad quae Manutius minus recte adnotavit: „ea scil. quae ipsi parebat; nam pars melior, quae infra *lux Asiae* vocatur, populi R. erat." — 11) App. 20. — 12) App. 21. *Μάνιον Ἀκύλιον ... ἐλῶν δεδεμένον ἐπὶ ὄνου περιήγετο, κηρύσσοντα τοῖς ὁρῶσιν, ὅτι Μάνιος εἴη· μέχρι ἐν Περγάμῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ κατεχώνευσε χρυσίον, δωροδοκίαν ἄρα Ῥωμαίοις ὀνειδίζων.* Athenio autem Peripateticus, ut tradidit Athenaeus ex Posidonio Apamensi V. c. 50., cum apud Athenienses Mithridatis magnitudinem laudaret, inter alia haec narravit: *Ῥω-*

Dum haec in Asia geruntur, Romani statim audita prima Mithridatis in Asiam irruptione bellum contra eum decreverant Sullaeque sorte Asia provincia obvenerat. Sed dum ille turbis, quas P. Sulpicius movit, diutius in Italia retinetur, interim Mithridates praefectis suis civitatibusque secretas litteras cum ingenti pecuniarum pollicitatione scripsit, ut omnes cives Romanos eadem die atque hora interimerent[13]), qua caede secundum Valerium Maximum et Memnonem (c. 11. ap. Phot. p. 730.) octoginta milia hominum, secundum Plutarchum centum et quinquaginta absumta sunt[14]). Nec contentus Romanos imperio Asiae exuisse etiam in Graeciam Archelaum cum classe et exercitu misit, qui civitates Graecas sive vi sive consilio compelleret, ut imperium Romanum excuterent. Iamque complures civitates ad regis partes deduxerat, et Athenis Aristionem, ministrum regiae potentiae, tyrannum constituerat, cum tandem L. Sulla cum quinque legionibus in Graeciam

---

μαίων δὲ στρατηγὸς μὲν Παμφυλίας Κόϊντος Ὄππιος παραδοθεὶς (Mithridati) *ἀκολουθεῖ δέσμιος* (contra Appianus c. 20. extr.: *ἐπήγετο πανταχοῦ λελυμένον*)· *Μάνιος δὲ Ἀκύλιος ὁ ὑπατευκὼς, ὁ τὸν ἀπὸ Σικελίας καταγαγὼν θρίαμβον, συνδέτην ἔχων ἀλύσει μακρᾷ Βαστάρνην πεντάπηχυν πεζὸς ὑπὸ ἵππέως ἕλκεται.* Scholiastes ad verba Ciceronis §. 11. *(qui legatum p. R. consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit)* aliud supplicii genus, de quo ceteri scriptores tacent, prodidit: *Mithridates legatum invenit quendam M'. Aquilium et eum inclusit in cavea; dedit illi domicilium fezae, et cotidie efferebat et verberibus fatigabat.* — 13) Vell. Pat. II, 18, 2. Cic. p. Flacco §. 60. *illam universorum civium R. per tot urbes uno puncto temporis miseram crudelemque caedem.* or. Pomp. §. 11. *tot civium R. milibus uno nuntio atque uno tempore necatis;* et §. 7. *qui uno die tota in Asia ... dives R. necandos trucidandosque denotavit.* Hoc posteriore loco Manutius *diem* pro *tempore* dictum existimavit; nam Appiano auctore id intra tricesimum diem fieri Mithridatem iussisse. Errorem Manutii Moebius (item Crusius in edit. IV.) et Reuterus imperite repetierunt; neque enim dissentit Appianus a reliquorum scriptorum testimoniis, qui uno temporis puncto caedem factam tradiderunt, si quidem haec apud eum legimus c. 22: *ἔγραφε τριακοστὴν ἡμέραν φυλάξαντας ὁμοῦ πάντας ἐπιθέσθαι τοῖς παρὰ σφίσι Ῥωμαίοις καὶ Ἰταλοῖς*, i. e. *tricesimo die ab eo quo litterae datae essent.* — 14) Val. Max. IX, 2. ext. 3. Plut. v. Sull. 24. Haud scio an dissensio ita componenda sit, ut statuatur numero, quem habet Plutarchus, etiam servos sanguinis Italici comprehensos esse; tradidit enim Appianus c. 23: *τοιαύταις μὲν τύχαις οἱ περὶ τὴν Ἀσίαν ὄντες Ἰταλοὶ καὶ Ῥωμαῖοι συνεφέροντο, ἄνδρες τε ὁμοῦ καὶ βρέφη καὶ γυναῖκες καὶ ἐξελεύθεροι καὶ θεράποντες αὐτῶν, ὅσοι γένους Ἰταλικοῦ.* Eandem denique caedem vividis coloribus oratorie descripsit Augustinus de Civit. Dei III, 22.

a. 87.[15]) appulit. Is cum Mithridatis praefectis circa Athenas Boeotiamque ita dimicavit, ut et Athenas reciperet et plurimo circa multiplices Piraei portus munitiones labore expleto amplius ducenta milia hostium interficeret nec minus multa caperet. Transgressus deinde in Asiam parentem ad omnia supplicemque Mithridatem invenit. Quem multatum pecunia ac parte navium Asia omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coegit, captivos recepit, in perfugas noxiosque animadvertit, paternis, id est Ponticis finibus contentum esse iussit[16]).

Sic pace composita, quam Sulla propter res Italicas nimio acceleraverat[17]), L. Licinium Murenam legatum ad res Asiae ordinandas cum duabus legionibus Fimbrianis[18]) reliquit, qui triumphi studio et praedae aviditate incensus mox a. 83. a. Chr. bellum cum Mithridate, sed parum felici eventu renovavit, donec Sulla misso A. Gabinio eum bello abstinere et in Italiam redire iussit. Concessit tamen ei, quamquam gravem cladem ad Halyn acceperat, triumphi honorem, quem anno 80. egit.

Tum Mithridates otium nactus Bosporanos, adversus quos iam ante bellum a Murena redintegratum ingentes copias paraverat[19]), subegit, iisque unum ex filiis Macharem regem imposuit. Inde in Achaeos, qui ultra Colchos habitabant, profectus exercitus duas partes amisit. Domum deinde reversus misit Romam legatos, qui foedus cum Sulla ictum litteris consignarent[20]). Sed eodem tempore Ariobarzanes quoque misit conquestum maiorem Cappadociae partem etiamtum a Mithridate obtineri. Tum iussus a Sulla Cappadocia cessit, sed illo mox mortuo (78. a. Chr.) Tigranem generum impulit, ut quasi sua sponte Cappadociam invaderet. Is Cappadocia velut indagine cincta inde trecenta milia hominum in Armeniam abduxit, quos in urbe nova a se condita atque

---

15) v. Emperii dissertat. de temporum belli Mithridatici I. ratione in Opusco. philol. pag. 1 sqq. — 16) Ex Velleio II, 23. add. Liv. Epit. 83. *pacem cum Mithridate fecit, ita ut is cederet provinciis Asia, Bithynia, Cappadocia.* Dionis fragm. Urs. 173 sqq. Vol. I. p. 162 sqq, Sturz. App. Mithr. c. 54—58. — 17) Cic. §. 8. *Sullam in Italiam res publ., Murenam Sulla revocavit.* Florus III, 5, 11. *Debellatum foret, nisi de Mithridate* (Sulla) *triumphare cito quam vere maluisset.* — 18) de his v. Niebuhr Vorles. II. p. 373. et de bello Murenae ibid. p. 403. — 19) App. 64. *Μιθριδάτης δ' ἐς τὸν Πόντον ἐξπλεύσας Κόλχοις καὶ Βοσποριανοῖς ἀφισταμένοις ἐπολέμει* (quo tempore belli inferendi occasionem spectabat)· *ἐπί τε Βοσποριανοὺς ναῦς τε συνεπήγνυτο καὶ στρατιὰν ἡτοιμάζετο πολύν· ὡς τὸ μέγεθος αὐτῷ τῆς παρασκευῆς δόξαν ἐγεῖραι ταχεῖαν οὐκ ἐπὶ Βοσποριανοῖς, ἀλλ' ἐπὶ Ῥωμαίοις τάδε συλλέγεσθαι.* Bello autem cum Murena composito (ibid. 67.) *σχολὴν ἄγων ὁ Μιθριδάτης Βόσπορον ἐχειροῦτο* etc. — 20) App. 64.

appellata Tigranocerta collocavit. Non latebat Romanos auctor facinoris, sed bello Sertoriano nimis districti erant, quam ut statim persequi possent. Sertorius enim adeo infestus adversae factioni exstitit, ut non tantum Hispaniae populos, sed etiam exteras gentes adversus Romanos concitaret. Eius factionis duo socii, Lucii Magius et Fannius Mithridati persuadebant, ut cum Sertorio societatem iniret, spem offerentes Asiam praemium societatis fore. Qua conditione accepta legatos ipse ad Sertorium misit, qui foedere inito se obstrinxit Mithridati Asiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Galatiam concessurum esse. Ducem quoque ad eum misit M. Varium additditque consiliarios Magium et Fannium [21]). His auctoribus tertium bellum contra Romanos suscepit, quod ipsi fatale futurum erat. Neque latuit eum summam rerum in aleam dari; quamobrem longum tempus in apparatu belli consumpsit, et quibuscunque ex gentibus poterat [22]), copias contraxit, ex quibus exercitum CXL peditum et XVI milium equitum confecit [23]). Ita instructus ineunte vere a. 74. in Paphlagoniam properavit, ac deinde Bithyniam invasit, cuius heredem Nicomedes III. nuper sine liberis mortuus [24]) populum Ro. instituerat. Eius provinciae praeses L. Aurelius Cotta, vir admodum imbellis, cum copiis suis Chalcedonem fugit, atque ita Bithynia rursus sub Mithridatis ditionem venit, Romanis undique Chalcedonem ad Cottam confluentibus [25]). Tum rex, qui a civitatibus Graecis vexationum pertaesis, quas portitores et feneratores Romani exercebant [26]), ut liberator exceptus erat, Chalcedonem ipsam petiit et Cottam apud eam urbem terra marique fudit. His rebus gestis cum regis nomen et opes magnopere crevissent, L. Lucullus, cui id bellum administrandum demandatum erat, cum exercitu quinque legionum accessit castraque cum Mithridate ad Cyzicum, quae ab eo vehementissime oppugnabatur, contulit [27]). Cum ita totius belli impetus ad Cyzici moenia constitisset, tandem L. Lucullus multis praeclaris rebus gestis regem in eas angustias compulit, ut, nisi fame perire vellet, fugam capessere cogeretur [28]). Sic ineunte vere a. 73. Cyzicus summis obsidionis periculis liberata est. Atque ipse quidem Mithridates classe Parium profectus est, exercitus eius autem terrestri itinere Lampsacum petens in transitu fluminis Ae-

21) App. 68. Cic. in Verr. I. c. 34. ibique Ps. Ascon. p. 183. Bait. — 22) eas enumerat Appianus 69. — 23) App. 69. — 24) Octavio et Cotta coss. 75. a. Chr. teste Eutropio VI, 6. Cf. Clint. Fast. Hell. III. p. 420. et Boeckh. C. Inscr. Gr. II. p. 234. ad tit. 2279. — 25) App. 71. — 26) Plut. Luc. 7. *ἀλλὰ καὶ τὴν Ἀσίαν ὅλην ὑποτροπὴ τῶν ἔμπροσθεν νοσημάτων εἶχεν, ἀφόρητα πάσχουσαν ὑπὸ Ῥωμαϊκῶν δανειστῶν καὶ τελωνῶν.* — 27) App. 72. *Λούκιος δὲ Λούκουλλος ... σύμπαντας ἔχων πεζοὺς τρισμυρίους καὶ ἱππέας ἐς χιλίους ἐπὶ ἑξακοσίοις παρεστρατοπέδευε τῷ Μιθριδάτῃ περὶ Κύζικον.* — 28) De rebus memorabilibus, quae ad Cyzicum gestae sunt, v. impr. App. M. 72—76.

sepi a Lucullo persequente magnam cladem accepit. Tum Mithridates copiarum reliquias Lampsaci, quae iam a Lucullo obsidebatur, in naves imposuit, et relictis decem milibus delectorum et 50 navibus sub ducibus Vario[29]), Alexandro Paphlagone Dionysioque eunucho ipse cum maiore parte navium Nicomediam navigavit. Ex his navibus relictis Lucullus primum 18 apud Achaeorum portum[30]) capit, deinde Varium et reliquos duces ad insulam desertam prope Lemnum assecutus cum magna clade in fugam compellit ipsosque in speluncae latebris comprehensos captivos facit: quorum Dionysius veneno sumpto ipse sibi mortem conscivit, Varium, quoniam senatorem Romanum in triumpho duci non placuit, Lucullus occidi iussit, tertium Alexandrum ad triumphum reservavit[31]). His rebus gestis protinus Bithyniam petiit et victoria sua usus primus Romanorum Pontum cum exercitu ingressus tam feliciter rem publicam gessit, ut anno 70. omnes eius terrae urbes in sua potestate haberet. Sed verum excedit, quod Cicero dicit §. 21., Sinopen atque Amisum ceterasque urbes Ponti et Cappadociae permultas *uno aditu adventuque* esse captas; nam nobilissimae urbes, ut Themiscyra, Amisus, Eupatoria, Sinope, Heraclea, strenuissime restiterant[32]). Rex ipse postquam ex fuga a Nicomedia in Pontum redierat, auxiliis undique accitis novum exercitum ad Cabira collegerat, ubi utrimque magnis contentionibus pugnatum est, donec Mithridates rebus desperatis Comana aufugit, et inde cum duobus milibus equitum a. 71. ad Tigranem generum contendit. Ac prope fuerat, ut ipse caperetur, nisi rex callidus Romanaeque avaritiae peritus spargi a fugientibus sarcinas et pecunias iussisset[33]), quo dolo factum est, ut rex ipse ex manibus effugeret.

Toto Ponto in potestatem Romanorum redacto missisque ad Tigranem legatis, qui Mithridatem reposcerent, Lucullus a. 70. in provinciam Asiam rediit, ubi cum alia laudabiliter constituit, tum saluberrima edicta edidit, quibus equitibus Ro. iniquissimum fenus exercentibus obviam iretur. Anno post (69.) contra Tigranem, a quo Mithridates fru-

---

29) v. supra adn. 21. — 30) de Achaeorum portu in Troade contra insulam Tenedum sito v. Mannerti Geogr. Asiae Min. Vol. II. p. 481 sqq. Hinc pugna nomine pugnae navalis ad Tenedum celebrata est, ut in or. p. Arch. §. 21. et p. Mur. §. 33. appellatur. — 31) App. 77. — 32) App. 78—83. — 33) Paulo aliter rem narravit App. c. 81. s. f. et 82., ut dispersio illa non consilium Mithridatis ipsius, sed factum militum eius de rebus suis desperantium fuisse videatur, qua re narrata addit: *αὐτόν τε τὸν Μιθριδάτην οἱ καταλαμβάνοντες, ἡμίονόν τινα τῶν χρυσοφόρων ἐς τὸ σάγμα κατάξαντες, προπεσόντος τοῦ χρυσίου, περὶ τόδε γενόμενοι διαφυγεῖν ἐς Κόμανα περιεῖδον.* Nimium est igitur quod dicit Cic. §. 22: *sic Mithr. fugiens maximam vim auri atque argenti ... in Ponto omnem reliquit.* Cf. etiam Plut. Luc. 17. et Flor. III, 5, 18.

atra repetitus erat, in Armeniam profectus laudem bellicam antea pertam in immensum auxit. Euphratem enim transgressus Tigranis exercitum vicies tanto maiorem ad Tigranocertam immani proelio a. 69. devicit, in cuius victoriae praemium urbs ipsa opibus ingentibus repleta cessit[34]). Anno sequenti Tigranem et Mithridatem apud urbem Artaxata[35]) iterum fugavit, iamque bello ultimum manum impositurus erat, cum militum seditione longinquum militiam supertantium ultra progredi prohibitus est. Igitur in Mesopotamiam regressus Nisibim, inclytam in illis regionibus urbem, post longam oppugnationem cepit[36]), ubi cum hiemare a militibus coactus esset, gravior exarsit militum seditio, imprimis militibus legionum Fimbrianarum[37]) frementibus, cum impleta a se stipendia dicerent, quibus tumultuantibus ipse P. Clodius, Luculli sororis maritus, perpetuus ille turbarum concitator, se immiscebat iramque incitabat[38]). Dum ita Lucullus Nisibi sedet, Mithridates a. 68. cum quattuor milibus suorum militum totidemque aliis, quos a Tigrane acceperat, in Pontum rediit et M. Fabium[39]) praefectum regionis improviso adortus victum Cabira se recipere coegit; in qua urbe munita inclusum obsessumque Mithridates tenuit. Sed servavit eum C. Triarius legatus, tum ipsum ad Lucullum cum copiis contendens, et reliquo illo anno haud improspere circa loca illa contra Mithridatem rem gessit. Sed sequenti anno (67.) cum rege depugnare gestiens, priusquam Lucullus cum exercitu suo advenisset, ad Gaziura magnam cladem accepit, quo in proelio septem milia Romanorum caesa sunt totumque exercitus occidione occubuisset, nisi Mithridates graviter vulneratus fugatos ultra persequi prohibitus esset. Interim Lucullus ex Mesopotamia advenit; sed quamquam milites eius audita Triarii clade ipsi postulaverant, ut quam primum contra hostem ad caedem suorum ulciscendam ducerentur, nihil tamen iam efficere potuit; mox enim novae turbae inter milites exortae sunt, cum ob alias causas, tum quod M'. Acilium Glabrionem, qui Lucullo successor datus erat[40]), appropinquare audierant: quo factum est, ut quasi privatum Lucullum contemptui haberent multique a signis dilaberentur. Ita Mithridates non solum suum regnum recepit et firmiter munire coepit, sed etiam Cappadociam rursus invasit gravioremque vexavit, neque Lucullo opem ferente, cum Acilium prope

---

34) Plut Luc. 26—29. App. 85 sq. — 35) Plut. Luc. 31. — 36) Plut. 32. Dio 35, 6 sqq. Oros. VI, 3. — 37) v. supra not. 18. — 38) v. impr. Drum. IV. p. 154 sq. — 39) sic appellatur a Dione 35, 9., ab Appiano c. 88., a Plut. Luc. 35.; Hotomanus aliique post eum falso eum Flaccum nominaverunt. Ceterum in his et sequentibus Dionem lib. 35. c 9 sqq. secutus sum. — 40) v. Haunium p. 14. not. 5. Drum. IV. p. 159. not. 91.

esse praetenderet, neque Glabrione eam ab hoste defendere audente. Is enim cum antea properavisset, quasi Lucullo victoriam praerepturus, postquam acta comperit, ne ad exercitus quidem accipiendos accessit, sed in Bithynia tempus terebat. Erat igitur Lucullus, cum lex Manilia ferebatur, etiamtum cum imperio[41]).

CAPUT III.

DE LEGE MANILIA ET ORATIONE A M. TULLIO CICERONE PRO EA HABITA *).

Talis erat rerum Asiaticarum status, cum C. Manilius tribunus plebis, semper venalis et alienae minister potentiae [1]), legem tulit, ut Cn. Pompeius accepta provincia exercituque, cui Lucullus praeesset, additaque Bithynia, quam Glabrio teneret, bellum adversum Mithridatem et Tigranem administraret, atque navales copias imperiumque maris eadem potestate, qua antea accepisset, retineret. Id erat fere universum imperium Romanum unius potestati committere. Provinciis enim, quae iam lege Gabinia sub eius imperium cadebant, iam adiiciebantur Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchi, Armenia cum omnibus copiis atque exercitibus, quibus Lucullus in Mithridate et Tigrane debellandis usus erat [2]). Erat lex non necessaria, quod non tantus erat belli Mithridatici metus, ut ad extremum remedium decurri necesse esset, praesertim cum populus iam quasi provincia confecta legatos misisset, qui res Ponticas ordinarent [3]): erat perniciosa, quod cum omne imperium extraordinarium formidolosum esset [4]), tum in illo viro, in quo iam tot nova constituta erant. Nobilitas magnopere indignari, non tantum aegre ferens, quod M'. Acilius Glabrio et Q. Marcius Rex proconsul

41) Vell. II, 33, 1. *cum esset in fine bellum Mithridaticum et L. Lucullus idem bellum adhuc administraret, Manilius* etc. Dio 36, 29.

*) Cf. praeter Drumanni vitam Pompeii IV. p. 416—429. has duas dissertationes: Versuch einer Würdigung der Rede Cicero's für den Manilischen Gesetzvorschlag von Christ. Wilh. Haun. Merseburg 1827. 38 pagg. 4. De levitate et fallacia argumentationis in M. Tullii Ciceronis or. p. lege Manilia scr. Aloysius Nikl. Campoduni 1842. 15 pagg. 4.

1) Vell. Pat. II, 33, 1. — 2) Plut. Pomp. 30. — 3) Dio 36, 26: *ὁ δὲ ὅμιλος, καίτοι μικρὸν ἔμπροσθεν τοὺς ἄνδρας τοὺς καταστήσοντας τὰ ἐαλωκότα, ὡς καὶ διαπεπολεμηκὼς ἐξ ὧν σφίσιν ὁ Λούκουλλος ἐπεστάλκει, πέμψας, ὅμως ἐψηφίσατο αὐτά, ἐναγόντων σφᾶς ἐς τὰ μάλιστα τοῦ τε Καίσαρος καὶ τοῦ Κικέρωνος.* — 4) Cf. grave iudicium, quod postea Cicero ipse tulit in or. Phil. XI, 6, 16 sqq., quo in loco imprimis haec verba memorabilia sunt §. 18: *De Cn. Pompei imperiis, summi viri atque omnium principis, tribuni plebis turbulenti tulerunt.*

Ciliciae imperium, antequam tempus legitimum exiisset, abdicare iuberentur [5]), et Lucullo laus rerum gestarum praeriperetur [6]), sed quod Pompeio nova lege non belli Mithridatici imperium, sed principatus orbis terrarum et quasi dominatio demandari videbatur. Itaque se invicem adhortari atque excitare, ut fortiter legi resisterent neve libertatem communem proderent. Sed cum dies adesset, quo lex comitiis tributis [7]) ferretur, populi vim vehementer veriti rem susceptam deserentes omnes praeter Catulum et Hortensium obmutuere. Quorum ille cum graviter in legem eiusque auctorem invectus vana surdis auribus canere videretur, iterum de rostris optimatibus acclamavit, ut maiorum exemplo montes et saxa praerupta quaererent, quo ad libertatem conservandam confugerent [8]). Sed nullo iam contra dicente lex summo populi studio cunctis tribuum suffragiis perlata est, quam etiam ex nobilitate cum alii viri clarissimi [9]) auctoritate sua comprobarunt, tum C. Iulius Caesar et M. Tullius Cicero praetor orationibus habitis enixe suaserunt. Hos autem duos Dio Cassius 36, 26. scribit Pompeio et Manilio suffragatos esse, non quod bono publico esse arbitrarentur aut Pompeio gratum facere vellent, sed, cum uterque intellexisset etiam sine suffragiis suis in tanta populi voluntate [10]) legem perlatum iri, Caesarem suasione sua occasionem populi gratiae sibi conciliandae arripuisse, quem senatu tanto potiorem videret, simulque viam sibi parasse, ut aliquando ipse quoque eodem exemplo potestate extraordinaria ornaretur; praeterea id quoque egisse, ut Pompeium novis ornamentis in eum congestis invidiae obiiceret, quo maturius populum eius satietas caperet [11]). Ciceronem contra, qui in re publ. administranda summam auctoritatem obtinere cuperet [12]), et plebi et optimatibus ostendere voluisse, utri parti se applicuisset, eius opes se magnopere aucturum esse. Nam temporibus servientem modo optimatibus modo plebi favisse, ut ab utrisque peteretur. Inde factum esse, ut, cum antea se optimates sectaturum esse professus esset et aedilitatem quam tribunatum petere maluisset, tum plebi infimae se addicere non dubitaret. Cum hoc Dionis iudicium, quamvis ex aliqua parte verum sit, non possit non iniquius haberi, altius inquirendum erit, quibus causis adductus Cicero

5) Dio Cass. 36, 26. — 6) Plut. Pomp. 30. *Ἀλλὰ Λουκούλλου μὲν ἀποστερουμένου τὴν δόξαν ὧν κατειργάσατο καὶ θριάμβου μᾶλλον ἢ πολέμου διαδοχὴν λαμβάνοντος ἦττων λόγος ἦν τοῖς ἀριστοκρατικοῖς, καίπερ οἰομένοις ἄδικα καὶ ἀχάριστα πάσχειν τὸν ἄνδρα κ. τ. λ.* — 7) Rogatio statim ad populum videtur lata esse, certe nulla est in rerum scriptoribus significatio, de lege, antequam ad populum ferretur, ad senatum relatum esse; v. Drum. IV. p. 417. — 8) Plut. Pomp. 30. — 9) v. Cic. §. 68. — 10) cf. infra not. 22. — 11) v. Hoeck, Roem. Gesch. I, 1. p. 107 sq. — 12) Sic intelligo Dionis verba: *τήν τε πολιτείαν ἄγειν ἠξίου.*

rogationem, quam ipse postea vehementissime improbavit[13]), tum sibi suadendam existimaverit. Totam hanc quaestionem Haunius p. 23 sqq. et subtiliter et minus cupide, quam alii fecerunt, tractavit. Atque is quidem plura in unum convenisse statuit, quae Ciceronem permoverint, ut causam illam susciperet. Primum enim populo animum gratum ob praeturam delatam testificari voluisse, iamque suum esse putasse populi commoda et voluntates, quacunque ratione posset, tueri. Cum autem videret, quanto ille studio Pompeii amplitudini faveret, a populo sibi quasi mandatum esse existimasse, ut ipse quoque eius dignitati suffragaretur. Hoc Tullius cum in hac oratione haud obscure significavit, tum in or. de Leg. agr. II. §. 49. etiam apertius his verbis professus est: *Vos mihi praetori biennio ante, Quirites, hoc eodem in loco personam hanc imposuistis*[14]), *ut quibuscunque rebus possem illius absentis* (Pompeii) *dignitatem vobiscum una tuerer. Feci adhuc quae potui, neque familiaritate illius adductus, nec spe honoris atque amplissimae dignitatis: quam ego etsi libente illo, tamen absente illo per vos consecutus sum.* Nec tamen ideo niniae assentationis studio absolvi poterit. Nam si sincero animo populo gratus esse voluit, non eius voluntatem, sed vera rei publicae commoda tueri ac defendere debebat, quod utrumque ita in oratione confudit, ut quod mera populi gratia fecit, id se rei publ. causa facere videri vellet. Illud tamen facile oratori credemus, quod non rogatu cuiusquam, i. e. Pompeii causam se suscepisse confirmat; amicorum enim eius adhortationibus non erat opus, cum populi voluntatem iam perspectam teneret: sed minus facile nobis persuadebimus nullam eum bonam gratiam sibi quaerere voluisse, quidquid beneficio populi se assecuturum speravit. Cum enim iam animo spem consulatus praecepisset, nihil praetermisisse putandus est, quo facilius id quod tantopere cuperet consequeretur, et praesidia novitati

---

13) v. supra not. 4. — 14) „Mit dieser Nachricht stimmt der ganze Gang der Einleitung zusammen; denn wenn man hiernach annimmt, man habe ihm bemerklich gemacht, wie er nun als Praetor sowohl Ansehen genug als auch die Pflicht habe, in einer solchen öffentlichen Sache zu sprechen, da er es im Stande sei, so erklärt sich die Entschuldigung des bisherigen Nichtauftretens und die Rechtfertigung des jetzigen Sprechens. — Zu widersprechen scheint c. 24. *testor deos me hoc neque rogatu cuiusquam* etc. Allein hier ist von der bestimmten Bitte eines Einzelnen, des Pompejus, die Rede, den er bei den drei Sätzen mit *neque* blos in der Mitte selbst nennt, und im ersten und letzten Satze durch das allgemeine *cuiusquam* blos andeutet, um durch den gleichsam synonymen Gebrauch die Beschuldigung desto stärker zurückzuweisen. — Das Verlangen des Volkes aber betrachtet er nicht als Bitte, sondern als Auftrag, Geschäft (*personam imposuistis*)." Haun p. 26.

quae acquireret[15]). — Aliam causam receptae rei Haunius in necessitudine positam esse intellexit, quae Ciceroni cum ordine equestri intercedebat. Hos ipse testatur[16]), cum quotidie magistris societatum publicanorum ex Asia litterae metus plenae afferrentur, pericula rerum suarum ad se detulisse[17]); sed callide dissimulat orator, quantum odium fuerit publicanorum in L. Lucullum, qui eorum vexationibus provincialium fortissime restiterat[18]), ut suspicari liceat, in illis litteris non tantum de metu novi belli sermonem fuisse, sed novas de Lucullo querimonias allatas esse ab iis, qui rationibus suis infestum tandem de imperio se detrusuros sperarent. Quodsi Cicero et populo et ordini equestri in causa Manilia gratum facere voluit, necesse fuit, ut ordo senatorius legis suasione vehementer offenderetur. Sed cum videret, quanto in odio esset apud quosdam nobiles novorum hominum virtus atque industria, et quam difficile esset officiis illorum benevolentiam allicere[19]), opportunitatem nactus simul optimatibus ostendere voluit, quantum iam ipse suis viribus confidere posset, quidque virtute parta auctoritas apud populum valere deberet[20]). Quod addit Haunius Cice-

---

15) cf. Q. Cic. de petit. consul. §. 5. *Hi* (homines nobiles) *rogandi omnes sunt diligenter et ad eos allegandum est, persuadendumque iis nos semper cum optimatibus de re publica sensisse; minime populares fuisse; si quid locuti populariter videamur, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adiungeremus: ut eum, qui plurimum posset, aut amicum in nostra petitione haberemus aut certe non adversarium.* — 16) §. 4. et cf. cap. 6 et 7. — 17) „Bei der Liebe, mit der Cic. dem Ritterstande zugethan war, und bei der Ehre, die er darin suchte, ihn zu unterstützen, wäre das in einer solchen Mittheilung sich äufsernde Vertrauen zu seiner Willfährigkeit und Macht zu helfen allein schon hinlänglich gewesen, ihn zum möglichsten Beistande zu bestimmen; — wie vielmehr, wenn diefs mit seinem inneren Antriebe und dem Verlangen des Volkes zusammenstimmte." Haun. p. 27. — 18) Plut. Luc. 20. *Ἐκεῖνοι μὲν οὖν ὡς δεινὰ πεπονθότες ἐν Ῥώμῃ τοῦ Λουκούλλου κατέβόων καὶ χρήμασιν ἀνίστασαν ἐπ' αὐτὸν ἑνίους τῶν δημαγωγῶν μέγα δυνάμενοι καὶ πολλοὺς ὑπόχρεως πεποιημένοι τῶν πολιτευομένων. Ὁ δὲ Λούκουλλος οὐ μόνον ὑπὸ τῶν εὖ πεπονθότων ἠγαπᾶτο δήμων, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις ποθεινὸς ἦν εὐδαιμονιζούσαις τοὺς ἡγεμόνος τοιούτου τυχόντας.* — 19) cf. impr. Verr. V. c. 70 sq. — 20) Cic. §. 2. *si quid auctoritatis in me est, apud eos utar, qui eam mihi dederunt,* et impr. §. 69. Drumannus IV. p. 420: „Cicero hielt jetzt die erste Staatsrede, und als Gegner des Hortensius, seines Nebenbuhlers in der Beredtsamkeit, und der Nobilität, welche den Emporkömmling von der höchsten Ehrenstelle auszustofsen hoffte. Es mufste ihn fördern, wenn sie ihm gegenüber und scheinbar von ihm überwunden das Feld räumten, von welcher Art der Gegenstand des Streites sein mochte, und ihre Niederlage war ihm von allen Seiten verbürgt, durch die Stimmung und

ronem videri non tantum suis invidis, sed etiam Pompeii obviam ire voluisse, qui non rei publ. causa, sed ob privatas simultates eius laudibus obtrectarent, poterat illud quidem orator in animo habuisse, sed si hoc quoque agitabat, illud oblitus est, eodem tempore, quo invidiam iniustam persequi studeret, se et ipsum etiam iniquiori, qua Lucullus premebatur, vires subministrare. Facilius oratoris consilium excuses, si ob eam quoque causam ab eo Pompeium commendatum esse putabimus, quod ipse, cum res publica illo tempore magnorum virorum copia non abundaret, non alium invenerit, in quo civitas plus confidere posset, talemque virum iudicaverit, a quo periculum non esset, ne potestate sibi tradita unquam ad civium libertatem evertendam uteretur[21]). Fallebat enim multos Pompeius specie quadam temperantiae et illis temporibus Ciceronem quoque videtur fefellisse. Quamvis enim hic gloriae cupiditate flagraret, tamen non adeo a patriae caritate remotus erat, ut, si pericula penitus prospexisset, in quae civitatem deflectendo a maiorum institutis pervenire necesse esset, unquam a se impetraturus fuerit, ut ipse quoque ad libertatem publicam imminuendam operam suam praestaret. Quodsi Manilio, homini turbulento, suum studium ad rem conficiendam detulit, minus eum in re publica quam alios peritiores vidisse iudicabimus, non ipsum hominem turbulentum fuisse, qui nimio popularitatis studio sciens ac prudens rei publ. rationes atque commoda negligeret. Qua in re illud quoque minime praetermittendum est, quod iam Dio significavit, talem fuisse rogationem, quam populus, etiamsi nemo vir senatorius ei suffragaretur, tamen sciturus erat[22]), ut levitatis potius nomine quam mali in rem publ. animi arguendus sit, quod tali causa ad populi gratiam captandam suasque rationes augendas uti voluerit.

Quodsi hoc ipsum cogitabimus, talem fuisse causam, in qua oratori non id agendum esset, ut argumentorum copia atque auctoritate auditores ad credendum et persuadendum perduceret, sed persuasionem iam firmam etiam magis confirmaret suaque auctoritate quasi sanciret, de toto statu causae rectum iudicium fieri poterit. Talem enim consti-

---

die Macht des Volkes, durch dessen Begeisterung für Pompejus, und durch den Ausgang des Seeräuber-Krieges." — 21) cf. Haun. p. 28. — 22) Cic. §. 48. *quod ut illi proprium ac perpetuum sit ... ipsius hominis causa, sicuti facitis, velle et optare debetis.* §. 64. *aliquando isti principes et sibi et ceteris populi Rom. universi auctoritati parendum esse fateantur.* §. 69. *cum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus ... quid est quod aut de re aut de perficiendi facultate dubitemus?* §. 71. *sed ego me statui vestram voluntatem ... meis omnibus commodis et rationibus praeferre oportere.* Adde locum supra p. 21. med. ex orat. de Leg. agr. II. §. 49. allatum, ubi de suasione sua dicit: *Feci adhuc quod potui.* Cf. Haun. p. 32.

tuit orator, qui rei, quam ipse sequebatur (id autem agebat, ut populus in voluntate sua permaneret, non ut verbis suis regeretur), convenientissimus erat, non eum, qui in deliberatione de re publica requiri videbatur. Si enim ad hanc normam orationem suam revocare vellet, non de necessitate aut magnitudine belli aut de Pompeii virtutibus dicendum, sed illud potius disceptandum erat, in quo vera rei publicae utilitas consistebat. Agebatur enim, utrum magis rei publ. extimescendum esset, bellumne, quod a regibus Asiaticis imminebat, an amplitudo viri, in quo iam tot nova constituta erant; num tanta esset belli illius magnitudo, ut iterum a maiorum institutis deflecti necesse esset; num unus esset Pompeius, cui bellum committi posset; num denique talem se in vita ante acta praestitisset, ut ne minimum quidem verendum esset, ne quando in perniciem civium suorum potestate extraordinaria atque inaudita uteretur. Sed has omnes quaestiones orator silentio praetermisit, non quod a re alienas existimaret, sed quod statui causae, quem ipse sibi conformarat, infestas esse cognovit. Quare non id agebat, ut subtili argumentatione sententias contrarias adversariorum refelleret, et quam inanis ab iis metus opponeretur ostenderet, sed talia proferebat, quae populum libenter auditurum esse speraret eiusque voluntatem atque sententiam magis confirmarent[23]).

His propositis strictim examinemus, qua ratione Cicero singulas orationis partes persecutus sit. Postquam in exordio causas exposuit, quibus factum sit, ut tum primum apud populum ageret, et deinde dilucida narratione rem, de qua acturus erat, proposuit, totam orationis argumentationem ita partitur, ut primum de genere belli sive necessitate eius, deinde de magnitudine, denique de imperatore ad id bellum deligendo sibi dicendum esse demonstret. Duabus prioribus confirmationis partibus orator supersedere poterat, si verum causae statum constituere voluisset, id quod ipse aperte in principio confutationis indicat, cum dicit §. 51: *omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem; atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me ad-*

23) „Da Cic. nicht einen Vorschlag zu empfehlen hatte gegen ein Volk, das dagegen gestimmt war und daher hätte überredet werden müssen, so gilt es ihm mehr der Gesinnung und dem Verlangen des Volkes gleichsam Kraft und Bedeutung zu geben, dadurch dafs er dessen Meinung in einer deutlichen, schönen und durch die Anknüpfung an die Geschichte der Zeit eben so belehrenden als unterhaltenden Auseinandersetzung darstellte. Darauf beruht die ganze Eintheilung und der Gang der im Sinne des Volks sprechenden Rede. Davon zeugt auch der ruhige Ton, indem keine starken Ausdrücke der Ueberredung vorhanden sind. Fast alle Schlufsfolgen sind mit der Formel gemacht: *Wird noch jemand zweifeln?* die blos in der Form verändert ist; s. Cap. 7. 10. 14. 15. 16. 23. 24." Haun p. 30.

huc dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Nam necessarium bellum omnibus visum esse iam inde apparet, quod nunquam intermissum erat; neque de magnitudine eius, quamquam eam orator nimis exaggeravit, in hoste dubitatio esse poterat, qui post tot clades nondum devictus esset: sed necessariae erant hae duo partes in fine quem orator sibi proposuerat, ad quem omnis totius orationis ratio conferenda erat. His enim diligenter pertractatis in eam opinionem populum adducere conabatur, tale esse bellum, quod maxime ad persequendi studium excitare deberet, quod magnis copiis magnoque apparatu quasi de integro gerendum, quod denique ei imperatori demandandum esset, cuius summae essent virtutes imperatoriae. Hoc quasi aditu sibi patefacto in tertia confirmationis parte, quae in genere demonstrativo versatur [24]), ad propriam quaestionem accedit, et virtutibus, quas magnus imperator habere debeat, enumerandis, quas summas in Cn. Pompeio omnes inesse ostendit, probare conatur, Pompeium unum dignissimum esse, qui tanto bello praeficiatur. Eadem argumentandi ratione iam Gabinius, si Cassio Dioni [25]) fidem habemus, in rogatione sua usus erat, cum earundem virtutum enumeratione Pompeium populo commendaret. Quamquam autem non ita difficile foret ostendere, oratorem laudibus Pompeii nonnulla immiscuisse, quae iustum rerum existimatorem potius deterrere quam impellere debebant, ut Pompeio suffragaretur, tamen negari non poterit, eum in hac orationis parte singulari quadam arte versatum esse, et quamvis Pompeium laudibus cumularet, tamen in singulis tanta moderatione usum esse, ut laus ex vera animi adfectione profecta esse, non nimia verborum aut rerum exaggeratione ut inanem ac fucatam se ipsa prodere videatur. Ac virtus quidem oratoris imprimis in iis locis elucet, in quibus quanta virtute Pompeius bellum piraticum gesserit identidem praedicat, quod Catulus ipse ab uno imperatore administrari posse negaverat [26]), atque in magnis laudibus, quibus Pompeii temperantiam effert, quibus quidem hoc ostendere conatur, etiam si qui signis collatis exercitus regios superare posse videantur (§. 66.), tamen eos non continuo idoneos haberi posse, qui in provinciam divitem ac paratam peccantibus [27]) mittantur.

---

24) Cf. Auct. ad Herenn. III. c. 8. *Et si separatim haec causa minus saepe tractatur, at in iudicialibus et in deliberativis causis saepe magnae partes versantur laudis aut vituperationis. Quare in hoc quoque causae genere nonnihil industriae consumendum putemus.* — 25) Lib. 36. c. 10. Dionis verba ipsa in Comment. ad §§. 27. et 28. attulimus. — 26) Dio 36, 18: *ἐκεῖνο δὲ δὴ σκοπεῖν ὑμᾶς ἀξιῶ, ὅτι οὐδὲ οἷόν τέ ἐστιν ἕνα ἄνδρα πάσης τῆς θαλάσσης ἐπάρξαι, καὶ πάντα τὸν πόλεμον τοῦτον ὀρθῶς διοικῆσαι κτλ.* — 27) Tac. Agric. c. 6.

Cum hoc sit argumentum praecipuum, quo Pompeium commendat, minus videri non potest, quod eadem cum post confutationem iterum longiore amplificatione [28]) persequitur; populo enim persuadere conatur, si quo dubitatio adhuc superesset, in minore tamquam huiusmodi condizione eum eodem casu omnia gerere videri debere. cur non alii imperatori administratio belli huiusmodi committi possit. Illud quoque prudentissime ab oratore institutum est, quod in fine confirmationis ad ceteras utilitates eam quoque opportunitatem adiungi dixit (§. 50.), ut Pompeius in his ipsis locis cum exercitu adsit, quod argumentum tanto gravius videri debebat, quanto tristiorem rerum Romanarum statum in illis regionibus descripserat; hoc enim aliunde significat a nullo imperatore nisi ab uno Pompeio felicem rerum eventum exspectari posse, idque eo certius, cum *suo adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressurit ac retardarit* [29]).

Sequitur deinde confutatio adversariorum, quae infirmissima orationis pars existimanda est. Cum orator omnino non ostendere conetur, in quaestione proposita rei publicae utilitatem felici belli eventu contineri populique et rei publicae rationes atque commoda una eademque esse habenda, consectarium erat eum in confutatione quoque reliquis omissis, quae in causa publica disceptanda erant, nihil nisi finem sibi propositum spectavisse. Ac primum quidem Hortensium, qui negaverat ad unum omnia deferenda esse, ita refutat, ut istud argumentum iam obsoletum esse et re ipsa refutatum dicat, quoniam idem Hortensius iam in rogatione Gabinia contra dixisset, quasi aut tum falsum dixerit aut propterea rogationi repugnaverit, quod bellum illud virtute Pompeii confici posse diffideret. Pro eo igitur ut decent vanum esse eorum metum, quibus honores et potestates in eandem iterum iterumque congestae rei publicae perniciosae videantur, obiectionemque adversariorum, quae post novam Pompeii victoriam etiam gravior videri debebat, rerum Romanarum statu atque historia ipsa refelli, amplificatione oratoria miseriam et turpitudinem illius temporis, quo populus R. bello piratico premebatur, depingit laudibusque Pompeium onerat, quod eius virtute populo gloria sua atque imperium restitutum sit. Atque etiam aperte significat, ut antea in rogatione Gabinia, sic in hac quoque lege Manilia homines quosdam, non quo rei publ. consultum velint, sed ob meram invidiam Pompeio obtrectare; eadem Gabinium quoque etiamnunc premi, cui non concedatur, ut Pompeio legetur, quamquam in exercitu Pompeii etiam praecipuo iure esse debeat. Deinde se convertit ad Q. Catuli auctoritatem elevandam, qui negaverat novi quidquam contra exempla atque instituta maiorum fieri debere.

28) v. adn. in Comment. ad §. 64. — 29) Cic. §. 13.

Quod si vir ille patriae amantissimus dixit, ipsum profecto non latuit maiores dubiis temporibus rei publ. aliquando a suis institutis deflexisse; sed exemplis Marii et Sullae [30]) iam in rogatione Gabinia dissuadenda luculenter ostenderat, cum quanto rei publicae discrimine uni alicui viro imperia iterata atque extraordinaria commissa essent. Verum quamquam prudenter tum iterum populum monuerat, ut caveret, ne denuo in uno viro salus rei publicae periclitaretur, tamen orator eius sententiam quasi in pugna gladiatoria plane eludit eoque impudentiae procedit, ut ipso Marii exemplo atque adeo enumeratione eorum, quae in uno Pompeio nova constituta sunt, levitatem auctoritatis viri summi probare conetur. Possit haec verborum calumnia quasi desipiens videri [31]), cum orator ipse argumenta suppeditet, quibus eius rationes impugnari possint; sed cogitandum est oratorem apud populum verba facere, apud quem argumenta fallacia saepe non minus quam vera valebant. Id enim agit, ut populum in eam opinionem deducat, Pompeium hominem plane singularem esse et quasi divina virtute praeditum, ut nemo praeter eum tantae rei gerendae par haberi possit. Si enim civitas multos eius similes haberet, non senatum aut populum Ro. toties uni eidemque viro extraordinarias potestates delaturum fuisse. Qua in re simul callide significat optimates ipsos, qui nunc tam acriter Pompeii dignitati adversentur, suo exemplo praeivisse, ut in eo viro leges atque instituta maiorum migrarentur; desinant igitur graviter ferre, si iam idem populum velle ac facere videant. In extrema autem confutatione aliorum virorum auctoritatibus causam suam confirmat, quibus Hortensio et Catulo, dummodo auctoritatibus opus sit, se respondere posse confidit.

---

30) Dio 36, 14: *Ἐγὼ τοίνυν πρῶτον μὲν καὶ μάλιστά φημι δεῖν μηδενὶ ἀνδρὶ τοσαύτας κατὰ τὸ ἐξῆς ἀρχὰς ἐπιτρέπειν. Τοῦτο γὰρ καὶ ἐν τοῖς νόμοις ἀπηγόρευται καὶ τῇ πείρᾳ σφαλερώτατον ὂν πεφώραται. Οὔτε γὰρ τὸν Μάριον ἄλλο τι ὡς εἰπεῖν τοιοῦτον ἐποίησεν, ἢ ὅτι τοσούτους τε ἐν ὀλιγίστῳ χρόνῳ πολέμους ἐνεχειρίσθη, καὶ ὕπατος ἐξάκις ἐν βραχυτάτῳ ἐγένετο· οὔτε τὸν Σύλλαν, ἢ ὅτι τοσούτοις ἐφεξῆς ἔτεσι τὴν ἀρχὴν τῶν στρατοπέδων ἔσχε, καὶ μετὰ τοῦτο δικτάτωρ, εἶθ' ὕπατος ἀπεδείχθη. Οὐ γάρ ἐστιν ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων φύσει ψυχὴν μὴ ὅτι νέαν, ἀλλὰ καὶ πρεσβυτέραν, ἐν ἐξουσίαις ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐνδιατρίψασαν, τοῖς πατρίοις ἔθεσιν ἐθέλειν ἐμμένειν.* — 31) Verissime Hannius p. 23: „Das heifst doch allen vernünftigen Gründen aus dem Wege gehen, und die Worte im Munde herumdrehen, was man bei dieser wichtigen Sache wohl nicht dadurch entschuldigen kann, dafs es Cicero als Redner vor Gericht gewohnt war, wo oft spitzfindige Umdrehungen und Wortspiele grofse Wirkungen machten, weil es mehr auf Ueberredung als auf Ueberzeugung abgesehen war."

In peroratione denique orator C. Manilium cohortatur, ut in sententia sua permaneat; omnibus enim bonis popularique ita rem perficiendam polliceatur, denique quidquid in causa susceperit, id se rei publ. causa suscepisse confirmet atque contestetur.

His expositis non possum quin rectum iudicium, quod Haunius, vir subtilis ingenii, de oratione universa tulit, cum lectoris communicem. Is enim commentationem suam de lege Manilia et oratione Ciceronis his verbis p. 31. concludit: „Da die Schilderung des Pompejus die Hauptsache ausmacht, so ist die ganze Rede mehr eine Unterhaltung fürs Volk über seinen Liebling, den es auf diese Art einmal herrlich schildern hörte, als eine Rede zur Beförderung für den Manilischen Gesetzvorschlag. Was der Rede aber [als Staatsrede betrachtet] an innerer Gründlichkeit der Behandlung abgeht, sucht ihr Cicero durch den rhetorischen Werth dem Zwecke gemäfs, welchen er hatte, zu ersetzen. Die Rede zeichnet sich nämlich durch eine leicht zu überblickende Anlage des Plans, durch natürliche und deutliche Zergliederung in einzelne, stets interessante Punkte, durch eine glückliche und Eindruck machende Benutzung aller Momente und durch klare Verbindung der Gedanken aus. Sie unterhält ferner durch die stete Anschliefsung an die Geschichte der Zeit und ihre Deutung, durch die lebendigen Schilderungen der Kriege, durch die biographischen Skizzen und Charakterschilderungen des Lucullus, Mithridates, Tigranes und vorzüglich Pompejus, den er in seiner ganzen Laufbahn, wie in einer Reihe von Gemälden, darstellt, und dadurch zugleich ein Bild eines vollkommenen Feldherrn entwirft. Dazu kommt die vorzügliche Sorgfalt, die er auf die mannigfaltige Wendung und Verbindung der Gedanken, auf die Fülle und Kraft des Ausdrucks und auf den Wohllaut der Sprache wandte. Das ist ihr rhetorischer Werth, der sich ihr, wenn man gerecht sein will, nicht absprechen läfst. Er spricht selbst obiges Urtheil über sie aus im *Orator* c. 29.[32]), und hat durch sie einen praktischen Beweis für die *de Orat.* I, 48 sq. aufgestellte theoretische Behauptung gegeben, dafs ein Redner über einen Feldherrn, Staatsmann, Rechtsgelehrten, Philosophen eine gute Rede halten könne, ohne selbst das zu sein, weil nur eine bis zu einem gewissen Grade genaue Kenntnifs einer Sache dazu gehöre, um sie, wenn man Redner

32) *Is erit igitur eloquens, ut idem illud iteremus, qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere. Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae maiestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus.*

ist, zweckgemäfs darzustellen." Ob has virtutes oratio Pompeiana in rhetorum scholis multum lectitabatur, cui rei documento sunt cum grammaticorum testimonia frequentia, tum oratiunculae panegyricorum, quorum imitationes suo quamque loco in commentario indicavimus. Splendidissimis autem laudibus eam extulit M. Cornelius Fronto, qui in epistola de bello Parthico eam M. Antonino Aug. his verbis commendavit (p. 112. ed. Nieb.): *Nunc ut orationem istam Tulli, quam tibi legendam misi, paucis commendem: mihi profecto ita videtur, neminem umquam neque Romana neque Graecorum lingua facundius in contione populi laudatum, quam Cn. Pompeius in ista oratione laudatus est: ut mihi ille videatur non ita suis virtutibus, ut Ciceronis laudibus Magnus cognominatus. Tum praeterea multa istic reperies praesentibus consiliis tuis capita apte considerata, de ducibus exercituum deligendis, de commodis sociorum, tutela provinciarum ... quibus artibus praeditos esse oporteat imperatores ....* Reliqua in codice Frontonis evanuerunt.

CAPUT IV.

DE CODICIBUS ORATIONIS.

Ad orationem Pompeianam adhuc hi codices collati sunt:

1) *Palimpsesti Taurinensis fragmentum* (*T*), cuius lectiones vulgavit Peyron in edit. Fragm. Cic. ineditt. Stuttg. 1824. p. 205 sq.

2) *Codices Iani Gulielmii*, cuius schedis Gruterus usus est. Gulielmius, ut ipse testatur in Quaestt. Plautinis (Lutetiae 1583. 8vo.) p. 208., tres libros mstos ad hanc orationem consuluit, *Turingicum* (i. e. *Erfurtensem*), *Vuerdensem*, *Coloniensem basilicanum*. Nec tamen hos egregios libros totos excussit, satis habens insigniores quasdam emendationes ex illis protulisse, ut nunc ex accurata Erfurtensis collatione a Wundero facta et ex additamentis Freundii compertum habemus. Ex his tribus libris saepissime commemorat Hittorpianum, quippe qui, cum in optimis lectionibus cum duobus reliquis conspiret, plura tamen singularia habeat. Invenit hunc codicem Coloniae, ut ipsius verbis utar (Verisim. III. c. 16.), in aede maxima (s. basilica) publice servatum (Modius in Epist. Novant. 131. etiam accuratius eam appellat ecclesiam Metropolitanam), unde factum est, ut tribus nominibus unus idemque codex locis diversis a Grutero ex Gulielmii schedis aut opusculis criticis appelletur, modo Hittorpianus, modo Coloniensis (ut plerumque eum appellat Modius), rarius denique Basilicanus Coloniensis vel simpliciter Basilicanus, ut ad §§. 46. 61. 66. 67., add. Gul. Quaestt. Plaut. p. 208 sq. (Grut. Lamp. III, 2, p. 414.). Haec diversa nomina criticos in multos errores induxerunt, adeo ut Benecke ad §. 30. unam aliquam lectionem testimonio codd. Hitt. Basil. Colon. firmandam putaret, qui error non minus turpis est, quam si ab eo ad lectionem aliquam §. 5. adscriptum legimus:

„sic Erf., Col., tres codd. Guil.", qua nota ex tribus codicibus quinque conficiuntur. Quamquam enim non magna ad rem diiudicandam diligentia requirebatur, tamen neminem[1]) criticorum recentiorum praeter Steinmetzium (Praef. orr. sell. p. XI.) definite dicere memini, Hittorpianum et Coloniensem eundem codicem fuisse; nec minus exploratum est non alio codice Coloniensi Modium ad hanc orationem usum esse, qui ex eo haud paucas lectiones in Lectionibus Novantiquis protulit atque ad orationem emendendam adhibuit. Unum autem eundemque codicem fuisse inde patet, primum quod, cum tot lectiones ex eo afferantur, nusquam tamen ulla ex cod. Hittorpiano *et* Coloniensi, sed *vel* ex Hittorpiano *vel* ex Colon. *vel* denique ex Basilicano; deinde quod Gruterus nominatim eum dicit ad §. 21. Coloniensem librum Hittorpii, et ad §. 6. manuscriptum Hittorpii Coloniense; quo accedit, quod ipsius Gulielmii testimonio a Grutero ad initium orationis confirmato compertum habemus ei non plus tres codices in hac orat. praesto fuisse. Tantum de nomine libri praestantissimi, quem, ne error inveteratus propagetur, ubique Coloniensem (κ) nominavi. Quod autem supra significavi, Gulielmium non diligentissimum fuisse in codd. suis excutiendis multaque omisisse, hoc adeo valet de lectionibus illis, quas nominatim ex suis libris exscripsit; imprimis verborum collocationis nusquam fere rationem habuit, ut in talibus rebus nulla ei fides haberi possit, sed vix putes hominem ingeniosum eo processisse negligentiae, quo processit §. 58., ubi egregia lectione *rerumque gestarum Cn. Pompeio socius adscribitur* ex Colon. allata Gruterus addidit: „nihil tamen loco movere Guilielmium ausum esse, quod vulgata *(auctor, comes Cn. Pompeio adscr.)* exstet in Erfurtensi." At habet eandem lectionem, quae in Col. legebatur, id quod iam Graevius merito notavit[2]). Quare non sine aliquo fructu Modii Lectt. Novantiquas pervolvi, quibus collatis ad aliquot locos novam auctoritatem Coloniensis (κ) afferre potui. Desideratur quidem etiam in Modio diligentia critico necessaria, id quod ex multis signis comprobari potest, sed erat tamen maior Gulielmiana.

---

1) Errorem neque Orelli neque ipse Madvig, vitavit; v. Orell. Praef. ad Cic. oratt. sell. XV. pag. IX. et Madv. Opuscc. p. 132, et saepius. —
2) Ne iniquus videar, errorem eruditissimi iuvenis sic excusandum puto, ut existimem Gulielmium, cum ex itinere reversus in schedis suis nihil ex Erfurt. enotatum videret, illico sibi persuasisse, lectionem vulgatam in illo quoque cod. inveniri: quod novum est documentum, quam sit necessarium in boni codicis collatione ad locos gravissimos ipsam codicis auctoritatem adscribere, nec prius ad codicem conferendum accedere, quam perspectum habeas, ad quos locos maxime animum advertere oporteat.

3) *Codices Lambiniani.* Lambinus ad hanc orationem usus est codice (an codicibus?) Nic. Clerici et altero Errici Memmii; post editionem absolutam accepit a Fr. Fabricio Marcodurano de Cicerone egregie merito lectiones variae optimae notae, sed non ita multas, ex cod. vetusto Saxonico exscriptas. Ex hoc cod. enotatas, ut omnes, quae ex Erf. Col. et Verd. (*s*, *x*, *φ*,) allatae sunt, cum omni fide in apparatum criticum recepi, quamquam suspicari licet, codicem Fabricianum non alium fuisse, nisi unum ex Gulielmianis, fortasse Verdensem.

4) *Codex Ursini.* Is silentio praetermittendus esset, quoniam Ursinus tantum quattuor locis ex eo lectiones publicavit, nisi una eius lectio §. 16. (*absint* pro *adsint*) ingentes tragoedias excitasset.

5) *Codices Gruteri.* Grutero praeter apparatum Gulielmii codices Palatini, qui nunc in bibliotheca Vaticana asservantur, praesto erant, ex quibus ad hanc orationem sex commemoravit et praeterea librum suum Graterianum. Sed cum in toto negotio negligentissime atque inertissime versaretur, nihil fere insigne ex suis libris protulit; Palatinum nonum, optimum suorum librorum, ad hanc orationem fortasse ne evolverat quidem; saltem nusquam, si recte memini, eius auctoritate lectionem aliquam nominatim firmavit.

6) *Codices Graeviani.* Graevius praeter Erfurtensem, ex quo haud paucas lectiones a Gulielmio neglectas protulit, ad hanc orationem duobus libris Francianis et collatione cod. Dresdensis usus est, excerptis denique lectionum, quas Pithoeus exemplari suo editionis Lambinianae a. 1581. (Argent. 8vo.) adscripserat. Ne has quidem omnes enotavit, ut ipse libro inspecto cognovi, qui hodie in bibliotheca Heidelbergensi, in quam libri a Graevio collecti translati sunt, asservatur. Nolui tamen ab eo relictas proferre, quoniam ex codice notae deterioris depromptae sunt.

7) *Codices Oxonienses* ad hanc orat. novem collati sunt sic significati: C, H, S, T, ϐ, σ, χ^1, χ^3, ψ.

8) *Codex Barberinus*, quo usus est Garatoni, nec magni pretii nec integer est; nam non habet nisi octo priora capita orationis.

9) *Codices Parisini*, ut Lallemandum silentio praetermittam, Steinmetzio novem praesto fuerunt; sed praeterquam quod nullus ad praestantiam codicis Erfurtensis aliosve eiusdem familiae accedit, ob eam quoque causam critico non magnam utilitatem praebent, quod Steinmetzius singulas tantum lectiones, non universam collationem cum doctis communicavit.

10) *Codex Hauniensis*, quo usus est Madvigius in recensendis orationibus selectis XII. (Hauniae 1841. ed. II.), pertinet ad codices meliores familiae deterioris.

11) *Codices Monacenses.* Hos in usum Beneckei Krabingerus omni qua decet fide contulit. Numero sunt sex, quos Benecke sex prioribus

litteris litteraturae distinxit. Praeter eos Monachio accepit lectiones varias margini exempli Victoriani editionis Bononiensis a. 1499. adscriptas. Quamquam hae copiae diversi sunt pretii, nec unus codicum Monacc. in praestantioribus numerandus est, tamen Benecke eorum collatione diligentissima publicata bene de oratione meruit, cum inter tot codices, in quibus oratio exstat, uno excepto Erfurtensi nullus ante eum diligentia debita excussus fuerit. Horum enim codicum collatione tandem cognitum est haud paucas lectiones, quae ex alia in aliam editionem propagatae sunt, nulla codicum auctoritate stare, atque etiam ex codicibus secundi et tertii ordinis, ubi meliores desunt, haud exigua ad orationes Tullianas emendandas conferri posse.

12) *Codex Parcensis* (π), qui in hac oratione in §. 51. desinit. Eius lectiones margini editionis Manutianae a. 1554. a Levino Torrentio, Horatii commentatore, adscriptas Orelli in edit. oratt. sell. XV. (Turici 1836. 8.) publicavit. Ceterum cum silentium collatoris multis locis suspectum sit, non appellavimus hunc codicem nisi quibus locis nominatim ex eo lectiones a Torrentio allatae sunt.

13) *Codices a me primo usurpati.* Mihi ipsi contigit, ut lectiones *codicis Tegernseensis* (τ) praestantissimi, qui, cum monasteria in Bavaria publicata sunt, aut fraude surreptus aut incuria dilaceratus est, nunc primum ex schedis Garatonianis publicarem. Eius collationem, quam Io. Chr. Harlesius a. 1789. Garatonio miserat, Theodorus Mommsen Ravennae descripsit et perhumaniter mihi dono misit. Est idem codex, quo Garatonius ad emendandas orationes pro Plancio et p. Milone usus est, neque nos movere debet, quod in Praef. ad Curas secundas in Planc. (Bononiae 1815. 4 min.) p. IX. ipse testatur se varietates codicis optimi tantum ad quattuor orationes accepisse, praetermissis orationibus de Imp. Cn. Pomp. et p. Marcello, ad quarum utramque collatio Tegernseensis eadem manu facta eodemque nomine appellata in schedis Garat. inventa est. Sed noluit, opinor, harum orationum collationem commemorare, quod non plenae in illo codice legebantur, sed utriusque tantum exigua pars continebatur. Ut omittam argumenta ex ipsa codicis indole ac natura petenda, hoc quoque signi est utriusque fragmenti collationem ex eodem codice fluxisse, quod Harlesius, ut ex ipsius epistolis, quae in schedis Garatonianis exstant, cognovi, anno post Garatonio collationem orationum in Catilinam sua manu factam (prius missae alienam eandemque produnt) misit. Haec quoque ex vetusto codice Tegernseensi petita est, sed ex alio, cuius rei certissimum signum est, quod codex Tegernseensis, qui Invectivas in Catil. continet, hodie Monachii exstat[3]), atque in eo nullum vestigium aliarum illarum orationum apparet.

3) Eundem esse satis superque mihi persuasi, cum specimina colla-

Praeterea a C. T. Zumptio v. cl. lectiones *codicis Berolinensis*, quem ipse ad editionem Garatonianam diligentissime contulit, accepi. Is codex est membranaceus, olim Santenianus, nunc inter Diezianos B. nro. 149., saeculi XV., sed accurate scriptus. Praeter Pompeianam orationes pro M. Marcello, p. Q. Ligario, p. Rege Deiotaro, Catilinarias IV, p. Archia poeta, denique Crispi Sallustii in M. T. C. et M. Tullii in Cr. Sallustium continet. Est ille quidem ex familia deteriore sive Italica, sed melioribus huius familiae adnumerandus, quippe qui saepius quam alii eiusdem familiae cum Erfurtensi conspiret.

Alius codicis eiusdem familiae lectiones Tycho Mommsen vir amicissimus mihi Roma misit, quas Perusiae diligentissime exscripserat. Is codex est Philippi Senesii Perusini, clar. Adv. Rotal. Rom., chartaceus saec. XIV. form. max., et XXV orationes Ciceronis continet. Utriusque codicis collationes publicavi, ut ex meis quoque copiis appareret, quid inter duas codicum familias interesset. Ob similem causam, ut et lectionis vulgatae fontes cognoscerentur et ad historiam criticam orationum Tullianarum quasi via quaedam muniretur, sex editiones veteres omni qua poteram diligentia contuli, sed lectiones exscriptas ita publicavi (v. infra indicem siglorum), ut ex labore taedii pleno apparatus critici moles ne in nimium excresceret. Editionem autem Venetam a. 1471. (v) totam illam quidem contuli, sed, quoniam vitiis scatet et in plerisque locis cum Ascensiana a. 1511. conspirat, tantum iis locis commemorandam putavi, quibus vetustissima illa editio bonam lectionem, a vulgata quae dicitur dissidentem, aut ob aliam causam memorabilem exhibet.

Iam si de codicum cognatione atque auctoritate quaeritur, omnino dubium esse non potest, quin codices, qui adhuc in hanc orationem collati sunt, in duas familias se findant, quarum alteram Germanicam, alteram Italicam dixeris, et quin in codicibus familiae Germanicae ut in aliis orationibus sic in hac scriptura genuina multo sincerior servata sit quam in Italicae. Ac tanta est tamque manifesta in hac oratione familiae Germanicae praestantia, ut nisi in paucissimis locis alterius familiae codices ne in censum quidem venire possint. Neque opus est hodie in re explorata argumentis (v. tamen quae de praestantia cod. Erfurtensis in hac oratione Wunderus in Praef. ad Var. Lectt. etc. p. LXI sqq. et Benecke p. XVI sqq. accurate disputaverunt); illud tamen non est silentio praetermittendum, codicis Erfurt. auctoritatem, quem unum ex ea familia integrum superstitem atque accurate collatum habemus, aliis quoque testibus eisque locupletissimis confirmari, locis dico,

---

tionis Harlesianae Ravenna mihi missa cum nova huius optimi codicis collatione compararem, quam in meum usum Carolus Prantl, professor in universitate Monacensi, accuratissime instituit.

quos Aulus Gellius et Arusianus Messius ex oratione citant, et lemmatis scholiastae Gronoviani, quae utcunque partim corrupta sunt, tamen ex optimo fonte fluxisse apparet. Pertinent autem ad familiam Germanicam praeter *Erfurtensem palimpsestus Taurinensis*, *Tegernseensis*, *Coloniensis*, *Verdensis*, *Fabricianus*, *Parcensis*, *Lambiniani* denique, quamquam de his incertius iudicium est. Horum omnium codicum vel potius reliquiarum eorum lectiones in apparatu critico congessi, tantaque diligentia in re laboriosa mihi versatus esse videor, ut aliquoties rectius, quam ab Orellio et ab ipso Beneckeo factum est, lectiones indicare possem, quod dixi, non quo ipse meas laudes decantare vellem, sed ne quis lectionem a me alicuius codicis auctoritate testatam in suspicionem vocaret, priusquam ipse fontes adiisset. Magnopere autem delendum est, quod praeter Erfurtensem ex nullo eiusdem familiae diversitatem lectionis integram habemus; ita enim in maximis rebus conspirant, ut tamen haud pauci loci sint, in quibus in diversas partes abeunt neque ita facile est ad diiudicandum, cuius auctoritati potissimum obtemperandum sit. Omissa igitur disputatione de ratione, quae inter codices duarum familiarum intercedit, quam hodie quidem supervacaneam habeo, lectiones gravissimas, in quibus unus alterve reliquorum codicum ab Erfurtensi discrepat, sub unum conspectum subiicere operae pretium videtur; sic enim fortasse rectius de aliquot locorum scriptura iudicari poterit, quam si singulae lectiones per se ipsae separatim examinantur. Omisimus autem in hac quaestione codicem Fabricianum, Verdensem Lambinianosque, quippe ex quibus pauciores lectiones singulares quam ex reliquis eiusdem familiae afferantur.

Fragmentum Taurinense, quamvis breve sit nec plus tres §§. orationis contineat, egregias tamen emendationes vulgatae submministravit, sed quae pleraeque codice Erf. (= ε) vel alio eiusdem familiae confirmantur. Solus veram lectionem §. 41. *ea temperantia* pro *hac temp.* servavit, alio loco §. 43. auctoritatem codicis Col. (= κ), ubi ipse *opinione et fama*, κ *opinione ac fama*, reliqui omnes *opinione famae* habent, in illustri lumine collocavit. Nec tamen erroribus vacat; quos tamen habet, tales sunt, qui a librariis saepissime committantur.

Difficilius de nonnullis lectionibus, quas Coloniensis (κ) singulares habet, iudicari potest. Aliae enim in eo solo inveniuntur, quae magnam veritatis speciem habent, aliae, quae interpolationis suspicionem non possunt non movere; aliae denique, in quibus dubius haereas, huicne an Erfurtensi sit maior fides habenda. Ac verae quidem hae lectiones videntur: §. 66, ubi solus hoc colon servavit: *qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum*, ut item alio ex ε §. 12. oratio aucta est; §. 16. *quo tandem igitur animo*, ubi in cett. *igitur* deest; §. 52. *multa item contra eam legem verba fecisti* cum φ pro *multa idem*; §. 55. *in hunc ipsum locum escendere* p. *ascendere*; §. 43. *opinione ac* (vel *et*)

fama cum T; quo accedunt formae vetustiores §. 18. *reciperare* et §. 23. genitivus *Tigrani*, sed *partim* §. 26. pro *partem* dubito num verum sit. Vix minus verae videntur lectiones, quamquam dubitare possis, §. 21. *studio atque odio inflammata*, ubi in reli. *atque odio* deest, ibidem *ut vos intelligatis* cum $\pi\varphi$ pro *ut hoc vos i.*; §. 28. *e ludo atque e pueritiae disciplinis* cum φ et Lamb., ubi reliqui alterum *e* omittunt; §. 40. *qua sit temperantia* cum π (quamquam in $\varkappa$ leviter corruptum *quae* legitur) pro *qualis sit temp.*; etiam §. 6. *genus est belli ciusmodi* lectioni in ε *genus est enim b. e.* posthabere non possum. Speciosae deinde sunt lectiones §. 26. *vestro iussu coacti qui ... putavistis* pro *quod putav.*; §. 35. *duabus Hispaniis et Gallia Transalpina praesidiis ac navibus confirmatis* pro *confirmata*, ubi praecedentes plurales pluralem traxisse videntur; §. 42. *vos quoque* p. *vos Quirites*; §. 44. *quantam vix in summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset*, quam ego quidem a me impetrare non possum ut vulgatae *ex summa* postponam; §. 56. *ut aliquando vere videremini ... imperare* pro *videremur*, ubi quod praecedit *non modo nos ... liberavit* lectionem Coloniensis potius firmare quam elevare videtur; §. 58. *cuiusquam iniquitas* p. c. *inimicum edictum*, quae lectio aliquam commendationem ex scholiastae lemmate depravato *cuiusque initia* habet, sed tamen eam, qua criticus sobrius decipi non debeat, v. adnot.; §. 65. *propter diripiendi facultatem* pro *p. d. cupiditatem*; §. 67. *neque nos ... assequi* cum φ et Lamb. pro *neque eos*; at v. adn. ad h. l.; speciosum est etiam §. 27. *quale esset hoc bellum, genere ipso necessarium, magnitudine periculosum* p. *quare*, sed verum nolim putare; speciosissima denique lectio §. 24. *eorum opera qui ad eum ex ipsius regno concesserant*, qua locus admodum dubius in integrum restitutus videretur, nisi voc. *opera* hanc lectionem de interpolatione suspectam redderet. Speciosae sunt etiam nonnullae verborum omissiones, quamquam aliae et fortasse pleraeque librarii incuria aut interpolatione ortae sunt; ad prius genus pertinet impr. §. 46. *quibus erat semper molestum ad eum potissimum esse missum*, ubi $\varkappa$ cum π et Franciano primo *semper* omittit; §. 7. *uno nuntio atque una significatione* pro *una sign. litterarum*, ubi tamen incerta sedes voc. *litterarum* vix ullum momentum habet ad vocabulum in suspicionem adducendum, quod in libris deterioribus saepissime in hac oratione verba suo loco mota apparent; §. 13. *unum virum esse, in quo sint omnia* p. *in quo sint summa omnia*, ut in aliis locis orationis legitur; §. 26. *quantum bellum factum putetis, quod coniungant* etc. pro *quantum illud b.*; §. 44. *vilitas* pro *vilitas annonae*. Ut aliquot harum omissionum interpolationis suspicione non sunt liberae, sic aliae eodem nomine aut propter librarii negligentiam notandae sunt, ut §. 9. *potuisset* omittitur, §. 32. *liberam*, §. 35. praepositio ante *Pamphyliam*. Praeter has numeravi duodecim lectionis diversitates insigniores, quae omnes certo reiicien-

quos Aulus Gellius et Arusianus Messius ex oratione citant, et lemmatis scholiastae Gronoviani, quae utcunque partim corrupta sunt, tamen ex optimo fonte fluxisse apparet. Pertinent autem ad familiam Germanicam praeter *Erfurtensem palimpsestus Taurinensis*, *Tegernseensis*, *Coloniensis*, *Verdensis*, *Fabricianus*, *Parcensis*, *Lambiniani* denique, quamquam de his incertius iudicium est. Horum omnium codicum vel potius reliquiarum eorum lectiones in apparatu critico congessi, tantaque diligentia in re laboriosa mihi versatus esse videor, ut aliquoties rectius, quam ab Orellio et ab ipso Beneckeo factum est, lectiones indicare possem, quod dixi, non quo ipse meas laudes decantare vellem, sed ne quis lectionem a me alicuius codicis auctoritate testatam in suspicionem vocaret, priusquam ipse fontes adiisset. Magnopere autem dolendum est, quod praeter Erfurtensem ex nullo eiusdem familiae diversitatem lectionis integram habemus; ita enim in maximis rebus conspirant, ut tamen haud pauci loci sint, in quibus in diversas partes abeunt neque ita facile est ad diiudicandum, cuius auctoritati potissimum obtemperandum sit. Omissa igitur disputatione de ratione, quae inter codices duarum familiarum intercedit, quam hodie quidem supervacaneam habeo, lectiones gravissimas, in quibus unus alterve reliquorum codicum ab Erfurtensi discrepat, sub unum conspectum subiicere operae pretium videtur; sic enim fortasse rectius de aliquot locorum scriptura iudicari poterit, quam si singulae lectiones per se ipsae separatim examinantur. Omisimus autem in hac quaestione codicem Fabricianum, Verdensem Lambinianosque, quippe ex quibus pauciores lectiones singulares quam ex reliquis eiusdem familiae afferantur.

Fragmentum Taurinense, quamvis breve sit nec plus tres §§. orationis contineat, egregias tamen emendationes vulgatae subministravit, sed quae pleraeque codice Erf. (= ε) vel alio eiusdem familiae confirmantur. Solus veram lectionem §. 41. *ca temperantia* pro *hac temp.* servavit, alio loco §. 43. auctoritatem codicis Col. (= κ), ubi ipse *opinione et fama*, κ *opinione ac fama*, reliqui omnes *opinione famae* habent, in illustri lumine collocavit. Nec tamen erroribus vacat; quos tamen habet, tales sunt, qui a librariis saepissime committantur.

Difficilius de nonnullis lectionibus, quas Coloniensis (κ) singulares habet, iudicari potest. Aliae enim in eo solo inveniuntur, quae magnam veritatis speciem habent, aliae, quae interpolationis suspicionem non possunt non movere; aliae denique, i[illegible]ibus dubius haerea[illegible] huicne an Erfurtensi sit maior fides haben[illegible] verae quidem lectiones videntur: §. 66, ubi solus hoc co[illegible]t: *qui ab or tis fanorum atque oppidorum*, ut item a[illegible], oratio [illegible] §. 16. *quo tandem igitur animo*, ubi [illegible] deest; *item contra eam legem verba feci*[illegible] multa i *hunc ipsum locum escendere* p. a[illegible]

fama cum T; quo accedunt formae vetustiores §. 18. *reciperare* et §. 23. genitivus *Tigrani*, sed *partim* §. 26. pro *partem* dubito num verum sit. Vix minus verae videntur lectiones, quamquam dubitare possis, §. 21. *studio atque odio inflammata*, ubi in rell. *atque odio* deest, ibidem *ut vos intelligatis* cum $\pi\varphi$ pro *ut hoc vos i.*; §. 28. *e ludo atque e pueritiae disciplinis* cum φ et Lamb., ubi reliqui alterum *e* omittunt; §. 40. *qua sit temperantia* cum π (quamquam in $\varkappa$ leviter corruptum *quae* legitur) pro *qualis sit temp.*; etiam §. 6. *genus est belli eiusmodi* lectioni in ε *genus est enim b. e.* posthabere non possum. Speciosae deinde sunt lectiones §. 26. *vestro iussu coacti qui ... putavistis* pro *quod putav.*; §. 35. *duabus Hispaniis et Gallia Transalpina praesidiis ac navibus confirmatis* pro *confirmata*, ubi praecedentes plurales pluralem traxisse videntur; §. 42. *vos quoque* p. *vos Quirites*; §. 44. *quantam vix in summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset*, quam ego quidem a me impetrare non possum ut vulgatae *ex summa* postponam; §. 56. *ut aliquando vere videremini ... imperare* pro *videremur*, ubi quod praecedit *non modo nos ... liberavit* lectionem Coloniensis potius firmare quam elevare videtur; §. 58. *cuiusquam iniquitas* p. *c. inimicum edictum*, quae lectio aliquam commendationem ex scholiastae lemmate depravato *cuiusque initia* habet, sed tamen eam, qua criticus sobrius decipi non debeat, v. adnot.; §. 65. *propter diripiendi facultatem* pro *p. d. cupiditatem*; §. 67. *neque nos ... assequi* cum φ et Lamb. pro *neque eos*; at v. adn. ad h. l.; speciosum est etiam §. 27. *quale esset hoc bellum, genere ipso necessarium, magnitudine periculosum* p. *quare*, sed verum nolim putare; speciosissima denique lectio §. 24. *eorum opera qui ad eum ex ipsius regno concesserant*, qua locus admodum dubius in integrum restitutus videretur, nisi voc. *opera* hanc lectionem de interpolatione suspectam redderet. Speciosae sunt etiam nonnullae verborum omissiones, quamquam aliae et fortasse pleraeque librarii incuria aut interpolatione ortae sunt; ad prius genus pertinet impr. §. 46. *quibus erat semper molestum ad eum potissimum esse missum*, ubi $\varkappa$ cum π et Franciano primo *semper* omittit; §. 7. *uno nuntio atque una significatione* pro *una sign. litterarum*, ubi tamen incerta sedes voc. *litterarum* vix ullum momentum habet ad vocabulum in suspicionem adducendum, quod in libris deterioribus saepissime in hac oratione verba suo loco  meta apparent; §. 13. *unum virum esse, in quo sint omnia* p. *in quo summa omnia*, ut in aliis locis orationis legitur; §. 26. *quantum factum putetis, quod coni[illegible]t* etc. pro *quantum illud b.*; §. 44. pro *vilitas annonae* [illegible]arum omissionum interpolatio- [illegible]picione non [illegible]e eodem nomine aut propter [illegible] §. 9. *potuisset* omittitur, §. 32. [illegible]iam. Praeter has numeravi [illegible] quae omnes certo reiicien-

tuit orator, qui rei, quam ipse sequebatur (id autem agebat, ut populus in voluntate sua permaneret, non ut verbis suis regeretur), convenientissimus erat, non eum, qui in deliberatione de re publica requiri videbatur. Si enim ad hanc normam orationem suam revocare vellet, non de necessitate aut magnitudine belli aut de Pompeii virtutibus dicendum, sed illud potius disceptandum erat, in quo vera rei publicae utilitas consistebat. Agebatur enim, utrum magis rei publ. extimescendum esset, bellumne, quod a regibus Asiaticis imminebat, an amplitudo viri, in quo iam tot nova constituta erant; num tanta esset belli illius magnitudo, ut iterum a maiorum institutis deflecti necesse esset; num unus esset Pompeius, cui bellum committi posset; num denique talem se in vita ante acta praestitisset, ut ne minimum quidem verendum esset, ne quando in perniciem civium suorum potestate extraordinaria atque inaudita uteretur. Sed has omnes quaestiones orator silentio praetermisit, non quod a re alienas existimaret, sed quod statui causae, quem ipse sibi conformarat, infestas esse cognovit. Quare non id agebat, ut subtili argumentatione sententias contrarias adversariorum refelleret, et quam inanis ab iis metus opponeretur ostenderet, sed talia proferebat, quae populum libenter auditurum esse speraret eiusque voluntatem atque sententiam magis confirmarent[23]).

His propositis strictim examinemus, qua ratione Cicero singulas orationis partes persecutus sit. Postquam in exordio causas exposuit, quibus factum sit, ut tum primum apud populum ageret, et deinde dilucida narratione rem, de qua acturus erat, proposuit, totam orationis argumentationem ita partitur, ut primum de genere belli sive necessitate eius, deinde de magnitudine, denique de imperatore ad id bellum deligendo sibi dicendum esse demonstret. Duabus prioribus confirmationis partibus orator supersedere poterat, si verum causae statum constituere voluisset, id quod ipse aperte in principio confutationis indicat, cum dicit §. 51: *omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem; atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me ad-*

23) „Da Cic. nicht einen Vorschlag zu empfehlen hatte gegen ein Volk, das dagegen gestimmt war und daher hätte überredet werden müssen, so gilt es ihm mehr der Gesinnung und dem Verlangen des Volkes gleichsam Kraft und Bedeutung zu geben, dadurch dafs er dessen Meinung in einer deutlichen, schönen und durch die Anknüpfung an die Geschichte der Zeit eben so belehrenden als unterhaltenden Auseinandersetzung darstellte. Darauf beruht die ganze Eintheilung und der Gang der im Sinne des Volks sprechenden Rede. Davon zeugt auch der ruhige Ton, indem keine starken Ausdrücke der Ueberredung vorhanden sind. Fast alle Schlufsfolgen sind mit der Formel gemacht: *Wird noch jemand zweifeln?* die blos in der Form verändert ist; s. Cap. 7. 10. 14. 15. 16. 23. 24." Haun p. 30.

huc dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Nam necessarium bellum omnibus visum esse iam inde apparet, quod nunquam intermissum erat; neque de magnitudine eius, quamquam eam orator nimis exaggeravit, in hoste dubitatio esse poterat, qui post tot clades nondum devictus esset: sed necessariae erant hae duo partes in fine quem orator sibi proposuerat, ad quem omnis totius orationis ratio conferenda erat. His enim diligenter pertractatis in eam opinionem populum adducere conabatur, tale esse bellum, quod maxime ad persequendi studium excitare deberet, quod magnis copiis magnoque apparatu quasi de integro gerendum, quod denique ei imperatori demandandum esset, cuius summae essent virtutes imperatoriae. Hoc quasi aditu sibi patefacto in tertia confirmationis parte, quae in genere demonstrativo versatur [24]), ad propriam quaestionem accedit, et virtutibus, quas magnus imperator habere debeat, enumerandis, quas summas in Cn. Pompeio omnes inesse ostendit, probare conatur, Pompeium unum dignissimum esse, qui tanto bello praeficiatur. Eadem argumentandi ratione iam Gabinius, si Cassio Dioni [25]) fidem habemus, in rogatione sua usus erat, cum earundem virtutum enumeratione Pompeium populo commendaret. Quamquam autem non ita difficile foret ostendere, oratorem laudibus Pompeii nonnulla immiscuisse, quae iustum rerum existimatorem potius deterrere quam impellere debebant, ut Pompeio suffragaretur, tamen negari non poterit, eum in hac orationis parte singulari quadam arte versatum esse, et quamvis Pompeium laudibus cumularet, tamen in singulis tanta moderatione usum esse, ut laus ex vera animi adfectione profecta esse, non nimia verborum aut rerum exaggeratione ut inanem ac fucatam se ipsa prodere videatur. Ac virtus quidem oratoris imprimis in iis locis elucet, in quibus quanta virtute Pompeius bellum piraticum gesserit identidem praedicat, quod Catulus ipse ab uno imperatore administrari posse negaverat [26]), atque in magnis laudibus, quibus Pompeii temperantiam effert, quibus quidem hoc ostendere conatur, etiam si qui signis collatis exercitus regios superare posse videantur (§. 66.), tamen eos non continuo idoneos haberi posse, qui in provinciam divitem ac paratam peccantibus [27]) mittantur.

---

24) Cf. Auct. ad Herenn. III. c. 8. *Et si separatim haec causa minus saepe tractatur, at in iudicialibus et in deliberativis causis saepe magnae partes versantur laudis aut vituperationis. Quare in hoc quoque causae genere nonnihil industriae consumendum putemus.* — 25) Lib. 36. c. 10. Dionis verba ipsa in Comment. ad §§. 27. et 28. attulimus. — 26) Dio 36, 18: *ἐκεῖνο δὲ δὴ σκοπεῖν ὑμᾶς ἀξιῶ, ὅτι οὐδὲ οἷόν τέ ἐστιν ἕνα ἄνδρα πάσης τῆς θαλάσσης ἐπάρξαι, καὶ πάντα τὸν πόλεμον τοῦτον ὀρθῶς διοικῆσαι κτλ.* — 27) Tac. Agric. c. 6.

Cum hoc sit argumentum praecipuum, quo Pompeium commendat, mirum videri non potest, quod eandem rem post confutationem iterum longiore amplificatione [28]) persequitur; populo enim persuadere conatur, si qua dubitatio adhuc supersit, in misera terrarum Asiaticarum conditione eam solam causam satis gravem videri debere, cur non alii imperatori administratio belli Asiatici committi possit. Illud quoque prudentissime ab oratore institutum est, quod in fine confirmationis ad ceteras utilitates eam quoque opportunitatem adiungi dicit (§. 50.), ut Pompeius in iis ipsis locis cum exercitu adsit, quod argumentum tanto gravius videri debebat, quanto tristiorem rerum Romanarum statum in illis regionibus descripserat; hoc enim allato significat a nullo imperatore nisi ab uno Pompeio felicem rerum eventum exspectari posse, idque eo certius, *cum suo adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium represserit ac retardarit* [29]).

Sequitur deinde confutatio adversariorum, quae infirmissima orationis pars existimanda est. Cum orator suasione sua ostendere conetur, in quaestione proposita rei publicae utilitatem felici belli eventu contineri populique et rei publicae rationes atque commoda una eademque esse habenda, consectarium erat eum in confutatione quoque reliquis omissis, quae in causa publica disceptanda erant, nihil nisi finem sibi propositum spectavisse. Ac primum quidem Hortensium, qui negaverat ad unum omnia deferenda esse, ita refutat, ut istud argumentum iam obsoletum esse et re ipsa refutatum dicat, quoniam idem Hortensius iam in rogatione Gabinia contra dixisset, quasi aut tum falsum dixerit aut propterea rogationi repugnaverit, quod bellum illud virtute Pompeii confici posse diffideret. Pro eo igitur ut doceat vanum esse eorum metum, quibus honores et potestates in eundem iterum iterumque congestae rei publicae perniciosae videantur, obiectionemque adversariorum, quae post novam Pompeii victoriam etiam gravior videri debebat, rerum Romanarum statu atque historia ipsa refelli, amplificatione oratoria miseriam et turpitudinem illius temporis, quo populus R. bello piratico premebatur, depingit laudibusque Pompeium onerat, quod eius virtute populo gloria sua atque imperium restitutum sit. Atque etiam aperte significat, ut antea in rogatione Gabinia, sic in hac quoque lege Manilia homines quosdam, non quo rei publ. consultum velint, sed ob meram invidiam Pompeio obtrectare; eadem Gabinium quoque etiamnunc premi, cui non concedatur, ut Pompeio legetur, quamquam in exercitu Pompeii etiam praecipuo iure esse debeat. Deinde se convertit ad Q. Catuli auctoritatem elevandam, qui negaverat novi quidquam contra exempla atque instituta maiorum fieri debere.

28) v. adn. in Comment. ad §. 64. — 29) Cic. §. 13.

Quod si vir ille patriae amantissimus dixit, ipsum profecto non latuit maiores dubiis temporibus rei publ. aliquando a suis institutis deflexisse; sed exemplis Marii et Sullae [30]) iam in rogatione Gabinia dissuadenda luculenter ostenderat, cum quanto rei publicae discrimine uni alicui viro imperia iterata atque extraordinaria commissa essent. Verum quamquam prudenter tum iterum populum monuerat, ut caveret, ne denuo in uno viro salus rei publicae periclitaretur, tamen orator eius sententiam quasi in pugna gladiatoria plane eludit eoque impudentiae procedit, ut ipso Marii exemplo atque adeo enumeratione eorum, quae in uno Pompeio nova constituta sunt, levitatem auctoritatis viri summi probare conetur. Possit haec verborum calumnia quasi desipiens videri [31]), cum orator ipse argumenta suppeditet, quibus eius rationes impugnari possint; sed cogitandum est oratorem apud populum verba facere, apud quem argumenta fallacia saepe non minus quam vera valebant. Id enim agit, ut populum in eam opinionem deducat, Pompeium hominem plane singularem esse et quasi divina virtute praeditum, ut nemo praeter eum tantae rei gerendae par haberi possit. Si enim civitas multos eius similes haberet, non senatum aut populum Ro. toties uni eidemque viro extraordinarias potestates delaturum fuisse. Qua in re simul callide significat optimates ipsos, qui nunc tam acriter Pompeii dignitati adversentur, suo exemplo praeivisse, ut in eo viro leges atque instituta maiorum migrarentur; desinant igitur graviter ferre, si iam idem populum velle ac facere videant. In extrema autem confutatione aliorum virorum auctoritatibus causam suam confirmat, quibus Hortensio et Catulo, dummodo auctoritatibus opus sit, se respondere posse confidit.

---

30) Dio 36, 14: *Ἐγὼ τοίνυν πρῶτον μὲν καὶ μάλιστά φημι δεῖν μηδενὶ ἀνδρὶ τοσαύτας κατὰ τὸ ἐξῆς ἀρχὰς ἐπιτρέπειν. Τοῦτο γὰρ καὶ ἐν τοῖς νόμοις ἀπηγόρευται καὶ τῇ πείρᾳ σφαλερώτατον ὂν πεφώραται. Οὔτε γὰρ τὸν Μάριον ἄλλο τι ὡς εἰπεῖν τοιοῦτον ἐποίησεν, ἢ ὅτι τοσούτους τε ἐν ὀλιγίστῳ χρόνῳ πολέμους ἐνεχειρίσθη, καὶ ὕπατος ἑξάκις ἐν βραχυτάτῳ ἐγένετο· οὔτε τὸν Σύλλαν, ἢ ὅτι τοσούτοις ἐφεξῆς ἔτεσι τὴν ἀρχὴν τῶν στρατοπέδων ἔσχε, καὶ μετὰ τοῦτο δικτάτωρ, εἶθ' ὕπατος ἀπεδείχθη. Οὐ γάρ ἐστιν ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων φύσει ψυχὴν μὴ ὅτι νέαν, ἀλλὰ καὶ πρεσβυτέραν, ἐν ἐξουσίαις ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐνδιατρίψασαν, τοῖς πατρίοις ἤθεσιν ἐθέλειν ἐμμένειν.* — 31) Verissime Haunius p. 23: „Das heifst doch allen vernünftigen Gründen aus dem Wege gehen, und die Worte im Munde herumdrehen, was man bei dieser wichtigen Sache wohl nicht dadurch entschuldigen kann, dafs es Cicero als Redner vor Gericht gewohnt war, wo oft spitzfindige Umdrehungen und Wortspiele grofse Wirkungen machten, weil es mehr auf Ueberredung als auf Ueberzeugung abgesehen war."

In peroratione denique orator C. Manilium cohortatur, ut in sententia sua permaneat; auxilium suum ei populoque Ro. ad rem perficiendam pollicetur, denique quidquid in causa susceperit, id se rei publ. causa suscepisse confirmat atque contestatur.

His expositis non possum quin rectum iudicium, quod Hannius, vir subtilis ingenii, de oratione universa tulit, cum lecturis communicem. Is enim commentationem suam de lege Manilia et suasione Ciceronis his verbis p. 31. concludit: „Da die Schilderung des Pompejus die Hauptsache ausmacht, so ist die ganze Rede mehr eine Unterhaltung fürs Volk über seinen Liebling, den es auf diese Art einmal herrlich schildern hörte, als eine Rede zur Beförderung für den Manilischen Gesetzvorschlag. Was der Rede aber [als Staatsrede betrachtet] an innerer Gründlichkeit der Behandlung abgeht, sucht ihr Cicero durch den rhetorischen Werth dem Zwecke gemäfs, welchen er hatte, zu ersetzen. Die Rede zeichnet sich nämlich durch eine leicht zu überblickende Anlage des Plans, durch natürliche und deutliche Zergliederung in einzelne, stets interessante Punkte, durch eine glückliche und Eindruck machende Benutzung aller Momente und durch klare Verbindung der Gedanken aus. Sie unterhält ferner durch die stete Anschliefsung an die Geschichte der Zeit und ihre Deutung, durch die lebendigen Schilderungen der Kriege, durch die biographischen Skizzen und Charakterschilderungen des Lucullus, Mithridates, Tigranes und vorzüglich Pompejus, den er in seiner ganzen Laufbahn, wie in einer Reihe von Gemälden, darstellt, und dadurch zugleich ein Bild eines vollkommenen Feldherrn entwirft. Dazu kommt die vorzügliche Sorgfalt, die er auf die mannigfaltige Wendung und Verbindung der Gedanken, auf die Fülle und Kraft des Ausdrucks und auf den Wohllaut der Sprache wandte. Das ist ihr rhetorischer Werth, der sich ihr, wenn man gerecht sein will, nicht absprechen läfst. Er spricht selbst obiges Urtheil über sie aus im *Orator* c. 29.[32]), und hat durch sie einen praktischen Beweis für die *de Orat.* I, 48 sq. aufgestellte theoretische Behauptung gegeben, dafs ein Redner über einen Feldherrn, Staatsmann, Rechtsgelehrten, Philosophen eine gute Rede halten könne, ohne selbst das zu sein, weil nur eine bis zu einem gewissen Grade genaue Kenntnifs einer Sache dazu gehöre, um sie, wenn man Redner

32) *Is erit igitur eloquens, ut idem illud iteremus, qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere. Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae maiestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus.*

ist, zweckgemäfs darzustellen." Ob has virtutes oratio Pompeiana in rhetorum scholis multum lectitabatur, cui rei documento sunt cum grammaticorum testimonia frequentia, tum oratiunculae panegyricorum, quorum imitationes suo quamque loco in commentario indicavimus. Splendidissimis autem laudibus eam extulit M. Cornelius Fronto, qui in epistola de bello Parthico eam M. Antonino Aug. his verbis commendavit (p. 112. ed. Nieb.): *Nunc ut orationem istam Tulli, quam tibi legendam misi, paucis commendem: mihi profecto ita videtur, neminem umquam neque Romana neque Graecorum lingua facundius in contione populi laudatum, quam Cn. Pompeius in ista oratione laudatus est: ut mihi ille videatur non ita suis virtutibus, ut Ciceronis laudibus Magnus cognominatus. Tum praeterea multa istic reperies praesentibus consiliis tuis capita apte considerata, de ducibus exercituum deligendis, de commodis sociorum, tutela provinciarum ... quibus artibus praeditos esse oporteat imperatores ....* Reliqua in codice Frontonis evanuerunt.

CAPUT IV.

DE CODICIBUS ORATIONIS.

Ad orationem Pompeianam adhuc hi codices collati sunt:

1) *Palimpsesti Taurinensis fragmentum* (*T*), cuius lectiones vulgavit Peyron in edit. Fragm. Cic. ineditt. Stuttg. 1824. p. 205 sq.

2) *Codices Iani Gulielmii*, cuius schedis Gruterus usus est. Gulielmius, ut ipse testatur in Quaestt. Plautinis (Lutetiae 1583. 8vo.) p. 208., tres libros matos ad hanc orationem consuluit, *Turingicum* (i. e. *Erfurtensem*), *Vuerdensem*, *Coloniensem basilicanum*. Nec tamen hos egregios libros totos excussit, satis habens insigniores quasdam emendationes ex illis protulisse, ut nunc ex accurata Erfurtensis collatione a Wundero facta et ex additamentis Freundii compertum habemus. Ex his tribus libris saepissime commemorat Hittorpianum, quippe qui, cum in optimis lectionibus cum duobus reliquis conspiret, plura tamen singularia habeat. Invenit hunc codicem Coloniae, ut ipsius verbis utar (Verisim. III. c. 16.), in aede maxima (s. basilica) publice servatum (Modius in Epist. Novant. 131. etiam accuratius eam appellat ecclesiam Metropolitanam), unde factum est, ut tribus nominibus unus idemque codex locis diversis a Grutero ex Gulielmii schedis aut opusculis criticis appelletur, modo Hittorpianus, modo Coloniensis (ut plerumque eum appellat Modius), rarius denique Basilicanus Coloniensis vel simpliciter Basilicanus, ut ad §§. 46. 61. 66. 67., add. Gul. Quaestt. Plaut. p. 208 sq. (Grut. Lamp. III, 2, p. 414.). Haec diversa nomina criticos in multos errores induxerunt, adeo ut Benecke ad §. 30. unam aliquam lectionem testimonio codd. Hitt. Basil. Colon. firmandam putaret, qui error non minus turpis est, quam si ab eo ad lectionem aliquam §. 5. adscriptum legimus:

In peroratione denique orator C. Manilium cohortatur, ut in sententia sua permaneat; auxilium suum ei populoque Ro. ad rem perficiendam pollicetur, denique quidquid in causa susceperit, id se rei publ. causa suscepisse confirmat atque contestatur.

His expositis non possum quin rectum iudicium, quod Hannius, vir subtilis ingenii, de oratione universa tulit, cum lecturis communicem. Is enim commentationem suam de lege Manilia et suasione Ciceronis his verbis p. 31. concludit: „Da die Schilderung des Pompejus die Hauptsache ausmacht, so ist die ganze Rede mehr eine Unterhaltung fürs Volk über seinen Liebling, den es auf diese Art einmal herrlich schildern hörte, als eine Rede zur Beförderung für den Manilischen Gesetzvorschlag. Was der Rede aber [als Staatsrede betrachtet] an innerer Gründlichkeit der Behandlung abgeht, sucht ihr Cicero durch den rhetorischen Werth dem Zwecke gemäfs, welchen er hatte, zu ersetzen. Die Rede zeichnet sich nämlich durch eine leicht zu überblickende Anlage des Plans, durch natürliche und deutliche Zergliederung in einzelne, stets interessante Punkte, durch eine glückliche und Eindruck machende Benutzung aller Momente und durch klare Verbindung der Gedanken aus. Sie unterhält ferner durch die stete Anschliefsung an die Geschichte der Zeit und ihre Deutung, durch die lebendigen Schilderungen der Kriege, durch die biographischen Skizzen und Charakterschilderungen des Lucullus, Mithridates, Tigranes und vorzüglich Pompejus, den er in seiner ganzen Laufbahn, wie in einer Reihe von Gemälden, darstellt, und dadurch zugleich ein Bild eines vollkommenen Feldherrn entwirft. Dazu kommt die vorzügliche Sorgfalt, die er auf die mannigfaltige Wendung und Verbindung der Gedanken, auf die Fülle und Kraft des Ausdrucks und auf den Wohllaut der Sprache wandte. Das ist ihr rhetorischer Werth, der sich ihr, wenn man gerecht sein will, nicht absprechen läfst. Er spricht selbst obiges Urtheil über sie aus im *Orator* c. 29.[32]), und hat durch sie einen praktischen Beweis für die *de Orat.* I, 48 sq. aufgestellte theoretische Behauptung gegeben, dafs ein Redner über einen Feldherrn, Staatsmann, Rechtsgelehrten, Philosophen eine gute Rede halten könne, ohne selbst das zu sein, weil nur eine bis zu einem gewissen Grade genaue Kenntnifs einer Sache dazu gehöre, um sie, wenn man Redner

---

32) *Is erit igitur eloquens, ut idem illud itere… qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter di… Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involv… ndo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua d… Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata orati… copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae maiestatis R… continebatur: erg in omni genere amplificationis exarsimus.*

ist, zweckgemäfs darzustellen." Ob has virtutes oratio Pompeiana in rhetorum scholis multum lectitabatur, cui rei documento sunt cum grammaticorum testimonia frequentia, tum oratiunculae panegyricorum, quorum imitationes suo quamque loco in commentario indicavimus. Splendidissimis autem laudibus eam extulit M. Cornelius Fronto, qui in epistola de bello Parthico eam M. Antonino Aug. his verbis commendavit (p. 112. ed. Nieb.): *Nunc ut orationem istam Tulli, quam tibi legendam misi, paucis commendem: mihi profecto ita videtur, neminem umquam neque Romana neque Graecorum lingua facundius in contione populi laudatum, quam Cn. Pompeius in ista oratione laudatus est: ut mihi ille videatur non ita suis virtutibus, ut Ciceronis laudibus Magnus cognominatus. Tum praeterea multa istic reperies praesentibus consiliis tuis capita apte considerata, de ducibus exercituum deligendis, de commodis sociorum, tutela provinciarum ... quibus artibus praeditos esse oporteat imperatores ....* Reliqua in codice Frontonis evanuerunt.

CAPUT IV.

DE CODICIBUS ORATIONIS.

Ad orationem Pompeianam adhuc hi codices collati sunt:

1) *Palimpsesti Taurinensis fragmentum* (*T*), cuius lectiones vulgavit Peyron in edit. Fragm. Cic. ineditt. Stuttg. 1824. p. 205 sq.

2) *Codices Iani Gulielmii*, cuius schedis Gruterus usus est. Gulielmius, ut ipse testatur in Quaestt. Plautinis (Lutetiae 1583. 8vo.) p. 208., tres libros mstos ad hanc orationem consuluit, *Turingicum* (i. e. *Erfurtensem*), *Vuerdensem*, *Coloniensem basilicanum*. Nec tamen hos egregios libros totos excussit, satis habens insigniores quasdam emendationes ex illis protulisse, ut nunc ex accurata Erfurtensis collatione a Wundero facta et ex additamentis Freundii compertum habemus. Ex his tribus libris saepissime commemorat Hittorpianum, quippe qui, cum in optimis lectionibus cum duobus reliquis conspiret, plura tamen singularia habeat. Invenit hunc codicem Coloniae, ut ipsius verbis utar (Verisim. III. c. 16.), in aede maxima (s. basilica) publice servatum (Modius in Epist. Novant. 131. etiam accuratius eam appellat ecclesiam Metropolitanam), unde factum est, ut tribus nominibus unus idemque codex locis diversis a Grutero ex Gulielmii schedis aut opusculis criticis appelletur, modo Hittorpianus, modo Coloniensis (ut plerumque eum appellat Modius), rarius Basilicanus Coloniensis vel simpliciter Basilicanus, ut ad §§. 7., add. Gul. Quaestt. Plaut. p. 208 sq. (Grut. Lamp. III, 2. p. c diversa nomina criticos in multos errores induxer necke ad §. 30. unam aliquam lectionem testimonio codd. Colon. firmandam puta error non minus turpis ab eo ad lectionem [illegible] descriptum legimus:

appellata Tigranocerta collocavit. Non latebat Romanos auctor facinoris, sed bello Sertoriano nimis districti erant, quam ut statim persequi possent. Sertorius enim adeo infestus adversae factioni exstitit, ut non tantum Hispaniae populos, sed etiam exteras gentes adversus Romanos concitaret. Eius factionis duo socii, Lucii Magius et Fannius Mithridati persuadebant, ut cum Sertorio societatem iniret, spem offerentes Asiam praemium societatis fore. Qua conditione accepta legatos ipse ad Sertorium misit, qui foedere inito se obstrinxit Mithridati Asiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Galatiam concessurum esse. Ducem quoque ad eum misit M. Varium addiditque consiliarios Magium et Fannium [21]). His auctoribus tertium bellum contra Romanos suscepit, quod ipsi fatale futurum erat. Neque latuit eum summam rerum in aleam dari; quamobrem longum tempus in apparatu belli consumpsit, et quibuscunque ex gentibus poterat [22]), copias contraxit, ex quibus exercitum CXL peditum et XVI milium equitum confecit [23]). Ita instructus ineunte vere a. 74. in Paphlagoniam properavit, ac deinde Bithyniam invasit, cuius heredem Nicomedes III. nuper sine liberis mortuus [24]) populum Ro. instituerat. Eius provinciae praeses L. Aurelius Cotta, vir admodum imbellis, cum copiis suis Chalcedonem fugit, atque ita Bithynia rursus sub Mithridatis ditionem venit, Romanis undique Chalcedonem ad Cottam confluentibus [25]). Tum rex, qui a civitatibus Graecis vexationum pertaesis, quas portitores et feneratores Romani exercebant [26]), ut liberator exceptus erat, Chalcedonem ipsam petiit et Cottam apud eam urbem terra marique fudit. His rebus gestis cum regis nomen et opes magnopere crevissent, L. Lucullus, cui id bellum administrandum demandatum erat, cum exercitu quinque legionum accessit castraque cum Mithridate ad Cyzicum, quae ab eo vehementissime oppugnabatur, contulit [27]). Cum ita totius belli impetus ad Cyzici moenia constitisset, tandem L. Lucullus multis praeclaris rebus gestis regem in eas angustias compulit, ut, nisi fame perire vellet, fugam capessere cogeretur [28]). Sic ineunte vere a. 73. Cyzicus summis obsidionis periculis liberata est. Atque ipse quidem Mithridates classe Parium profectus est, exercitus eius autem terrestri itinere Lampsacum petens in transitu fluminis Ae-

21) App. 68. Cic. in Verr. I. c. 34. ibique Ps. Ascon. p. 183. Bait. — 22) eas enumerat Appianus 69. — 23) App. 69. — 24) Octavio et Cotta coss. 75. a. Chr. teste Eutropio VI, 6. Cf. Clint. Fast. Hell. III. p. 420. et Boeckh. C. Inscr. Gr. II. p. 234. ad tit. 2279. — 25) App. 71. — 26) Plut. Luc. 7. ἀλλὰ καὶ τὴν Ἀσίαν ὅλην ὑποτροπὴ τῶν ἔμπροσθεν νοσημάτων εἶχεν, ἀφόρητα πάσχουσαν ὑπὸ Ῥωμαϊκῶν δανειστῶν καὶ τελωνῶν. — 27) App. 72. Λούκιος δὲ Λούκουλλος ... σύμπαντας ἔχων πεζοὺς τρισμυρίους καὶ ἱππέας ἐς χιλίους ἐπὶ ἑξακοσίοις παρεστρατοπέδευε τῷ Μιθριδάτῃ περὶ Κύζικον. — 28) De rebus memorabilibus, quae ad Cyzicum gestae sunt, v. impr. App. M. 72—76.

sepi a Lucullo persequente magnam cladem accepit. Tum Mithridates copiarum reliquias Lampsaci, quae iam a Lucullo obsidebatur, in naves imposuit, et relictis decem milibus delectorum et 50 navibus sub ducibus Vario [29]), Alexandro Paphlagone Dionysioque eunucho ipse cum maiore parte navium Nicomediam navigavit. Ex his navibus relictis Lucullus primum 13 apud Achaeorum portum [30]) capit, deinde Varium et reliquos duces ad insulam desertam prope Lemnum assecutus cum magna clade in fugam compellit ipsosque in speluncae latebris comprehensos captivos facit: quorum Dionysius veneno sumpto ipse sibi mortem conscivit, Varium, quoniam senatorem Romanum in triumpho duci non placuit, Lucullus occidi iussit, tertium Alexandrum ad triumphum reservavit [31]). His rebus gestis protinus Bithyniam petiit et victoria sua usus primus Romanorum Pontum cum exercitu ingressus tam feliciter rem publicam gessit, ut anno 70. omnes eius terrae urbes in sua potestate haberet. Sed verum excedit, quod Cicero dicit §. 21., Sinopen atque Amisum ceterasque urbes Ponti et Cappadociae permultas *uno aditu adventuque* esse captas; nam nobilissimae urbes, ut Themiscyra, Amisus, Eupatoria, Sinope, Heraclea, strenuissime restiterant [32]). Rex ipse postquam ex fuga a Nicomedia in Pontum redierat, auxiliis undique accitis novum exercitum ad Cabira collegerat, ubi utrimque magnis contentionibus pugnatum est, donec Mithridates rebus desperatis Comana aufugit, et inde cum duobus milibus equitum a. 71. ad Tigranem generum contendit. Ac prope fuerat, ut ipse caperetur, nisi rex callidus Romanaeque avaritiae peritus spargi a fugientibus sarcinas et pecunias iussisset [33]), quo dolo factum est, ut rex ipse ex manibus effugeret.

Toto Ponto in potestatem Romanorum redacto missisque ad Tigranem legatis, qui Mithridatem reposcerent, Lucullus a. 70. in provinciam Asiam rediit, ubi cum alia laudabiliter constituit, tum saluberrima edicta edidit, quibus equitibus Ro. iniquissimum fenus exercentibus obviam iretur. Anno post (69.) contra Tigranem, a quo Mithridates fru-

---

29) v. supra adn. 21. — 30) de Achaeorum portu in Troade contra insulam Tenedum sito v. Mannerti Geogr. Asiae Min. Vol. II. p. 481 sqq. Hinc pugna nomine pugnae navalis ad Tenedum celebrata est, ut in or. p. Arch. §. 21. et p. Mur. §. 33. appellatur. — 31) App. 77. — 32) App. 78—83. — 33) Paulo aliter rem narravit App. c. 81. s. f. et 82., ut dispersio illa non consilium Mithridatis ipsius, sed factum militum eius de rebus suis desperantium fuisse videatur, qua re narrata addit: *αὐτόν τε τὸν Μιθριδάτην οἱ καταλαμβάνοντες, ἡμίονόν τινα τῶν χρυσοφόρων ἐς τὸ σάγμα κατάξαντες, προπεσόντος τοῦ χρυσίου, περὶ τόδε γενόμενοι διαφυγεῖν ἐς Κόμανα περιεῖδον.* Nimium est igitur quod dicit Cic. §. 22: *sic Mithr. fugiens maximam vim auri atque argenti ... in Ponto omnem reliquit.* Cf. etiam Plut. Luc. 17. et Flor. III, 5, 18.

stra repetitus erat, in Armeniam profectus laudem bellicam antea partam in immensum auxit. Euphratem enim transgressus Tigranis exercitum vicies tanto maiorem ad Tigranocertam immani proelio a. 69. devicit, in cuius victoriae praemium urbs ipsa opibus ingentibus repleta cessit[34]). Anno sequenti Tigranem et Mithridatem apud urbem Artaxata[35]) iterum fugavit, iamque bello ultimam manum impositurus erat, cum militum seditione longinquam militiam aspernantium ultra progredi prohibitus est. Igitur in Mesopotamiam regressus Nisibim, inclytam in illis regionibus urbem, post longam oppugnationem cepit[36]), ubi cum hiemare a militibus coactus esset, gravior exarsit militum seditio, imprimis militibus legionum Fimbrianarum[37]) frementibus, cum impleta a se stipendia dicerent, quibus tumultuantibus ipse P. Clodius, Luculli sororis maritus, perpetuus ille turbarum concitator, se immiscebat irasque incitabat[38]). Dum ita Lucullus Nisibi assidet, Mithridates a. 68. cum quattuor milibus suorum militum totidemque aliis, quos a Tigrane acceperat, in Pontum rediit et M. Fabium[39]) praefectum regionis improviso adortus victum Cabira se recipere coegit; in qua urbe munita inclusum obsessumque Mithridates tenuit. Sed servavit eum C. Triarius legatus, tum ipsum ad Lucullum cum copiis contendens, et reliquo illo anno haud improspere circa loca illa contra Mithridatem rem gessit. Sed sequenti anno (67.) cum rege depugnare gestiens, priusquam Lucullus cum exercitu suo advenisset, ad Gaziura magnam cladem accepit, quo in proelio septem milia Romanorum caesa sunt totusque exercitus occidione occubuisset, nisi Mithridates graviter vulneratus fugatos ultra persequi prohibitus esset. Interim Lucullus ex Mesopotamia advenit; sed quamquam milites eius audita Triarii clade ipsi postulaverant, ut quam primam contra hostem ad caedem suorum ulciscendam ducerentur, nihil tamen iam efficere potuit; mox enim novae turbae inter milites exortae sunt, cum ob alias causas, tum quod M'. Acilium Glabrionem, qui Lucullo successor datus erat[40]), appropinquare audierant: quo factum est, ut quasi privatum Lucullum contemptui haberent multique a signis dilaberentur. Ita Mithridates non solum suum regnum recepit et firmiter munire coepit, sed etiam Cappadociam rursus invasit gravitergue vexavit, neque Lucullo opem ferente, cum Acilium prope

---

34) Plut. Luc. 26—29. App. 85 sq. — 35) Plut. Luc. 31. — 36) Plut. 32. Dio 35, 6 sqq. Oros. VI, 3. — 37) v. supra not. 18. — 38) v. impr. Drum. IV. p. 154 sq. — 39) sic appellatur a Dione 35, 9., ab Appiano c. 88., a Plut. Luc. 35.; Hotomanus aliique post eum falso eum Flaccum nominaverunt. Ceterum in his et sequentibus Dionem lib. 35. c. 9 sqq. secutus sum. — 40) v. Haunium p. 14. not. 5. Drum. IV. p. 159. not. 91.

esse praetenderet, neque Glabrione eam ab hoste defendere audente. Is enim cum antea properavisset, quasi Lucullo victoriam praerepturus, postquam acta comperit, ne ad exercitus quidem accipiendos accessit, sed in Bithynia tempus terebat. Erat igitur Lucullus, cum lex Manilia ferebatur, etiamtum cum imperio [41]).

CAPUT III.

DE LEGE MANILIA ET ORATIONE A M. TULLIO CICERONE PRO EA HABITA *).

Talis erat rerum Asiaticarum status, cum C. Manilius tribunus plebis, semper venalis et alienae minister potentiae [1]), legem tulit, ut Cn. Pompeius accepta provincia exercituque, cui Lucullus praeesset, additaque Bithynia, quam Glabrio teneret, bellum adversum Mithridatem et Tigranem administraret, atque navales copias imperiumque maris eadem potestate, qua antea accepisset, retineret. Id erat fere universum imperium Romanum unius potestati committere. Provinciis enim, quae iam lege Gabinia sub eius imperium cadebant, iam adiiciebantur Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchi, Armenia cum omnibus copiis atque exercitibus, quibus Lucullus in Mithridate et Tigrane debellandis usus erat [2]). Erat lex non necessaria, quod non tantus erat belli Mithridatici metus, ut ad extremum remedium decurri necesse esset, praesertim cum populus iam quasi provincia confecta legatos misisset, qui res Ponticas ordinarent [3]): erat perniciosa, quod cum omne imperium extraordinarium formidolosum esset [4]), tum in illo viro, in quo iam tot nova constituta erant. Nobilitas magnopere indignari, non tantum aegre ferens, quod M'. Acilius Glabrio et Q. Marcius Rex proconsul

41) Vell. II, 33, 1. *cum esset in fine bellum Mithridaticum et L. Lucullus idem bellum adhuc administraret, Manilius* etc. Dio 36, 29.

*) Cf. praeter Drumanni vitam Pompeii IV. p. 416—429. has duas dissertationes: Versuch einer Würdigung der Rede Cicero's für den Manilischen Gesetzvorschlag von Christ. Wilh. Haun. Merseburg 1827. 38 pagg. 4. De levitate et fallacia argumentationis in M. Tullii Ciceronis or. p. lege Manilia scr. Aloysius Nikl. Campoduni 1842. 15 pagg. 4.

1) Vell. Pat. II, 33, 1. — 2) Plut. Pomp. 30. — 3) Dio 36, 26: *ὁ δὲ ὅμιλος, καίτοι μικρὸν ἔμπροσθεν τοὺς ἄνδρας τοὺς καταστήσοντας τὰ ἐκλωκότα, ὡς καὶ διαπεπολεμηκὼς ἐξ ὧν σφίσιν ὁ Λούκουλλος ἐπεστάλκει, πέμψας, ὅμως ἐψηφίσατο αὐτά, ἐναγόντων σφᾶς ἐς τὰ μάλιστα τοῦ τε Καίσαρος καὶ τοῦ Κικέρωνος.* — 4) Cf. grave iudicium, quod postea Cicero ipse tulit in or. Phil. XI, 6, 16 sqq., quo in loco imprimis haec verba memorabilia sunt §. 18: *De Cn. Pompei imperiis, summi viri atque omnium principis, tribuni plebis turbulenti tulerunt.*

Ciliciae imperium, antequam tempus legitimum exiisset, abdicare iuberentur [5]), et Lucullo laus rerum gestarum praeriperetur [6]), sed quod Pompeio nova lege non belli Mithridatici imperium, sed principatus orbis terrarum et quasi dominatio demandari videbatur. Itaque se invicem adhortari atque excitare, ut fortiter legi resisterent neve libertatem communem proderent. Sed cum dies adesset, quo lex comitiis tributis [7]) ferretur, populi vim vehementer veriti rem susceptam deserentes omnes praeter Catulum et Hortensium obmutuere. Quorum ille cum graviter in legem eiusque auctorem invectus vana surdis auribus canere videretur, iterum de rostris optimatibus acclamavit, ut maiorum exemplo montes et saxa praerupta quaererent, quo ad libertatem conservandam confugerent [8]). Sed nullo iam contra dicente lex summo populi studio cunctis tribuum suffragiis perlata est, quam etiam ex nobilitate cum alii viri clarissimi [9]) auctoritate sua comprobarunt, tum C. Iulius Caesar et M. Tullius Cicero praetor orationibus habitis enixe suaserunt. Hos autem duos Dio Cassius 36, 26. scribit Pompeio et Manilio suffragatos esse, non quod bono publico esse arbitrarentur aut Pompeio gratum facere vellent, sed, cum uterque intellexisset etiam sine suffragiis suis in tanta populi voluntate [10]) legem perlatum iri, Caesarem suasione sua occasionem populi gratiae sibi conciliandae arripuisse, quem senatu tanto potiorem videret, simulque viam sibi parasse, ut aliquando ipse quoque eodem exemplo potestate extraordinaria ornaretur; praeterea id quoque egisse, ut Pompeium novis ornamentis in eum congestis invidiae obiiceret, quo maturius populum eius satietas caperet [11]). Ciceronem contra, qui in re publ. administranda summam auctoritatem obtinere cuperet [12]), et plebi et optimatibus ostendere voluisse, utri parti se applicuisset, eius opes se magnopere aucturum esse. Nam temporibus servientem modo optimatibus modo plebi favisse, ut ab utrisque peteretur. Inde factum esse, ut, cum antea se optimates sectaturum esse professus esset et aedilitatem quam tribunatum petere maluisset, tum plebi infimae se addicere non dubitaret. Cum hoc Dionis iudicium, quamvis ex aliqua parte verum sit, non possit non iniquius haberi, altius inquirendum erit, quibus causis adductus Cicero

5) Dio Cass. 36, 26. — 6) Plut. Pomp. 30. *Ἀλλὰ Λουκούλλου μὲν ἀποστερουμένου τὴν δόξαν ὧν κατειργάσατο καὶ θριάμβου μᾶλλον ἢ πολέμου διαδοχὴν λαμβάνοντος ἦττων λόγος ἦν τοῖς ἀριστοκρατικοῖς, καίπερ οἰομένοις ἄδικα καὶ ἀχάριστα πάσχειν τὸν ἄνδρα κ. τ. λ.* — 7) Rogatio statim ad populum videtur lata esse, certe nulla est in rerum scriptoribus significatio, de lege, antequam ad populum ferretur, ad senatum relatum esse; v. Drum. IV. p. 417. — 8) Plut. Pomp. 30. — 9) v. Cic. §. 68. — 10) cf. infra not. 22. — 11) v. Hoeck, Roem. Gesch. I, 1. p. 107 sq. — 12) Sic intelligo Dionis verba: *τήν τε πολιτείαν ἄγειν ἠξίου.*

rogationem, quam ipse postea vehementissime improbavit[13]), tum sibi suadendam existimaverit. Totam hanc quaestionem Haunius p. 23 sqq. et subtiliter et minus cupide, quam alii fecerunt, tractavit. Atque is quidem plura in unum convenisse statuit, quae Ciceronem permoverint, ut causam illam susciperet. Primum enim populo animum gratum ob praeturam delatam testificari voluisse, iamque suum esse putasse populi commoda et voluntates, quacunque ratione posset, tueri. Cum autem videret, quanto ille studio Pompeii amplitudini faveret, a populo sibi quasi mandatum esse existimasse, ut ipse quoque eius dignitati suffragaretur. Hoc Tullius cum in hac oratione haud obscure significavit, tum in or. de Leg. agr. II. §. 49. etiam apertius his verbis professus est: *Vos mihi praetori biennio ante, Quirites, hoc eodem in loco personam hanc imposuistis*[14]), *ut quibuscunque rebus possem illius absentis* (Pompeii) *dignitatem vobiscum una tuerer. Feci adhuc quae potui, neque familiaritate illius adductus, nec spe honoris atque amplissimae dignitatis: quam ego etsi libente illo, tamen absente illo per vos consecutus sum.* Nec tamen ideo niniae assentationis studio absolvi poterit. Nam si sincero animo populo gratus esse voluit, non eius voluntatem, sed vera rei publicae commoda tueri ac defendere debebat, quod utrumque ita in oratione confudit, ut quod mera populi gratia fecit, id se rei publ. causa facere videri vellet. Illud tamen facile oratori credemus, quod non rogatu cuiusquam, i. e. Pompeii causam se suscepisse confirmat; amicorum enim eius adhortationibus non erat opus, cum populi voluntatem iam perspectam teneret: sed minus facile nobis persuadebimus nullam eum bonam gratiam sibi quaerere voluisse, quidquid beneficio populi se assecuturum speravit. Cum enim iam animo spem consulatus praecepisset, nihil praetermisisse putandus est, quo facilius id quod tantopere cuperet consequeretur, et praesidia novitati

---

13) v. supra not. 4. — 14) „Mit dieser Nachricht stimmt der ganze Gang der Einleitung zusammen; denn wenn man hiernach annimmt, man habe ihm bemerklich gemacht, wie er nun als Praetor sowohl Ansehen genug als auch die Pflicht habe, in einer solchen öffentlichen Sache zu sprechen, da er es im Stande sei, so erklärt sich die Entschuldigung des bisherigen Nichtauftretens und die Rechtfertigung des jetzigen Sprechens. — Zu widersprechen scheint c. 24. *testor deos me hoc neque rogatu cuiusquam* etc. Allein hier ist von der bestimmten Bitte eines Einzelnen, des Pompejus, die Rede, den er bei den drei Sätzen mit *neque* blos in der Mitte selbst nennt, und im ersten und letzten Satze durch das allgemeine *cuiusquam* blos andeutet, um durch den gleichsam synonymen Gebrauch die Beschuldigung desto stärker zurückzuweisen. — Das Verlangen des Volkes aber betrachtet er nicht als Bitte, sondern als Auftrag, Geschäft *(personam imposuistis)*." Haun p. 26.

quae acquireret[15]). — Aliam causam receptae rei Haunius in necessitudine positam esse intellexit, quae Ciceroni cum ordine equestri intercedebat. Hos ipse testatur[16]), cum quotidie magistris societatum publicanorum ex Asia litterae metus plenae afferrentur, pericula rerum suarum ad se detulisse[17]); sed callide dissimulat orator, quantum odium fuerit publicanorum in L. Lucullum, qui eorum vexationibus provincialium fortissime restiterat[18]), ut suspicari liceat, in illis litteris non tantum de metu novi belli sermonem fuisse, sed novas de Lucullo querimonias allatas esse ab iis, qui rationibus suis infestum tandem de imperio se detrusuros sperarent. Quodsi Cicero et populo et ordini equestri in causa Manilia gratum facere voluit, necesse fuit, ut ordo senatorius legis suasione vehementer offenderetur. Sed cum videret, quanto in odio esset apud quosdam nobiles novorum hominum virtus atque industria, et quam difficile esset officiis illorum benevolentiam allicere[19]), opportunitatem nactus simul optimatibus ostendere voluit, quantum iam ipse suis viribus confidere posset, quidque virtute parta auctoritas apud populum valere deberet[20]). Quod addit Haunius Cice-

---

15) cf. Q. Cic. de petit. consul. §. 5. *Hi* (homines nobiles) *rogandi omnes sunt diligenter et ad eos allegandum est, persuadendumque iis nos semper cum optimatibus de re publica sensisse; minime populares fuisse; si quid locuti populariter videamur, id nos eo consilio fecisse, ut nobis Cn. Pompeium adiungeremus: ut eum, qui plurimum posset, aut amicum in nostra petitione haberemus aut certe non adversarium.* — 16) §. 4. et cf. cap. 6 et 7. — 17) „Bei der Liebe, mit der Cic. dem Ritterstande zugethan war, und bei der Ehre, die er darin suchte, ihn zu unterstützen, wäre das in einer solchen Mittheilung sich äufsernde Vertrauen zu seiner Willfährigkeit und Macht zu helfen allein schon hinlänglich gewesen, ihn zum möglichsten Beistande zu bestimmen; — wie vielmehr, wenn diefs mit seinem inneren Antriebe und dem Verlangen des Volkes zusammenstimmte." Haun. p. 27. — 18) Plut. Luc. 20. *Ἐκεῖνοι μὲν οὖν ὡς δεινὰ πεπονθότες ἐν Ῥώμῃ τοῦ Λουκούλλου κατεβόων καὶ χρήμασιν ἀνίστασαν ἐπ' αὐτὸν ἐνίους τῶν δημαγωγῶν μέγα δυνάμενοι καὶ πολλοὺς ὑπόχρεως πεποιημένοι τῶν πολιτευομένων. Ὁ δὲ Λούκουλλος οὐ μόνον ὑπὸ τῶν εὖ πεπονθότων ἠγαπᾶτο δήμων, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις ποθεινὸς ἦν εὐδαιμονιζούσαις τοὺς ἡγεμόνος τοιούτου τυχόντας.* — 19) cf. impr. Verr. V. c. 70 sq. — 20) Cic. §. 2. *si quid auctoritatis in me est, apud eos utar, qui eam mihi dederunt,* et impr. §. 69. Drumannus IV. p. 420: „Cicero hielt jetzt die erste Staatsrede, und als Gegner des Hortensius, seines Nebenbuhlers in der Beredtsamkeit, und der Nobilität, welche den Emporkömmling von der höchsten Ehrenstelle auszustofsen hoffte. Es mufste ihn fördern, wenn sie ihm gegenüber und scheinbar von ihm überwunden das Feld räumten, von welcher Art der Gegenstand des Streites sein mochte, und ihre Niederlage war ihm von allen Seiten verbürgt, durch die Stimmung und

ronem videri non tantum suis invidis, sed etiam Pompeii obviam ire voluisse, qui non rei publ. causa, sed ob privatas simultates eius laudi-bus obtrectarent, poterat illud quidem orator in animo habuisse, sed si hoc quoque agitabat, illud oblitus est, eodem tempore, quo invidiam iniustam persequi studeret, se et ipsum etiam iniquiori, qua Lucullus premebatur, vires subministrare. Facilius oratoris consilium excuses, si ob eam quoque causam ab eo Pompeium commendatum esse putabi-mus, quod ipse, cum res publica illo tempore magnorum virorum copia non abundaret, non alium invenerit, in quo civitas plus confidere posset, talemque virum iudicaverit, a quo periculum non esset, ne potestate sibi tradita unquam ad civium libertatem evertendam uteretur[21]). Fal-lebat enim multos Pompeius specie quadam temperantiae et illis tem-poribus Ciceronem quoque videtur fefellisse. Quamvis enim hic gloriae cupiditate flagraret, tamen non adeo a patriae caritate remotus erat, ut, si pericula penitus prospexisset, in quae civitatem deflectendo a maiorum institutis pervenire necesse esset, unquam a se impetraturus fuerit, ut ipse quoque ad libertatem publicam imminuendam operam suam praestaret. Quodsi Manilio, homini turbulento, suum studium ad rem conficiendam detulit, minus eum in re publica quam alios perito-res vidisse iudicabimus, non ipsum hominem turbulentum fuisse, qui nimio popularitatis studio sciens ac prudens rei publ. rationes atque commoda negligeret. Qua in re illud quoque minime praetermittendum est, quod iam Dio significavit, talem fuisse rogationem, quam populus, etiamsi nemo vir senatorius ei suffragaretur, tamen sciturus erat[22]), ut levitatis potius nomine quam mali in rem publ. animi arguendus sit, quod tali causa ad populi gratiam captandam suasque rationes augen-das uti voluerit.

Quodsi hoc ipsum cogitabimus, talem fuisse causam, in qua ora-tori non id agendum esset, ut argumentorum copia atque auctoritate auditores ad credendum et persuadendum perduceret, sed persuasionem iam firmam etiam magis confirmaret suaque auctoritate quasi sanciret, de toto statu causae rectum iudicium fieri poterit. Talem enim consti-

---

die Macht des Volkes, durch dessen Begeisterung für Pompejus, und durch den Ausgang des Seeräuber-Krieges." — 21) cf. Haun. p. 28. — 22) Cic. §. 48. *quod ut illi proprium ac perpetuum sit ... ipsius hominis causa, sicuti facitis, velle et optare debetis.* §. 64. *aliquando isti principes et sibi et ceteris populi Rom. universi auctoritati parendum esse fateantur.* §. 69. *cum tantam multitudinem cum tanto studio adesse vi-deamus ... quid est quod aut de re aut de perficiendi facultate dubite-mus?* §. 71. *sed ego me statui vestram voluntatem ... meis omnibus commodis et rationibus praeferre oportere.* Adde locum supra p. 21. med. ex orat. de Leg. agr. II. §. 49. allatum, ubi de suasione sua dicit: *Feci adhuc quod potui.* Cf. Haun. p. 32.

tuit orator, qui rei, quam ipse sequebatur (id autem agebat, ut populus in voluntate sua permaneret, non ut verbis suis regeretur), convenientissimus erat, non eum, qui in deliberatione de re publica requiri videbatur. Si enim ad hanc normam orationem suam revocare vellet, non de necessitate aut magnitudine belli aut de Pompeii virtutibus dicendum, sed illud potius disceptandum erat, in quo vera rei publicae utilitas consistebat. Agebatur enim, utrum magis rei publ. extimescendum esset, bellumne, quod a regibus Asiaticis imminebat, an amplitudo viri, in quo iam tot nova constituta erant; num tanta esset belli illius magnitudo, ut iterum a maiorum institutis deflecti necesse esset; num unus esset Pompeius, cui bellum committi posset; num denique talem se in vita ante acta praestitisset, ut ne minimum quidem verendum esset, ne quando in perniciem civium suorum potestate extraordinaria atque inaudita uteretur. Sed has omnes quaestiones orator silentio praetermisit, non quod a re alienas existimaret, sed quod statui causae, quem ipse sibi conformarat, infestas esse cognovit. Quare non id agebat, ut subtili argumentatione sententias contrarias adversariorum refelleret, et quam inanis ab iis metus opponeretur ostenderet, sed talia proferebat, quae populum libenter auditurum esse speraret eiusque voluntatem atque sententiam magis confirmarent[23]).

His propositis strictim examinemus, qua ratione Cicero singulas orationis partes persecutus sit. Postquam in exordio causas exposuit, quibus factum sit, ut tum primum apud populum ageret, et deinde dilucida narratione rem, de qua acturus erat, proposuit, totam orationis argumentationem ita partitur, ut primum de genere belli sive necessitate eius, deinde de magnitudine, denique de imperatore ad id bellum deligendo sibi dicendum esse demonstret. Duabus prioribus confirmationis partibus orator supersedere poterat, si verum causae statum constituere voluisset, id quod ipse aperte in principio confutationis indicat, cum dicit §. 51: *omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem; atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me ad-*

23) „Da Cic. nicht einen Vorschlag zu empfehlen hatte gegen ein Volk, das dagegen gestimmt war und daher hätte überredet werden müssen, so gilt es ihm mehr der Gesinnung und dem Verlangen des Volkes gleichsam Kraft und Bedeutung zu geben, dadurch dafs er dessen Meinung in einer deutlichen, schönen und durch die Anknüpfung an die Geschichte der Zeit eben so belehrenden als unterhaltenden Auseinandersetzung darstellte. Darauf beruht die ganze Eintheilung und der Gang der im Sinne des Volks sprechenden Rede. Davon zeugt auch der ruhige Ton, indem keine starken Ausdrücke der Ueberredung vorhanden sind. Fast alle Schlufsfolgen sind mit der Formel gemacht: *Wird noch jemand zweifeln?* die blos in der Form verändert ist; s. Cap. 7. 10. 14. 15. 16. 23. 24." Haun p. 30.

huc dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia. Nam necessarium bellum omnibus visum esse iam inde apparet, quod nunquam intermissum erat; neque de magnitudine eius, quamquam eam orator nimis exaggeravit, in hoste dubitatio esse poterat, qui post tot clades nondum devictus esset: sed necessariae erant hae duo partes in fine quem orator sibi proposuerat, ad quem omnis totius orationis ratio conferenda erat. His enim diligenter pertractatis in eam opinionem populum adducere conabatur, tale esse bellum, quod maxime ad persequendi studium excitare deberet, quod magnis copiis magnoque apparatu quasi de integro gerendum, quod denique ei imperatori demandandum esset, cuius summae essent virtutes imperatoriae. Hoc quasi aditu sibi patefacto in tertia confirmationis parte, quae in genere demonstrativo versatur [24]), ad propriam quaestionem accedit, et virtutibus, quas magnus imperator habere debeat, enumerandis, quas summas in Cn. Pompeio omnes inesse ostendit, probare conatur, Pompeium unum dignissimum esse, qui tanto bello praeficiatur. Eadem argumentandi ratione iam Gabinius, si Cassio Dioni [25]) fidem habemus, in rogatione sua usus erat, cum earundem virtutum enumeratione Pompeium populo commendaret. Quamquam autem non ita difficile foret ostendere, oratorem laudibus Pompeii nonnulla immiscuisse, quae iustum rerum existimatorem potius deterrere quam impellere debebant, ut Pompeio suffragaretur, tamen negari non poterit, eum in hac orationis parte singulari quadam arte versatum esse, et quamvis Pompeium laudibus cumularet, tamen in singulis tanta moderatione usum esse, ut laus ex vera animi adfectione profecta esse, non nimia verborum aut rerum exaggeratione ut inanem ac fucatam se ipsa prodere videatur. Ac virtus quidem oratoris imprimis in iis locis elucet, in quibus quanta virtute Pompeius bellum piraticum gesserit identidem praedicat, quod Catulus ipse ab uno imperatore administrari posse negaverat [26]), atque in magnis laudibus, quibus Pompeii temperantiam effert, quibus quidem hoc ostendere conatur, etiam si qui signis collatis exercitus regios superare posse videantur (§. 66.), tamen eos non continuo idoneos haberi posse, qui in provinciam divitem ac paratam peccantibus [27]) mittantur.

---

24) Cf. Auct. ad Herenn. III. c. 8. *Et si separatim haec causa minus saepe tractatur, at in iudicialibus et in deliberativis causis saepe magnae partes versantur laudis aut vituperationis. Quare in hoc quoque causae genere nonnihil industriae consumendum putemus.* — 25) Lib. 36. c. 10. Dionis verba ipsa in Comment. ad §§. 27. et 28. attulimus. — 26) Dio 36, 18: *ἐκεῖνο δὲ δὴ σκοπεῖν ὑμᾶς ἀξιῶ, ὅτι οὐδὲ οἷόν τέ ἐστιν ἕνα ἄνδρα πάσης τῆς θαλάσσης ἐπάρξαι, καὶ πάντα τὸν πόλεμον τοῦτον ὀρθῶς διοικῆσαι κτλ.* — 27) Tac. Agric. c. 6.

Cum hoc sit argumentum praecipuum, quo Pompeium commendat, mirum videri non potest, quod eandem rem post confutationem iterum longiore amplificatione [28]) persequitur; populo enim persuadere conatur, si qua dubitatio adhuc supersit, in misera terrarum Asiaticarum conditione eam solam causam satis gravem videri debere, cur non alii imperatori administratio belli Asiatici committi possit. Illud quoque prudentissime ab oratore institutum est, quod in fine confirmationis ad ceteras utilitates eam quoque opportunitatem adiungi dicit (§. 50.), ut Pompeius in iis ipsis locis cum exercitu adsit, quod argumentum tanto gravius videri debebat, quanto tristiorem rerum Romanarum statum in illis regionibus descripserat; hoc enim allato significat a nullo imperatore nisi ab uno Pompeio felicem rerum eventum exspectari posse, idque eo certius, *cum suo adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium represserit ac retardarit* [29]).

Sequitur deinde **confutatio** adversariorum, quae infirmissima orationis pars existimanda est. Cum orator suasione sua ostendere conetur, in quaestione proposita rei publicae utilitatem felici belli eventu contineri populique et rei publicae rationes atque commoda una eademque esse habenda, consectarium erat eum in confutatione quoque reliquis omissis, quae in causa publica disceptanda erant, nihil nisi finem sibi propositum spectavisse. Ac primum quidem Hortensium, qui negaverat ad unum omnia deferenda esse, ita refutat, ut istud argumentum iam obsoletum esse et re ipsa refutatum dicat, quoniam idem Hortensius iam in rogatione Gabinia contra dixisset, quasi aut tum falsum dixerit aut propterea rogationi repugnaverit, quod bellum illud virtute Pompeii confici posse diffideret. Pro eo igitur ut doceat vanum esse eorum metum, quibus honores et potestates in eundem iterum iterumque congestae rei publicae perniciosae videantur, obiectionemque adversariorum, quae post novam Pompeii victoriam etiam gravior videri debebat, rerum Romanarum statu atque historia ipsa refelli, amplificatione oratoria miseriam et turpitudinem illius temporis, quo populus R. bello piratico premebatur, depingit laudibusque Pompeium onerat, quod eius virtute populo gloria sua atque imperium restitutum sit. Atque etiam aperte significat, ut antea in rogatione Gabinia, sic in hac quoque lege Manilia homines quosdam, non quo rei publ. consultum velint, sed ob meram invidiam Pompeio obtrectare; eadem Gabinium quoque etiamnunc premi, cui non concedatur, ut Pompeio legetur, quamquam in exercitu Pompeii etiam praecipuo iure esse debeat. Deinde se convertit ad Q. Catuli auctoritatem elevandam, qui negaverat novi quidquam contra exempla atque instituta maiorum fieri debere.

28) v. adn. in Comment. ad §. 64. — 29) Cic. §. 13.

Quod si vir ille patriae amantissimus dixit, ipsum profecto non latuit maiores dubiis temporibus rei publ. aliquando a suis institutis deflexisse; sed exemplis Marii et Sullae [30]) iam in rogatione Gabinia dissuadenda luculenter ostenderat, cum quanto rei publicae discrimine uni alicui viro imperia iterata atque extraordinaria commissa essent. Verum quamquam prudenter tum iterum populum monuerat, ut caveret, ne denuo in uno viro salus rei publicae periclitaretur, tamen orator eius sententiam quasi in pugna gladiatoria plane eludit eoque impudentiae procedit, ut ipso Marii exemplo atque adeo enumeratione eorum, quae in uno Pompeio nova constituta sunt, levitatem auctoritatis viri summi probare conetur. Possit haec verborum calumnia quasi desipiens videri [31]), cum orator ipse argumenta suppeditet, quibus eius rationes impugnari possint; sed cogitandum est oratorem apud populum verba facere, apud quem argumenta fallacia saepe non minus quam vera valebant. Id enim agit, ut populum in eam opinionem deducat, Pompeium hominem plane singularem esse et quasi divina virtute praeditum, ut nemo praeter eum tantae rei gerendae par haberi possit. Si enim civitas multos eius similes haberet, non senatum aut populum Ro. toties uni eidemque viro extraordinarias potestates delaturum fuisse. Qua in re simul callide significat optimates ipsos, qui nunc tam acriter Pompeii dignitati adversentur, suo exemplo praeivisse, ut in eo viro leges atque instituta maiorum migrarentur; desinant igitur graviter ferre, si iam idem populum velle ac facere videant. In extrema autem confutatione aliorum virorum auctoritatibus causam suam confirmat, quibus Hortensio et Catulo, dummodo auctoritatibus opus sit, se respondere posse confidit.

---

30) Dio 36, 14: *Ἐγὼ τοίνυν πρῶτον μὲν καὶ μάλιστά φημι δεῖν μηδενὶ ἀνδρὶ τοσαύτας κατὰ τὸ ἐξῆς ἀρχὰς ἐπιτρέπειν. Τοῦτο γὰρ καὶ ἐν τοῖς νόμοις ἀπηγόρευται καὶ τῇ πείρᾳ σφαλερώτατον ὂν πεφώραται. Οὔτε γὰρ τὸν Μάριον ἄλλο τι ὡς εἰπεῖν τοιοῦτον ἐποίησεν, ἢ ὅτι τοσούτους τε ἐν ὀλιγίστῳ χρόνῳ πολέμους ἐνεχειρίσθη, καὶ ὕπατος ἐξάκις ἐν βραχυτάτῳ ἐγένετο· οὔτε τὸν Σύλλαν, ἢ ὅτι τοσούτοις ἐφεξῆς ἔτεσι τὴν ἀρχὴν τῶν στρατοπέδων ἔσχε, καὶ μετὰ τοῦτο δικτάτωρ, εἶθ' ὕπατος ἀπεδείχθη. Οὐ γάρ ἐστιν ἐν τῇ τῶν ἀνθρώπων φύσει ψυχὴν μὴ ὅτι νέαν, ἀλλὰ καὶ πρεσβυτέραν, ἐν ἐξουσίαις ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐνδιατρίψασαν, τοῖς πατρίοις ἤθεσιν ἐθέλειν ἐμμένειν.* — 31) Verissime Haunius p. 23: „Das heifst doch allen vernünftigen Gründen aus dem Wege gehen, und die Worte im Munde herumdrehen, was man bei dieser wichtigen Sache wohl nicht dadurch entschuldigen kann, dafs es Cicero als Redner vor Gericht gewohnt war, wo oft spitzfindige Umdrehungen und Wortspiele grofse Wirkungen machten, weil es mehr auf Ueberredung als auf Ueberzeugung abgesehen war."

In peroratione denique orator C. Manilium cohortatur, ut in sententia sua permaneat; auxilium suum ei populoque Ro. ad rem perficiendam pollicetur, denique quidquid in causa susceperit, id se rei publ. causa suscepisse confirmat atque contestatur.

His expositis non possum quin rectum iudicium, quod Hannius, vir subtilis ingenii, de oratione universa tulit, cum lecturis communicem. Is enim commentationem suam de lege Manilia et suasione Ciceronis his verbis p. 31. concludit: „Da die Schilderung des Pompejus die Hauptsache ausmacht, so ist die ganze Rede mehr eine Unterhaltung fürs Volk über seinen Liebling, den es auf diese Art einmal herrlich schildern hörte, als eine Rede zur Beförderung für den Manilischen Gesetzvorschlag. Was der Rede aber [als Staatsrede betrachtet] an innerer Gründlichkeit der Behandlung abgeht, sucht ihr Cicero durch den rhetorischen Werth dem Zwecke gemäfs, welchen er hatte, zu ersetzen. Die Rede zeichnet sich nämlich durch eine leicht zu überblickende Anlage des Plans, durch natürliche und deutliche Zergliederung in einzelne, stets interessante Punkte, durch eine glückliche und Eindruck machende Benutzung aller Momente und durch klare Verbindung der Gedanken aus. Sie unterhält ferner durch die stete Anschliefsung an die Geschichte der Zeit und ihre Deutung, durch die lebendigen Schilderungen der Kriege, durch die biographischen Skizzen und Charakterschilderungen des Lucullus, Mithridates, Tigranes und vorzüglich Pompejus, den er in seiner ganzen Laufbahn, wie in einer Reihe von Gemälden, darstellt, und dadurch zugleich ein Bild eines vollkommenen Feldherrn entwirft. Dazu kommt die vorzügliche Sorgfalt, die er auf die mannigfaltige Wendung und Verbindung der Gedanken, auf die Fülle und Kraft des Ausdrucks und auf den Wohllaut der Sprache wandte. Das ist ihr rhetorischer Werth, der sich ihr, wenn man gerecht sein will, nicht absprechen läfst. Er spricht selbst obiges Urtheil über sie aus im *Orator* c. 29.[32]), und hat durch sie einen praktischen Beweis für die *de Orat.* I, 48 sq. aufgestellte theoretische Behauptung gegeben, dafs ein Redner über einen Feldherrn, Staatsmann, Rechtsgelehrten, Philosophen eine gute Rede halten könne, ohne selbst das zu sein, weil nur eine bis zu einem gewissen Grade genaue Kenntnifs einer Sache dazu gehöre, um sie, wenn man Redner

32) *Is erit igitur eloquens, ut idem illud iteremus, qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere. Tota mihi causa pro Caecina de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus, ius civile laudavimus, verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae maiestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus.*

ist, zweckgemäfs darzustellen." Ob has virtutes oratio Pompeiana in rhetorum scholis multum lectitabatur, cui rei documento sunt cum grammaticorum testimonia frequentia, tum oratiunculae panegyricorum, quorum imitationes suo quamque loco in commentario indicavimus. Splendidissimis autem laudibus eam extulit M. Cornelius Fronto, qui in epistola de bello Parthico eam M. Antonino Aug. his verbis commendavit (p. 112. ed. Nieb.): *Nunc ut orationem istam Tulli, quam tibi legendam misi, paucis commendem: mihi profecto ita videtur, neminem umquam neque Romana neque Graecorum lingua facundius in contione populi laudatum, quam Cn. Pompeius in ista oratione laudatus est: ut mihi ille videatur non ita suis virtutibus, ut Ciceronis laudibus Magnus cognominatus. Tum praeterea multa istic reperies praesentibus consiliis tuis capita apte considerata, de ducibus exercituum deligendis, de commodis sociorum, tutela provinciarum ... quibus artibus praeditos esse oporteat imperatores ....* Reliqua in codice Frontonis evanuerunt.

CAPUT IV.

DE CODICIBUS ORATIONIS.

Ad orationem Pompeianam adhuc hi codices collati sunt:

1) *Palimpsesti Taurinensis fragmentum* (*T*), cuius lectiones vulgavit Peyron in edit. Fragm. Cic. ineditt. Stuttg. 1824. p. 205 sq.

2) *Codices Iani Gulielmii*, cuius schedis Gruterus usus est. Gulielmius, ut ipse testatur in Quaestt. Plautinis (Lutetiae 1583. 8vo.) p. 208., tres libros matos ad hanc orationem consuluit, *Turingicum* (i. e. *Erfurtensem*), *Vuerdensem*, *Coloniensem basilicanum*. Nec tamen hos egregios libros totos excussit, satis habens insigniores quasdam emendationes ex illis protulisse, ut nunc ex accurata Erfurtensis collatione a Wundero facta et ex additamentis Freundii compertum habemus. Ex his tribus libris saepissime commemorat Hittorpianum, quippe qui, cum in optimis lectionibus cum duobus reliquis conspiret, plura tamen singularia habeat. Invenit hunc codicem Coloniae, ut ipsius verbis utar (Verisim. III. c. 16.), in aede maxima (s. basilica) publice servatum (Modius in Epist. Novant. 131. etiam accuratius eam appellat ecclesiam Metropolitanam), unde factum est, ut tribus nominibus unus idemque codex locis diversis a Grutero ex Gulielmii schedis aut opusculis criticis appelletur, modo Hittorpianus, modo Coloniensis (ut plerumque eum appellat Modius), rarius denique Basilicanus Coloniensis vel simpliciter Basilicanus, ut ad §§. 46. 61. 66. 67., add. Gul. Quaestt. Plaut. p. 208 sq. (Grut. Lamp. III, 2, p. 414.). Haec diversa nomina criticos in multos errores induxerunt, adeo ut Benecke ad §. 30. unam aliquam lectionem testimonio codd. Hitt. Basil. Colon. firmandam putaret, qui error non minus turpis est, quam si ab eo ad lectionem aliquam §. 5. adscriptum legimus:

„sic Erf., Col., tres codd. Guil.", qua nota ex tribus codicibus quinque conficiuntur. Quamquam enim non magna ad rem diiudicandam diligentia requirebatur, tamen neminem[1]) criticorum recentiorum praeter Steinmetzium (Praef. orr. sell. p. XI.) definite dicere memini, Hittorpianum et Coloniensem eundem codicem fuisse; nec minus exploratum est non alio codice Coloniensi Modium ad hanc orationem usum esse, qui ex eo haud paucas lectiones in Lectionibus Novantiquis protulit atque ad orationem emendendam adhibuit. Unum autem eundemque codicem fuisse inde patet, primum quod, cum tot lectiones ex eo afferantur, nusquam tamen ulla ex cod. Hittorpiano *et* Coloniensi, sed *vel* ex Hittorpiano *vel* ex Colon. *vel* denique ex Basilicano; deinde quod Gruterus nominatim eum dicit ad §. 21. Coloniensem librum Hittorpii, et ad §. 6. manuscriptum Hittorpii Coloniense; quo accedit, quod ipsius Gulielmii testimonio a Grutero ad initium orationis confirmato compertum habemus ei non plus tres codices in hac orat. praesto fuisse. Tantum de nomine libri praestantissimi, quem, ne error inveteratus propagetur, ubique Coloniensem (κ) nominavi. Quod autem supra significavi, Gulielmium non diligentissimum fuisse in codd. suis excutiendis multaque omisisse, hoc adeo valet de lectionibus illis, quas nominatim ex suis libris exscripsit; imprimis verborum collocationis nusquam fere rationem habuit, ut in talibus rebus nulla ei fides haberi possit, sed vix putes hominem ingeniosum eo processisse negligentiae, quo processit §. 58., ubi egregia lectione *rerumque gestarum Cn. Pompeio socius adscribitur* ex Colon. allata Gruterus addidit: „nihil tamen loco movere Guilielmium ausum esse, quod vulgata (*auctor, comes Cn. Pompeio adscr.*) exstet in Erfurtensi." At habet eandem lectionem, quae in Col. legebatur, id quod iam Graevius merito notavit[2]). Quare non sine aliquo fructu Modii Lectt. Novantiquas pervolvi, quibus collatis ad aliquot locos novam auctoritatem Coloniensis (κ) afferre potui. Desideratur quidem etiam in Modio diligentia critico necessaria, id quod ex multis signis comprobari potest, sed erat tamen maior Gulielmiana.

---

1) Errorem neque Orelli neque ipse Madvig, vitavit; v. Orell. Praef. ad Cic. oratt. sell. XV. pag. IX. et Madv. Opuscc. p. 132, et saepius. — 2) Ne iniquus videar, errorem eruditissimi iuvenis sic excusandum puto, ut existimem Gulielmium, cum ex itinere reversus in schedis suis nihil ex Erfurt. enotatum videret, illico sibi persuasisse, lectionem vulgatam in illo quoque cod. inveniri: quod novum est documentum, quam sit necessarium in boni codicis collatione ad locos gravissimos ipsam codicis auctoritatem adscribere, nec prius ad codicem conferendum accedere, quam perspectum habeas, ad quos locos maxime animum advertere oporteat.

3) *Codices Lambiniani.* Lambinus ad hanc orationem usus est codice (an codicibus?) Nic. Clerici et altero Errici Memmii; post editionem absolutam accepit a Fr. Fabricio Marcodurano de Cicerone egregie merito lectiones variae optimae notae, sed non ita multas, ex cod. vetusto Saxonico excerptas. Ex hoc cod. enotatas, ut omnes, quae ex Erf. Col. et Verd. (*s*, *x*, *φ*,) allatae sunt, cum omni fide in apparatum criticum recepi, quamquam suspicari licet, codicem Fabricianum non alium fuisse, nisi unum ex Gulielmianis, fortasse Verdensem.

4) *Codex Ursini.* Is silentio praetermittendus esset, quoniam Ursinus tantum quattuor locis ex eo lectiones publicavit, nisi una eius lectio §. 16. (*absint* pro *adsint*) ingentes tragoedias excitasset.

5) *Codices Gruteri.* Grutero praeter apparatum Gulielmii codices Palatini, qui nunc in bibliotheca Vaticana asservantur, praesto erant, ex quibus ad hanc orationem sex commemoravit et praeterea librum suum Graterianum. Sed cum in toto negotio negligentissime atque inertissime versaretur, nihil fere insigne ex suis libris protulit; Palatinum nonum, optimum suorum librorum, ad hanc orationem fortasse ne evolverat quidem; saltem nusquam, si recte memini, eius auctoritate lectionem aliquam nominatim firmavit.

6) *Codices Graeviani.* Graevius praeter Erfurtensem, ex quo haud paucas lectiones a Gulielmio neglectas protulit, ad hanc orationem duobus libris Francianis et collatione cod. Dresdensis usus est, excerptis denique lectionum, quas Pithoeus exemplari suo editionis Lambinianae a. 1581. (Argent. 8vo.) adscripserat. Ne has quidem omnes enotavit, ut ipse libro inspecto cognovi, qui hodie in bibliotheca Heidelbergensi, in quam libri a Graevio collecti translati sunt, asservatur. Nolui tamen ab eo relictas proferre, quoniam ex codice notae deterioris depromptae sunt.

7) *Codices Oxonienses* ad hanc orat. novem collati sunt sic significati: C, H, S, T, $\mathfrak{S}$, σ, χ^1, χ^3, ψ.

8) *Codex Barberinus*, quo usus est Garatoni, nec magni pretii nec integer est; nam non habet nisi octo priora capita orationis.

9) *Codices Parisini*, ut Lallemandum silentio praetermittam, Steinmetzio novem praesto fuerunt; sed praeterquam quod nullus ad praestantiam codicis Erfurtensis aliosve eiusdem familiae accedit, ob eam quoque causam critico non magnam utilitatem praebent, quod Steinmetzius singulas tantum lectiones, non universam collationem cum doctis communicavit.

10) *Codex Hauniensis*, quo usus est Madvigius in recensendis orationibus selectis XII. (Hauniae 1841. ed. II.), pertinet ad codices meliores familiae deterioris.

11) *Codices Monacenses.* Hos in usum Beneckei Krabingerus omni qua decet fide contulit. Numero sunt sex, quos Benecke sex prioribus

litteris litteraturae distinxit. Praeter eos Monachio accepit lectiones varias margini exempli Victoriani editionis Bononiensis a. 1499. adscriptas. Quamquam hae copiae diversi sunt pretii, nec unus codicum Monacc. in praestantioribus numerandus est, tamen Benecke eorum collatione diligentissima publicata bene de oratione meruit, cum inter tot codices, in quibus oratio exstat, uno excepto Erfurtensi nullus ante eum diligentia debita excussus fuerit. Horum enim codicum collatione tandem cognitum est haud paucas lectiones, quae ex alia in aliam editionem propagatae sunt, nulla codicum auctoritate stare, atque etiam ex codicibus secundi et tertii ordinis, ubi meliores desunt, haud exigua ad orationes Tullianas emendandas conferri posse.

12) *Codex Parcensis* (π), qui in hac oratione in §. 51. desinit. Eius lectiones margini editionis Manutianae a. 1554. a Levino Torrentio, Horatii commentatore, adscriptas Orelli in edit. oratt. sell. XV. (Turici 1836. 8.) publicavit. Ceterum cum silentium collatoris multis locis suspectum sit, non appellavimus hunc codicem nisi quibus locis nominatim ex eo lectiones a Torrentio allatae sunt.

13) *Codices a me primo usurpati.* Mihi ipsi contigit, ut lectiones *codicis Tegernseensis* (τ) praestantissimi, qui, cum monasteria in Bavaria publicata sunt, aut fraude surreptus aut incuria dilaceratus est, nunc primum ex schedis Garatonianis publicarem. Eius collationem, quam Io. Chr. Harlesius a. 1789. Garatonio miserat, Theodorus Mommsen Ravennae descripsit et perhumaniter mihi dono misit. Est idem codex, quo Garatonius ad emendandas orationes pro Plancio et p. Milone usus est, neque nos movere debet, quod in Praef. ad Curas secundas in Planc. (Bononiae 1815. 4 min.) p. IX. ipse testatur se varietates codicis optimi tantum ad quattuor orationes accepisse, praetermissis orationibus de Imp. Cn. Pomp. et p. Marcello, ad quarum utramque collatio Tegernseensis eadem manu facta eodemque nomine appellata in schedis Garat. inventa est. Sed noluit, opinor, harum orationum collationem commemorare, quod non plenae in illo codice legebantur, sed utriusque tantum exigua pars continebatur. Ut omittam argumenta ex ipsa codicis indole ac natura petenda, hoc quoque signi est utriusque fragmenti collationem ex eodem codice fluxisse, quod Harlesius, ut ex ipsius epistolis, quae in schedis Garatonianis exstant, cognovi, anno post Garatonio collationem orationum in Catilinam sua manu factam (prius missae alienam eandemque produnt) misit. Haec quoque ex vetusto codice Tegernseensi petita est, sed ex alio, cuius rei certissimum signum est, quod codex Tegernseensis, qui Invectivas in Catil. continet, hodie Monachii exstat[3]), atque in eo nullum vestigium aliarum illarum orationum apparet.

3) Eundem esse satis superque mihi persuasi, cum specimina colla-

Praeterea a C. T. Zumptio v. cl. lectiones *codicis Berolinensis*, quem ipse ad editionem Garatonianam diligentissime contulit, accepi. Is codex est membranaceus, olim Santenianus, nunc inter Diezianos B. nro. 149., saeculi XV., sed accurate scriptus. Praeter Pompeianam orationes pro M. Marcello, p. Q. Ligario, p. Rege Deiotaro, Catilinarias IV, p. Archia poeta, denique Crispi Sallustii in M. T. C. et M. Tullii in Cr. Sallustium continet. Est ille quidem ex familia deteriore sive Italica, sed melioribus huius familiae adnumerandus, quippe qui saepius quam alii eiusdem familiae cum Erfurtensi conspiret.

Alius codicis eiusdem familiae lectiones Tycho Mommsen vir amicissimus mihi Roma misit, quas Perusiae diligentissime exscripserat. Is codex est Philippi Senesii Perusini, clar. Adv. Rotal. Rom., chartaceus saec. XIV. form. max., et XXV orationes Ciceronis continet. Utriusque codicis collationes publicavi, ut ex meis quoque copiis appareret, quid inter duas codicum familias interesset. Ob similem causam, ut et lectionis vulgatae fontes cognoscerentur et ad historiam criticam orationum Tullianarum quasi via quaedam muniretur, sex editiones veteres omni qua poteram diligentia contuli, sed lectiones exscriptas ita publicavi (v. infra indicem siglorum), ut ex labore taedii pleno apparatus critici moles ne in nimium excresceret. Editionem autem Venetam a. 1471. (v) totam illam quidem contuli, sed, quoniam vitiis scatet et in plerisque locis cum Ascensiana a. 1511. conspirat, tantum iis locis commemorandam putavi, quibus vetustissima illa editio bonam lectionem, a vulgata quae dicitur dissidentem, aut ob aliam causam memorabilem exhibet.

Iam si de codicum cognatione atque auctoritate quaeritur, omnino dubium esse non potest, quin codices, qui adhuc in hanc orationem collati sunt, in duas familias se findant, quarum alteram Germanicam, alteram Italicam dixeris, et quin in codicibus familiae Germanicae ut in aliis orationibus sic in hac scriptura genuina multo sincerior servata sit quam in Italicae. Ac tanta est tamque manifesta in hac oratione familiae Germanicae praestantia, ut nisi in paucissimis locis alterius familiae codices ne in censum quidem venire possint. Neque opus est hodie in re explorata argumentis (v. tamen quae de praestantia cod. Erfurtensis in hac oratione Wunderus in Praef. ad Var. Lectt. etc. p. LXI sqq. et Benecke p. XVI sqq. accurate disputaverunt); illud tamen non est silentio praetermittendum, codicis Erfurt. auctoritatem, quem unum ex ea familia integrum superstitem atque accurate collatum habemus, aliis quoque testibus eisque locupletissimis confirmari, locis dico,

---

tionis Harlesianae Ravenna mihi missa cum nova huius optimi codicis collatione comparerem, quam in meum usum Carolus Prantl, professor in universitate Monacensi, accuratissime instituit.

quos Aulus Gellius et Arusianus Messius ex oratione citant, et lemmatis scholiastae Gronoviani, quae utcumque partim corrupta sunt, tamen ex optimo fonte fluxisse apparet. Pertinent autem ad familiam Germanicam praeter *Erfurtensem palimpsestus Taurinensis*, *Tegernseensis*, *Coloniensis*, *Verdensis*, *Fabricianus*, *Parcensis*, *Lambiniani* denique, quamquam de his incertius iudicium est. Horum omnium codicum vel potius reliquiarum eorum lectiones in apparatu critico congessi, tantaque diligentia in re laboriosa mihi versatus esse videor, ut aliquoties rectius, quam ab Orellio et ab ipso Beneckeo factum est, lectiones indicare possem, quod dixi, non quo ipse meas laudes decantare vellem, sed ne quis lectionem a me alicuius codicis auctoritate testatam in suspicionem vocaret, priusquam ipse fontes adiisset. Magnopere autem dolendum est, quod praeter Erfurtensem ex nullo eiusdem familiae diversitatem lectionis integram habemus; ita enim in maximis rebus conspirant, ut tamen haud pauci loci sint, in quibus in diversas partes abeunt neque ita facile est ad diiudicandum, cuius auctoritati potissimum obtemperandum sit. Omissa igitur disputatione de ratione, quae inter codices duarum familiarum intercedit, quam hodie quidem supervacaneam habeo, lectiones gravissimas, in quibus unus alterve reliquorum codicum ab Erfurtensi discrepat, sub unum conspectum subiicere operae pretium videtur; sic enim fortasse rectius de aliquot locorum scriptura iudicari poterit, quam si singulae lectiones per se ipsae separatim examinantur. Omisimus autem in hac quaestione codicem Fabricianum, Verdensem Lambinianosque, quippe ex quibus pauciores lectiones singulares quam ex reliquis eiusdem familiae afferantur.

Fragmentum Taurinense, quamvis breve sit nec plus tres §§. orationis contineat, egregias tamen emendationes vulgatae suministravit, sed quae pleraeque codice Erf. (= ε) vel alio eiusdem familiae confirmantur. Solus veram lectionem §. 41. *ea temperantia* pro *hac temp.* servavit, alio loco §. 43. auctoritatem codicis Col. (= κ), ubi ipse *opinione et fama*, κ *opinione ac fama*, reliqui omnes *opinione famae* habent, in illustri lumine collocavit. Nec tamen erroribus vacat; quos tamen habet, tales sunt, qui a librariis saepissime committantur.

Difficilius de nonnullis lectionibus, quas Coloniensis (κ) singulares habet, iudicari potest. Aliae enim in eo solo inveniuntur, quae magnam veritatis speciem habent, aliae, quae interpolationis suspicionem non possunt non movere; aliae denique, in quibus dubius haereas, huicne an Erfurtensi sit maior fides habenda. Ac verae quidem hae lectiones videntur: §. 66, ubi solus hoc colon servavit: *qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum*, ut item alio ex ε §. 12. oratio aucta est; §. 16. *quo tandem igitur animo*, ubi in cett. *igitur* deest; §. 52. *multa item contra eam legem verba fecisti* cum φ pro *multa idem*; §. 55. *in hunc ipsum locum escendere* p. *ascendere*; §. 43. *opinione ac* (vel *et*)

fama cum T; quo accedunt formae vetustiores §. 18. *reciperare* et §. 23. genitivus *Tigrani*, sed *partim* §. 26. pro *partem* dubito num verum sit. Vix minus verae videntur lectiones, quamquam dubitare possis, §. 21. *studio atque odio inflammata*, ubi in rell. *atque odio* deest, ibidem *ut vos intelligatis* cum $\pi\varphi$ pro *ut hoc vos i.*; §. 28. *e ludo atque e pueritiae disciplinis* cum φ et Lamb., ubi reliqui alterum *e* omittunt; §. 40. *qua sit temperantia* cum π (quamquam in $\varkappa$ leviter corruptum *quae* legitur) pro *qualis sit temp.*; etiam §. 6. *genus est belli ciusmodi* lectioni in ε *genus est enim b. e.* posthabere non possum. Speciosae deinde sunt lectiones §. 26. *vestro iussu coacti qui ... putavistis* pro *quod putav.*; §. 35. *duabus Hispaniis et Gallia Transalpina praesidiis ac navibus confirmatis* pro *confirmata*, ubi praecedentes plurales pluralem traxisse videntur; §. 42. *vos quoque* p. *vos Quirites*; §. 44. *quantam vix in summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset*, quam ego quidem a me impetrare non possum ut vulgatae *ex summa* postponam; §. 56. *ut aliquando vere videremini ... imperare* pro *videremur*, ubi quod praecedit *non modo nos ... liberavit* lectionem Coloniensis potius firmare quam elevare videtur; §. 58. *cuiusquam iniquitas* p. *c. inimicum edictum*, quae lectio aliquam commendationem ex scholiastae lemmate depravato *cuiusque initia* habet, sed tamen eam, qua criticus sobrius decipi non debeat, v. adnot.; §. 65. *propter diripiendi facultatem* pro *p. d. cupiditatem*; §. 67. *neque nos ... assequi* cum φ et Lamb. pro *neque eos*; at v. adn. ad h. l.; speciosum est etiam §. 27. *quale esset hoc bellum, genere ipso necessarium, magnitudine periculosum* p. *quare*, sed verum nolim putare; speciosissima denique lectio §. 24. *eorum opera qui ad eum ex ipsius regno concesserant*, qua locus admodum dubius in integrum restitutus videretur, nisi voc. *opera* hanc lectionem de interpolatione suspectam redderet. Speciosae sunt etiam nonnullae verborum omissiones, quamquam aliae et fortasse pleraeque librarii incuria aut interpolatione ortae sunt; ad prius genus pertinet impr. §. 46. *quibus erat semper molestum ad eum potissimum esse missum*, ubi $\varkappa$ cum π et Franciano primo *semper* omittit; §. 7. *uno nuntio atque una significatione* pro *una sign. litterarum*, ubi tamen incerta sedes voc. *litterarum* vix ullum momentum habet ad vocabulum in suspicionem adducendum, quod in libris deterioribus saepissime in hac oratione verba suo loco mota apparent; §. 13. *unum virum esse, in quo sint omnia* p. *in quo sint summa omnia*, ut in aliis locis orationis legitur; §. 26. *quantum bellum factum putetis, quod coniungant* etc. pro *quantum illud b.*; §. 44. *vilitas* pro *vilitas annonae*. Ut aliquot harum omissionum interpolationis suspicione non sunt liberae, sic aliae eodem nomine aut propter librarii negligentiam notandae sunt, ut §. 9. *potuisset* omittitur, §. 32. *liberam*, §. 35. praepositio ante *Pamphyliam*. Praeter has numeravi duodecim lectionis diversitates insigniores, quae omnes certo reiicien-

dae sunt, quarum pars maior manum emendatricem sive potius corruptricem prodit. Sunt autem hae: §. 31. *terrae gentes nationes* pro *exterae gentes ac nationes*, quamquam huic lectioni quaedam probabilitas non est deneganda; §. 33. *classis capta atque deprehensa* p. *oppressa*; §. 38. *quantas calamitates adferant* p. *ferant*; §. 42. *bellum permittendum sit* p. *transmittendum*; §. 45. *solita inflammatum victoria* p. *insolita*, ubi *in* ob praecedens *m* intercidit; §. 46. *quod communi Cretensium legati ... venerunt*, ubi in rell. *communi* abest; §. 50. *erat adigendus* cum τ p. *deligendus*, quod mendum aeque ex scribendi errore ortum existimo ac §. 67. *iniuriis* p. *iacturis*, §. 58. *Latiensis* p. *Latiniensis* et *gereretur* p. *geritur*; — §. 55. *nonne pudebat* p. *non pud.*; §. 68. *maximus rebus* p. *maximisque rebus*. De lectione denique *civilibus* §. 28., ubi rell. *civitatibus* habent, incertum est iudicium; v. adn. crit.

Ut pretium fragmenti Tegernseensis recte aestimetur, primum quaerendum est, quae fuerit fides collatoris in lectionibus variis exscribendis. In quam rem cum accurate inquirerem, in hac quidem oratione mihi persuasi codicem satis diligenter cum prima editione Ernestiana a. 1756. collatum esse, ut pauci sint loci, in quibus negligentiae suspicio oriatur. Ac primum quidem animadverti ad nullum locum, qui iam in edit. Ernest. ad fidem codicis ε descriptus est, sive a Grutero sive a Graevio emendatus, ex cod. τ varietatem enotatam esse, id quod mirum esse non poterit, cum ε in gravissimis rebus semper cum τ conspiret, nec Gruterus aut Graevius alias lectiones ex ε attulerint, nisi quae ob insignem scripturae diversitatem vel illorum hominum oculos adverterent. In his igitur locis silentium editoris non ad negligentiam, sed ad fidem eius revocandum erit. Quas autem Wunderus novas ex ε protulit scripturae varietates, eae sunt numero 88. Ex his in 58 locis ex τ plane eadem varietas exscripta est; in 6 aliis lectio plerumque paulum discrepans, ut 24 loci restent, ad quos ex ε varietas exscripta est, non item ex τ. In his sunt 5 aperti scribendi errores, quos certum videtur non item librarium codicis τ commisisse (§. 57. *At* pro *A.*; §. 58. *alterum* p. *alter uni*; §. 61. *victorum* p. *victorem*; §. 61. *ad eam* p. *at eam*; §. 69. *Manli* p. *Manili*). Eodem fortasse pertinet, quod §. 64. ε contra codd. rell. et vulgarem dicendi consuetudinem habet *magnae et multae* pro *multae et magnae*; etiam 4 aliae scripturae diversitates vix dignae sunt quae in censum vocentur, §. 52. *aulum* pro *A.*; §. 55. *Persemque* p. *Persenque*; §. 60. *Teutonis* p. *Theutonis*; §. 63. *ferundum* p. *ferendum*. Restant 14 loci, in quibus fides collatoris in dubium vocari possit, sed ex his quoque duo satis graves eximendi sunt. Quod enim §. 55. (ubi ε habet *ascendere*, contra ed. Ernest., qua Wunderus usus est, *escendere*) et §. 67. (ubi Ern. habet: *videbat enim populum R. non locupletari*, Wund. ex ε excripsit: *videbat enim praetores locupletari*) silentium collatoris Teg. deprehen-

ditur, inde explicandum est, quod lectiones, quas Wunderus ex ε excripsit, eaedem in Ernest. a. 1756. apparent, et postea demum ab Ernesto relictae sunt. Ex 12 autem reliquis locis 7 ad verborum collocationem pertinent, quae utique alias in ε et τ conspirare solet; aliae quoque tres scripturae varietates leviores sunt, §. 48. ubi ε solus habet *domi militiae*, reliqui *domi militiaeque*, et §§. 48. et 49. ubi bis habet *ab diis* pro *a diis*, consentiens ille cum codd. optimis in aliis locis (v. ad or. in Vatin. §. 14. p. 61.), sed cum bis in eadem re collator tacuerit, vix puto illam varietatem in codice τ fuisse. Neque ita magnum est, quod §. 71., ubi ex solo ε *me* accessit, ex τ nihil allatum est; nam in tali re non minus facile librarius quam collator errare potuit; gravius est, quod §. 55., ubi ceteri habent *nos quoque qui antea*, ε solus *quoque* recte omittit, lectio codicis τ ignoratur. Cum tam pauca vestigia sint, ex quibus negligentiae suspicio subnasci possit, iudicium, quod supra de Harlesii vel amici eius fide feci, facile mihi videor intelligentibus probaturus esse, praesertim cum plus 30 varietates ab eo ex τ enotatae sint, quae in cod. ε non inveniuntur. Ut par est in codice eiusdem familiae et optimae notae, pleraeque levissimae videntur; sunt enim complures varietates in scribendi ratione, quarum aliae vetustam scripturam rectius referunt (ut §. 47. *dis* p. *diis*, §. 48. et alibi *Gn.* p. *Gneius*, §. 49. *neglegi*, §. 55. *exercitatissumos paratissumosque*, bis *idem* p. *iidem*), aliae in erroribus pervagatis versantur, ut *his* et *hii* p. *iis* et *ii*, *Chartaginienses*, *horae* p. *orae*, *Celius* p. *Caelius*, *coepit* p. *cepit*, *Cymbris*, *Sycilia*, *Philyppus*, *Siria* §. 64. (fort. ex *Suria* natum), *Asya*, *quodannis* §. 67. (quae tamen forma etiam in inscriptionibus invenitur), *detrimendis* p. *detrimentis*. Nec ita magnae sunt hae varietates §. 55. *Delus* p. *Delos* (quae haud scio an vera Ciceronis scriptura sit), §. 55. *portibus* p. *portubus*, §. 68. *cognostis* p. *cognovistis*. Aliae lectt. varr. ex aperto librarii errore profectae sunt: §. 52. *differri* p. *deferri*, et *apud plus* p. *plus apud*, §. 54. *nuno* p. *non*, §. 55. *clausium* p. *classium*, §. 56. *existimant* p. *existimavit*, §. 57. *edixerint* p. *eduxerint*, §. 58. *unius* p. *unus*, §. 59. *dissensio quo quod*, §. 68. *at* p. *atque*, §. 63. *eius dignita* p. *eiusdem dignitatis*, §. 63. *deligistis*, §. 64. *et isti* p. *isti* et *tanto* p. *quanto*, §. 71. *tutumque* p. *tantumque*; quod denique §. 60. verbum *dicam* et §. 69. ob duplex *videmus* totum colon omissum est. Sed in his omnibus erroribus inscitia potius quam fraus librarii deprehenditur, nec ullum lectionis interpolatae vestigium repperi, quo ego saltem referre nolim, quod §. 50. cum *x ad tantum bellum is erat adigendus* pro *deligendus* scriptum est, cum potius praecedens voc. *erat* mendi ansam dedisse videatur. Tanto magis illae varietates animos advertere debent, in quibus non sine causa a scriptura codicis ε declinatum videtur, ut §. 55. *et iis temporibus* pro *et his temp.*, §. 64. *vos iis repugnantibus* p. *vos his rep.*, ubi pronomen refertur ad praecedens *isti*, §. 65. *clausam aut*

munitam p. *clausam ac mun.* et deinde *locupletes et copiosae* pro *loc. ac copiosae.* Levius est quod τ solus §. 59. verba sic collocata habet: *factum esset eo in quo* pro *eo factum esset*, et §. 53. *an tibi tum imperium hoc esse videbatur* p. *esse hoc*, quamquam est, quo utraque lectio magnopere commendetur.

Restat ut pauca de codice Parcensi (π) dicamus. Hunc quoque codicem ex fonte puriore, unde optimi huius orationis fluxerunt, derivatum esse ex multis lectionibus, in quibus cum ε saepe solus conspirat, satis superque apparet. Sic habet §. 1. *attingere*, §. 2. *in dicendo consequi*, §. 18. *est igitur*, §. 19. *certe id quidem* et *defendantur*, §. 20. *et sapienti*, §. 21. *atque ita Quirites*, et *ut vos intelligatis* cum κφ (contra ε), §. 24. *ex ipsius regno*, §. 26. *perspicite* et *exercitu pulso*; ibidem solus habet *ex aliqua parte* p. *aliqua ex parte*, §. 28. lectionem memorabilem *ex incitatis atque bellicosissimis nationibus*, §. 37. *ullo in numero*, §. 38. *se ipse non continet*, §. 40. *qua sit temperantia*, ubi solus veram lectionem servasse videtur; §. 46. *quibus erat molestum* (sine *semper*) cum κ, §. 49. *dubitatis* et *ab diis* etc. Cum tamen idem multas interpolationes habeat easque plane singulares, quae fere in nullo alio codice inveniuntur, fieri non potest, quin criticus in magnas angustias adducatur, si quam lectionem speciosam in eo solo deprehenderit, quae nulla alia auctoritate commendatur. Quare mihi congratulor, quod ad orationem Sullanam, cuius adhuc nulli codices nisi Italici cogniti erant, lectiones Palatini noni et Tegernseensis nuper accepi, quibus publicatis apparebit codicis Parcensis pretium maius esse, quam et ego et Orelli in Sullana existimavimus.

Denique moneo Romae adhuc exstare codicem, qui ad familiam Germanicam pertinet, Palatinum dico illum, qui nomine Noni propter egregias lectiones, quas Gruterus ex eo cum ad alias orationes Tullianas tum ad Sullanam protulit, inter homines doctos insignem famam adeptus est. In hac quidem oratione quasi alterum exemplum Erfurtensis esse videtur, ut ex collatione aliquot §§. apparet, quam his ipsis diebus a Tych. Mommsenio Roma missam accepi suoque loco lectionis varietati inserui.

M. TVLLI CICERONIS
ORATIO DE IMPERIO GNEI POMPEI
AD QVIRITES.

I. 1. Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus, hic autem locus ad agendum amplis-

---

INDEX SIGLORUM.

T = fragmentum Palimpsesti Taurinensis.
ε = Erfurtensis. Inclusa nota Fr. significat Freundii additamenta.
τ = fragmentum Tegernseensis; v. Prolegg. p. 32.
κ = Coloniensis sive Hittorpianus; v. Proll. p. 29 seq. 34.
φ = Verdensis Gulielmii.
π = Parcensis; v. Proll. p. 32. 38.
β = codex Santenii, nunc Berolinensis; v. Proll. p. 33.
σ = Senesianus; v. Proll. p. 33.
Schol. = lemmata Scholiastae Gronoviani.
v = editio Veneta a. 1472. v. Proll. p. 33.
a = Ascensiana a. 1511.
c = Cratandriana a. 1528.
h = Hervagiana a. 1534.
s = Caroli Stephani a. 1555.
l = Lambiniana a. 1566.
5 = hoc numero significavi lectiones, in quibus editiones a c h s l consipirant.
Lm = lectiones in marg. ed. Lamb. 1584., quae nondum in editionem a. 1566. receptae sunt; v. Zumpt. ad Verr. p. XIII sqq.
var. Steph. = lectiones in appendice edit. Steph. 1555.; v. Zumpt. l. c. p. XIII.

INSCRIPTIO ORATIONIS. *De imperio Cn. Pompeii* ε κ φ teste Gulielmio in Quaestt. Plautinis p. 208. (Grut. Lamp. III, 2. p. 413.), sed est in ε *Gn.* (v. Wund. p. CLXXVI.); *de imperio Gnei Pompey* Pal. IX.; *pro Gne. pompeio imperatore eligendo* σ; *pro lege Manilia* β; *pro magno Pompeio ad Quirites* v; *pro lege Manilia sive de imperatore deligendo* a; *pro lege Manilia sive de laudibus Cn. Pompeii vel de imperatore deligendo* c; *pro lege Manilia ad populum* h s, *pro lege Manilia, seu de imperatore Pompeio deligendo, ad populum* l. — Oratio appellatur *de imperio Cn. Pompei* ab Aulo Gellio I, 7. (bis; add. X, 20., ubi legis meminit *de imperio Cn. Pompei*); a Prisciano IX, 10. p. 468. Krehl., ab Emporio Rhetore de deliberativa specie p. 287. ed. Pith., ab Arusiano Messio, qui ter habet *de imperio Pompeii*, semel p. 250. Lind. *de Imperio Cni Pompei.* Alibi breviter dicitur *oratio Pompeiana*, ut a Servio ad Verg. Georg. III, 64. et in Cod. Scholiastae Gronov. p. 437. et 442. ed. Or.; nusquam autem, quod ego sciam, apud veteres audit *oratio pro lege Manilia.*

§. 1. 1. *michi* Pal. IX. (et sic semper). — 2. *iocundissimus* β et Pal. IX.

simus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites, tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas adhuc, sed vitae meae rationes ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt. Nam cum antea per aetatem nondum huius auctoritatem loci attingere auderem, statueremque nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratum industria afferri oportere, omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. 2. Ita neque hic locus vacuus umquam fuit ab iis, qui vestram causam defenderent, et meus labor, in privatorum periculis caste integreque versatus, ex vestro iudicio fructum est amplissimum consecutus. Nam cum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me iudicaretis et quid aliis praescriberetis. Nunc cum et auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis, et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi usu prope quotidiana dicendi exerci-

---

§. 1. 1. *Quirites*] *quare* ε et Pal. IX. (sed in Pal. *Quirites* a m. sec. correctum). — 3. *mea* om. Pal. IX., sed suppletum in marg. ante *voluntas*. — *voluntas* β in marg., sed in textu *voluptas*. — *adhuc*] sic ε et Pal. IX. (sed hic *aduc*, quod in *adhoc* correctum est); om. βσ5. — *vitae meae*] επβσ, Pal. IX.; *meae vitae* 5. — 4. *cum per etatem antea nondum* Pal. IX. — 5. *attingere*] sic επφ; *actingere* Pal. IX.; *contingere* βσ5 cum codd. rell. (Lectio *attingere* in nullo codice familiae deterioris inventa est, nisi in Casanatensi, nunc Romano, qui *actingere* habet. Eius specimina mihi misit Tycho Mommsen.) — 8. *transmictendum* β, ut *mittere* in eo scribi solet, quod posthac non enotabo; *tramittendum* codd. Lamb.

§. 2. 8. *itaque neque* π et Pal. IX. — 9. *unquam* πσ. — *fuit*] sic επφh, Pal. IX.; om. πβσacsl, codd. Lamb. (qui suspicatus erat: *vacuus u. ab iis fuit*). — *ab hys nostris* Pal. IX.; *ab hiis* σ; *ab his* β. — *nostram causam* σ. — 10. *ex vestro*] *et vestro* ε et Pal. IX. — 11. *ampliss. est* a. — 12. *comiciorum* Pal. IX. — 13. *cumctis* Pal. IX.; *cuntis* σ. — *Quirites*] *cur* ε et Pal. IX. — 14. *iudicaritis* ε (Fr.) et Mon. f.; *iudicaretur* Pal. IX. a m. pr., sed *iudicaretis* a sec. — 15. *mandandis*] sic coniectura Hotomanus; at est haec lectio iam in a, confirmata codd. επφ, Fabric., Pal. IX. a m. pr.; *mandandi* cod. Ursini; *mandandum* βσcsl, Pal. IX. ex corr. cum codd. Lamb. et vulgg.; *mandatum* h; *mandatis* Lm (sed in adnot. ed. 1584. recte *mandandis* L. ex Fabr. commendavit). — 17. *ex*] *et* Pal. IX. cum ε; *te* σ. — *cottidiana* σ et Pal. IX. (*dicendi quotidiana* a).

tatio potuit afferre, certe et si quid auctoritatis in me est, apud eos utar, qui eam mihi dederunt, et si quid in dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse duxerunt. 3. Atque illud in primis mihi laetandum iure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini possit. Dicendum est enim de Gnei Pompei singulari eximiaque virtute; huius autem orationis difficilius est exitum quam principium invenire. Ita mihi non tam copia quam modus in dicendo quaerendus est.

II. 4. Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur, bellum grave et periculosum vestris vectigalibus ac sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate et Tigrane, quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitrantur. Equitibus Romanis, honestissimis viris, afferuntur ex Asia quotidie litterae, quorum magnae res aguntur in vestris ve-

---

§. 2. 1. *et si quid auctoritatis ... mihi dederunt*] omittunt hoc incisum $\beta\sigma 5$ cum codd. vulgg.; servarunt $\varepsilon\pi$, codd. Lamb., Fabr., Pal. IX., Belgici teste Grut. (i. e. $\varkappa\varphi$); (in Lm male *et* ante *si quid* desideratur contra voluntatem Lambini; v. Omissa ad calcem ed. 1566. Tom. I. p. 380. et adnot. in ed. 1584.). — 2. *apud eos utar*] sic ε et Pal. IX.; *ea apud eos utar* Lm ex codd. (num *ea* in $\varkappa\varphi$ fuerit, ignoratur); *apud eos effundam* π. — *in dicendo*] sic $\varepsilon\pi$, Pal. IX., 3 Oxonn.; *dicendo* Lm; *etiam in dicendo* unus Oxon.; *etiam dicendo* $\beta\sigma 5$ cum codd. plerisque. — 3. *hys* Pal. IX.; *hiis.σ*; *his* β. — *ei quoque*] *eius quoque* π. — 4. *duxerunt*] sic ε et Pal. IX., uterque a sec. manu; a prima: *dixerunt* (scil. in utroque cod. littera *i* puncto deleta et *u* suprascripta est); *censuerunt* reliqui, nisi quod β *consuerunt* habet.

§. 3. 5. *lectandum* β. — *iure*] *in re* $\beta\sigma$. — 6. *ex hoc*] *et hoc* ε et Pal. IX. — 7. *oratio*] *omio* β. — *deesse nemini*] sic $\varepsilon\pi\beta$ s l; *nemini deesse* σ a c h et Pal. IX. — *possit*] sic ε et Pal. IX. soli; *potest* rell. — *de* om. σ. — 8. *Gnei*] sic Mon. c et f.; *Gne.* σ; *genere* ε et Pal. IX.; *Gn.* a; *Cn.* β c h s l. — *Pompei*] sic $\varepsilon\beta\sigma$; *Pompeii* 5. — *singulari*] *laude singulari* σ. — 9. *ita*] *itaque* a c s l.

§. 4. 11. *haec* om. a. — 12. *vestris*] *nostris* $\beta\sigma$ et 4 Monn. — 13. *ac*] $\varepsilon\pi$, Pal. IX.; *atque* $\beta\sigma 5$. — *potentissimus* Pal. IX. — 14. *Mythridate* a; *Mitridate* $\beta\sigma$ (sic semper), Pal. IX. — 15. *arbitrantur*] sic ε, Monn. a d, 4 Oxx. et Pal. IX. (sed hic *arbitrantur*); *arbitratur* $\pi\beta\sigma 5$. — 16. *Romanis*] *p. ro.* σ. — *efferuntur* β. — 17. *cotidie* β; *cottidie* σ et Pal. IX., qui habet: *littere cottidie.*

ctigalibus exercendis occupatae: qui ad me pro necessitudine, quae mihi est cum illo ordine, causam rei publicae periculaque rerum suarum detulerunt: 5. Bithyniae, quae nunc vestra provincia est, vicos exustos esse complures; regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate; Lucullum magnis rebus gestis ab eo bello discedere; huic qui successerit non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum; unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti; eundem hunc unum ab hostibus metui, praeterea neminem.

6. Causa quae sit, videtis: nunc quid agendum sit, considerate. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore deligendo esse dicendum. Genus est belli eiusmodi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare ad persequendi studium debeat; in quo agitur

§. 4. 1. *per necessitudinem* β.

§. 5. 3. *Bythiniae* ε (Fr.); *Bithinie* σ; *Bithimie* Pal. IX.; *Bectiniae* β. — 4. *provintia* σ (ut plerumque). — *complures*] *quamplures* β et Pal. IX. (sed in hoc *complures* correctum). — *regum* σ. — *Ariobarranis* Pal. IX. — 5. *nostris vectigalibus* Pal. IX. — 6. *Luculum* σ (ut semper). — 7. *successerit*] sic εκπφ, Pal. IX.; *successit* Schol.; *succurrerit* βσ5 cum codd. vulgg. — *non satis paratum* (sine *esse*) Pal. IX. — 9. *imperatorem* om. π solus. — *deposci* om. Pal. IX. (omissiones in eo cod. frequentissimae sunt). — *eundem*] *eundum* Pal. IX. — 10. *metui*] *merui* σ.

§. 6. 11. *causaque si videtis* Pal. IX. — *nunc quidem* β. — 13. *genus est belli eiusmodi*] sic Pal. IX. et κ teste Modio ep. 97. et π, ut videtur (certe π *enim* non habet); *genus est enim belli eiusmodi* ε; *genus est enim eiusmodi belli huiusmodi* φ; *genus est enim eiusmodi* βσ5, codd. Pall. et vulgg. (sed σa: *huiusmodi*); *genus est eius belli huiusmodi* Gulielm. susp.; *genus est igitur eiusmodi* Lamb. susp. (Gruterus ad lemma *genus est enim eiusmodi* haec adscripsit: „Pall. nihil variant; at Vuerdense exemplar addit *belli huiusmodi*. Hittorpii Coloniense: *genus est eius belli*, quod mihi placet, utique cum et Turingicus habeat item illud *belli* etc.": ut nescias, habueritne κ *eius* ac deinde *eiusmodi* omiserit necne, cum Gruterus lectionem ob eam solam causam afferat, ut adiectum *belli* testetur; equidem malui in Gruteri negligentia Modii testimonio fidem habere.) — 15. *ad persequendi studium*] sic εκ; *perseq. studium* (sine *ad*) Pal. IX. et c; desunt tria verba in πβσahsl, ut in mss. rell. — *debeat*] sic ε, Pal. IX., κ (teste Modio), cl; *debet* βσahs. — *in quo agitur*] εκchsl, Pal. IX.; *quid ita? agitur* var. Steph.; in βσv omissa sunt vv. *in quo ag.* usque ad *in re militari*; in a praeter haec deest etiam *tradita est*.

populi Romani gloria, quae vobis a maioribus cum magna in omnibus rebus, tum summa in re militari tradita est: agitur salus sociorum atque amicorum, pro qua multa maiores vestri magna et gravia bella gesserunt: aguntur certissima populi Romani vectigalia et maxima, quibus amissis et pacis ornamenta et subsidia belli requiretis: aguntur bona multorum civium, quibus est a vobis et ipsorum et rei publicae causa consulendum.

III. 7. Et quoniam semper appetentes gloriae praeter ceteras gentes atque avidi laudis fuistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore concepta: quae penitus iam insedit ac nimis inveteravit in populi Romani nomine: quod is, qui uno die, tota in Asia, tot in civitatibus, uno nuntio atque una significatione litterarum cives Romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum iam tertium et vicesimum regnat, et ita regnat, ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emer-

---

§. 6. 1. *pop. Rom.*] *R. P.* π. — *in omn. rebus*] ε c, Pal. IX.; *in rebus omn.* h s l. — 2. *tradita est*] *Tar-ditate* σ. — 3. *pro qua*] *per quam* β. — *m. nostri* a. — 4. *pop. R.*] *pro* (ex *p. ro.*) Pal. IX.; *per* ε. — 6. *requiritis* β; *frustra requiretis* s. — *multorum bona* Pal. IX. — 7. *est* om. π. — *a vobis et ipsorum et rei p. causa*] sic ε β (sed β om. *causa*), L m ex codd. Cleric. Memm. et Fabr. (et ad calcem ed. 1566. I. p. 380.); *a vobis et ipsorum et p. r. causa* Pal. IX.; *a vobis et ab ipsa R. P. causa* π; *a vobis et ab imperatoribus reip.* a c cum codd. vulgg. (sed c om. *ab*); *et a vobis et ab imperatoribus reip.* σ h s; *et a vobis et ab imperatoribus vestris* l; *et nobis et imperatoribus r. p.* var. Steph.

§. 7. 10. *est vobis*] sic codd. et edd. vett.; *vobis est* Orelli ex s l. — 11. *Mitridatico bello* β σ (quod posthac non enotabo); *bello Mithr.* π. — *concepta*] ε solus; *suscepta* rell. — 12. *ac nimis inveteravit*] sic ε κ φ soli; *atque inveteravit* rell. — 13. *is qui*] om. *is* π. — *uno die*] ε h, L m; *una die* β σ a c s l, codd. vulgg. — *tota in Asia*] ε solus; *tota Asia* rell. — *nuncio* c h; *nuptio* β. — 14. *signif. litt.*] ε β σ v s, Monn.; *litt. signif.* c h s l; om. *litterarum* κ solus. — *nec. trucidandosque*] *necandosque* β. — 15. *denotavit*] sic σ 5 cum codd. plerisque, ut Monn. (nisi quod M b habet *denotarit*); *notavit* β; *curavit* ε; *mandavit* π. — *penam* σ. — 17. *tertium iam annum* v a. — *vigesimum* β σ a c h s, 5 Monn. — *regnat* β in marg.; in textu: *regit.* — 18. *Ponti*] ε solus; *Ponto* rell. — *capadocie* σ.

gere ex patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. 8. Etenim adhuc ita nostri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarent. Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri et summi imperatores, sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. Verum tamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt, venia danda, quod reliquerunt; propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam res publica, Murenam Sulla revocavit.

IV. 9. Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit: qui postea quam maximas aedificasset ornassetque classes, exercitusque permagnos quibuscunque ex gentibus potuisset comparasset, et se Bosporanis, finitimis suis, bellum inferre simularet, usque in Hispaniam legatos ac litteras misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus, ut, cum duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti de imperio dimicaretis. 10. Sed tamen

---

§. 7. 1. *ex patrio*] sic scripsi cum Klotzio, cum ε habeat *et patrio*; *e patrio* rell. — *in nostris* a. — 2. *in Asiae*] *iam Asiae* β.

§. 8. 2. *nostri*] sic ε v a; *vestri* πβσ c h s l. — 4. *reportarint* l. — *triunfauit* σ (sic bis). — *Silla* βσ; *Sylla* 5 (et sic infra). — 5. *Muraena* s; *Murrena* β (sic et infra). — *viri*] sic ε5; om. πβσ cum codd. plerisque.

§. 9. 12. *belli veteris* π. — 13. *postea quam*] *postquam* a; *postea quum* Benecke probante Madvig. — *ornassetque*] *ordinassetque* ε; *honorassetque* σ. — 14. *ex*] *et* ε. — *potuisset*] om. κ, ut ex Modii relatione coniiciendum est. — 15. *et se*] sic ε et κ (teste Modio); om. βσ5, rell. — *Bosporanis*] 1 et 2 Oxx.; *Bosphoranis* a c h s; *bosforanis* s; *Bofferaiis* β; *Vefaranis* σ. — 16. *simularet*] sic επβσ, 5 Monn.; *simulasset* 5 cum codd. deter. — *usque ad Hisp.* a; *usque yspaniam* β. — *ac litteras*] sic επφπ, Fabr., L m; *et litteras* cod. Bononiensis Hier. Arloti et manus emendatrix in Mon. b (i. e. Salisburg.); *electanis* βσ a (sed σ *ellect.*); *electariis* vel *Electanis* var. Steph.; *e Lebetanis* c; *Ecbatanis* h s l. — 18. *a binis*] sic ε ex corr. (v. Freund.), π, Fabr., L m, Franc. I.; *a uinis* cod. Lamb. (unde iam ad calcem ed. 1566. *a binis* legendum esse primus vidit); *ab unis* βσ5, rell. — 20. *districti*] φπβσ, L m., Fabr. aliique; *destricti* ε; *distracti* 5 cum codd. vulgg.

alterius partis periculum, Sertorianae atque Hispaniensis, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompei divino consilio ac singulari virtute depulsum est; in altera parte ita res a L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa rerum gestarum magna atque praeclara non felicitati eius, sed virtuti, haec autem extrema, quae nuper acciderunt, non culpae, sed fortunae tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra neque falsa afficta esse videatur: 11. de vestri imperi dignitate atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meae, videte quem vobis animum suscipiendum putetis.

V. Maiores nostri saepe mercatoribus aut navicularis nostris iniuriosius tractatis bella gesserunt: vos tot milibus civium Romanorum uno nuntio atque uno tempore necatis quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen extinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi Romani consularem vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem imminutam civium Romanorum non tulerunt; vos

---

§. 10. 1. *Hispanensis* β. — 2. *Gnei* a; *Gne.* σ. — *Pompei*] sic ε, ut semper. — 4. *a*] *ab* a. — 5. *rerum gest.*] επ; *gest. rerum* rell. — 8. *Quirites*] *Caur.* σ. — 9. *orat. nostra*] *orat. mea* ε solus. — *neque*] *nec* β. — *afficta*] chsl; *ac ficta* (ortum ex *adficta*) εσa, codd. plerique; *aut ficta* Crat. margo; *nec ficta* β.

§. 11. 10. *de vestri*] sic εκφ; *pro vestri* β; *sed pro vestri* 5 et codd. plerique; *pro nostri* σ; *sed nostri* var. Steph. — *atque*] *ac* β. — 11. *exorsus*] *et orsus* ε. — 13. *nostri*] εκφσva, Schol., Franc. I. II.; *nostris* Crat. margo; *vestri* βchsl, 5 Monn. — *aut*] επβσsl, 3 Monn.; *ac* ach et Fabr., ut videtur, cum codd. multis. — *navicularis*] sic επ, Schol., Fabr., Lm; *naviculatoribus* βσ5, codd. vulgg. Pall. omnes (?) et Gulielm., ut ait Gruterus (sed cum in ε sit *navicularis*, Gruteri testimonium de κ et φ nihil valet). — 14. *nostris*] sic ε solus; om. rell. — *milibus civ. R.*] ε solus; *civ. R. milibus* rell. — 16. *erant quod* βσ. — *superius* ε. — 17. *nostri tocius* σ. — *extinctum* ε5; *extinctam* π cum Mon. d et e. — 18. *vos enim eum* σ. — *inultum*] *inuitum* ε (Fr.). — 19. *populi Ro.*] om. π teste Orellio, sed puto notam commutatam esse, et ad inferiora verba p. 46. lin. 2. (*legatum omni supplicio* etc.) pertinere. — *vinclis* 2 Monn. — 20. *necatum excruciauit* σ. — 21. *immin. civ. R.*] ε; *civ. R. immin.* rell.

ereptam vitam negligetis? Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt; vos legatum omni supplicio interfectum relinquetis? 12. Videte ne, ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperi gloriam tradere, sic vobis turpissimum sit, id quod accepistis tueri et conservare non posse.

Quid, quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur, quo tandem animo ferre debetis? Regno est expulsus Ariobarzanes rex, socius populi Romani atque amicus; imminent duo reges toti Asiae, non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis atque amicis; civitates autem omnes cuncta Asia atque Graecia vestrum auxilium exspectare propter periculi magnitudinem coguntur; imperatorem a vobis certum deposcere, cum praesertim vos alium miseritis, neque audent neque se id facere sine summo periculo posse arbitrantur. 13. Vident et sentiunt hoc idem, quod vos, unum virum esse, in quo summa sint omnia, et eum propter esse, quo etiam carent aegrius: cuius adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt ac retardatos. Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut se quoque, sicut ceterarum provinciarum socios, dignos existimetis,

---

§. 11. 1. *ereptam vitam*] ε; *vit. ereptam* rell. — *negligitis* ε et Mon. c. — 2. *legatum*] εβσva, Monn.; *legatum populi Rom.* chsl. — *relinquetis*] εβσv, Monn.; *inultum relinquetis* 5.

§. 12. 3. *pulcerimum* σ. — 4. *tradere*] sic ε et Lm ex codd.; *relinquere* rell. — *id quod*] επβσl, var. Steph., 5 Monn.; *illud quod* achs. — 5. *ac conservare* h; *et servare* π. — 6. *quid est quod quia* σ. — *in* om. β. — 7. *quo tandem animo ferre debetis*] hoc totum incisum ex solo ε accessit. — 8. *est exp.*] ε solus; *exp. est* rell. — *atque amicus*] *ac amicis* β. — 9. *nobis* a. — 10. *nostris* a. — 11. *a cuncta* a. — *expectare* σ. — 12. *magnitudinem periculi* π. — 13. *alium*] *alios* var. Steph. — 14. *se id*] om. *se* va (editt. post Grut. *id se* contra codd.). — *sine summo*] ε et Mon. d soli; *summo sine* rell. — *peric. id posse* σ.

§. 13. 15. *quod vos*] εβσ, Monn.; *quod et vos* 5; *quod et nos* var. Steph. — 16. *virum* om. π. — *summa* om. χ solus. — *propter*] sic επχ, unus cod. Lamb. (ipso in adnot. probante), var. Steph.; *prope* βσ5; *Pompeium* π. — 18. *ille* om. a. — *ad maritimum bellum*] επ5, Schol.; *ad amantinum bellum* βσ. — *inuenerit* σ. — *tamen* om. a. — 19. *atque ret.* a.

quorum salutem tali viro commendetis; atque hoc etiam magis, quod ceteros in provinciam eiusmodi homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc praesentem vident tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur.

VI. 14. Quare, si propter socios, nulla ipsi iniuria lacessiti, maiores nostri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella gesserunt, quanto vos studio convenit iniuriis provocatos sociorum salutem una cum imperi vestri dignitate defendere? praesertim cum de maximis vestris vectigalibus agatur. Nam ceterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus; Asia vero tam opima est ac fertilis, ut et ubertate agrorum et varietate fructuum et magnitudine pastionis et multitudine earum rerum, quae exportantur, fa-

---

§. 13. 2. *quod ceteros in prov. eiusmodi homines*] sic εκφ, nisi quod in κ et φ *eiusmodi* post *ceteros* locum habuisse dicitur; *quod ceteros eiusm. homines in prov.* π; *quam caeteros eiusm. in prov. homines* va cum codd. multis, ut Pall. plerisque, 5 Oxx., 3 Monn.; *quam ceteros quod eiusm. in prov. homines* βσchsl. — *in provinciam*] sic ε et codd. rell. (sed σ *provincia*); *in hanc provinciam* Lm ex susp.; *in provincias* κφ teste Grutero, sed errore, opinor; nam ex 3 codd. Gulielm., qui *provincias* habere dicuntur, saltem ε excipiendus est, quo accedit, quod lectio librorum illorum propter scripturam *quod ceteros* exscripta est, non quo lectio diversa ad vv. *in provinciam* afferretur. — *imperio* om. π. — 3. *misimus ut* c (sed in marg. *mittimus ut*); *mittitis* π (sine *ut*). — *etiamsi*] *etiam si eos* π. — 4. *in urbe* εσ. — *pugnatione* σ. — 5. *differat* β. — 7. *ut ii*] ε5, *ut hii* σ; *ut his* β; *ut* π. — *ille* om. β. — *commoretur* l.

§. 14. 9. *lacessiti iniuria* π. — 10. *nostri*] εφva, Franc. I.; *vestri* πβσchsl, 5 Monn. — *Aetholis* σε (Fr.). — 11. *studio* om. σ. — 13. *maximis vestris*] επβ, 3 Monn.; *maximis nostris* var. Steph.; *vestris maximis* σchs; *vestris maximc* a; *vestra maxima vectigalia agantur* Lamb. ex coni. — 14. *Quirites* om. β. — 15. *iis*] ε; *hiis* σ; *his* β5; om. *iis* π. — 16. *vero* om. π. — *ac fert.*] ε; *et fert.* β5; *ut fert.* σ. — *ut et*] *ut* β; *uti* (cum linea supra *i*) σ. — 18. *pactionis* l. — *exportantur*] sic πσ5 cum codd. plerisque; *exportentur* εβ, 3 Monn. (cef), 3 Oxx.

cile omnibus terris antecellat. Itaque haec vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem et pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate, sed etiam a metu calamitatis est defendenda. 15. Nam in ceteris rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur; at in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio nulla facta est, tamen pecua relinquuntur, agri cultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest; quare saepe totius anni fructus uno rumore periculi atque uno belli terrore amittitur. 16. Quo tandem igitur animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia nobis pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, cum duo reges cum maximis copiis propter adsint? cum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portubus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructui sunt, conservaritis, non solum, ut ante dixi, calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

---

§. 14. 1. *omnes terras antecedat* π. — *haec itaque* π. — 2. *et belli*] *ad belli* φ. — *retinere*] sic ε κ φ; *sustinere* β σ 5, rell. — 3. *velitis* a.

§. 15. 4. *ceteris in rebus* c h contra codd. — 5. *at*] *ac* σ. — 7. *absint* a; *sunt* σ. — *irr. nulla facta*] ε π β σ v a s; *irr. facta nulla* c h; *nulla irr. facta* l. — 8. *est*] ε solus; *sit* rell. — *pecua*] sic Servius ad Verg. Georg. III, 64.; *pecora* codd. — *relinquentur* ε. — 9. *itaque neque* var. Steph. — 9. et 10. *et* ter pro *ex* ε (Fr.). — 10. *decumis*] c h s l et ε alt. manu (Fr.); *decimis* β σ a ε (pr. m.). — *servari* β. — 12. *terrore belli* a. — *ammictitur* σ; *ad mictitur* β.

§. 16. 12. *tandem igitur*] sic κ solus; *tandem* ε β σ 5. — 13. *nobis*] ε et Monn. a f; *vobis* β σ 5, rell. — 15. *propter*] sic ε κ soli; *prope* β σ 5; om. π. — *adsint*] sic 5 et κ, ut a Grut. refertur; *assint* ε β; *adsunt* π σ; *absint* codd. Ursini. — 17. *salinis*] sic codd. et edd. vett. praeter Lamb., qui ex scriptura unius sui libri *in filius* scripsit *in siluis*, ut item Turnebus Advers. I, 5. coniecerat; *saltibus* Hotom. coni. — 18. *portibus* β et Mon. a. — *arbitrarentur* σ. — 19. *illis*] ε β σ 5; *eis* π; *his* Arusianus Mess. p. 231. Lind. — *qui vobis fructui sunt*] sic ε, Fabr., L m et Arusianus (sed hic *qui fructui vobis sunt*); *quibus fructui sunt* π; *qui vobis fructuosi sunt* β σ 5, rell. — 20. *conservaritis*] sic ε; *conservaveritis* β σ 5, rell. cum Arusiano, ut longior forma praeferenda videatur. — *ante*] sic ε σ, Monn., var. Steph.; *antea* β 5.

VII. 17. Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Romanorum pertinet; quorum vobis pro vestra sapientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam et publicani, homines honestissimi atque ornatissimi, suas rationes et copias in illam provinciam contulerunt, quorum ipsorum per se res et fortunae vobis curae esse debent. Etenim si vectigalia nervos esse rei publicae semper duximus, eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte esse dicemus. 18. Deinde ex ceteris ordinibus homines gnavi atque industrii partim ipsi in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis, partim eorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent. Est igitur humanitatis vestrae, magnum numerum eorum civium calamitate prohibere, sapientiae, videre multorum civium calamitatem a re publica seiunctam esse non posse. Etenim primum illud parvi refert, nos publicanis amissis vectigalia postea victoria recuperare: neque enim isdem redimendi facultas erit propter calamitatem, neque aliis volun-

---

§. 17. 1. *ac*] *at* var. Steph. — *quidem* om. σ. — 2. *de genere belli* a. — 3. *civium reor pertinere* π; *civitatum r. pertinet* σ. — 5. *honest. atque*] sic ε solus; *honest. et* s l; *et honest. et* βσ a c h, codd. plerique. — 6. *in illas provincias* β. — 7. *vobis curae*] επβ, Monn. a et e; *curae vobis* 5; *care* (sine *vobis*) σ. — 8. *rei publ. esse* a. — 9. *duximus*] ε5; *diximus* βσ cum 4 Monn.

§. 18. 11. *ex ceteris*] ε solus; *ceteris ex* rell. — *gnavi*] εβσ v a; *navi* c h s l (v. Ellendt. ad Cic. Brut. §. 228. p. 261. ed. II.). — *atque ind.*] επ; *et ind.* βσ5, rell. — 12. *ipsi*] sic επφ soli; om. βσ5. — *absentibus vos* a. — 13. *partim eorum*] *partim suas et suorum* s l contra codd. notos. — *collocatas*] *collatas* σ a c. — 14. *est*] επ soli; *erit* βσ5. — *num. eorum civ.*] ε; *eorum civ. num.* rell. — 15. *a calamitate* π et cod. Victorianus ap. Beneck. — 17. *et enim* σ (v. Ellendt. ad Cic. Brut. p. XIII. ed. II.). — *primum illud*] ε solus; *illud primum* βσ c h s l; om. *primum* a. — *nos*] ε solus; *vos* βσ5 (etiam π, ut videtur). — *amissis*] sic επβσ v a c, var. Steph., codd. plerique (sed β *admissis*, ut item §. 19. habet *admiserant* et *admittere*); *amissa* h s l, et fort. etiam π. — 18. *postea*] *postera* σ; Mon. b sec. manu: „al. *parta*", quod item in Ox. H suprascriptum est. — *reciperare* π teste Modio. — *neque enim*] *neque* βσ v c cum 5 Monn. et 7 Oxx., unde Madvigius suspicatus est: *nam neque*, ut in Mon. b suprascriptum est. — *hiisdem* σ. — 19. *redimendis* εσ.

tas propter timorem. 19. Deinde, quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, certe id quidem calamitate docti memoria retinere debemus: nam tum, cum in Asia res magnas permulti amiserant, scimus Romae solutione impedita fidem concidisse. Non enim possunt una in civitate multi rem ac fortunas amittere, ut non plures secum in eandem trahant calamitatem. A quo periculo prohibete rem publicam et mihi credite, id quod ipsi videtis: haec fides atque haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur, implicata est cum illis pecuniis Asiaticis et cohaeret; ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefactata motu concidant. Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium coniunctae cum re publica defendantur.

VIII. 20. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest hoc enim dici, belli genus esse ita necessarium, ut sit gerendum, non esse ita magnum, ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est, ne forte a vobis, quae diligentissime providenda sunt, contemnenda

---

§. 19. 2. *idem* om. β. — *certe id quidem*] sic $\varepsilon\pi$; *id quidem certe* Lm ex cod. Fabric., Franc. I. et II. et β, ut videtur; *id quod certe* σachs, codd. vulgg.; *id certe* l. — 3. *tum cum*] *quia cum* π. — 4. *amiserant*] $\varepsilon\beta\sigma$va, Monn.; *amiserunt* chsl. — 5. *solucione inpedita* σ. — 6. *ac fort.*] $\varepsilon\pi\beta$, var. Steph., Monn.; *atque fort.* σ5. — *fortunam* σ. — 7. *trahant cal.*] $\varepsilon\pi\beta\sigma$va, Monn.; *cal. trahant* chsl. — 9. *atque ratio* σ. — *Romae*] *ratione* σ (ex compendio *rone*). — 10. *implicata*] sic ε (Fr., sed *inplicata*) et Mon. b a pr. manu; *implicita* $\beta\sigma$5, rell. — 11. *hoc non eadem* σ. — *labefactata*] sic 5 cum Monn. b et c et codd. vulgg.; *labefacta* $\varepsilon\pi\beta\sigma$, 4 Monn., var. Steph. — 12. *vobis dubitandum* π. — 14. *coniunctae cum re publ.*] sic $\varepsilon\varkappa\varphi$ (quod ait Grut. in $\varepsilon\varkappa\varphi$ *cum rep. coniunctae* inveniri, saltem de ε et $\varkappa$ falsum est, ut ex Wunderi et Modii testimoniis compertum habemus); *cum re publ.* β5, codd. vulgg.; *r. p.* (sine *cum*) σ; *Quirites* π (is scil. habet: *fort. plur. civium Quirites defendantur*). — 15. *defendantur*] sic $\varepsilon\varkappa$ (teste Grut.) $\varphi\pi$; *defenduntur* $\beta\sigma$5, rell.

§. 20. 16. *magnitudine*] sic ε et β (ut videtur), chsl, cod. Victorianus; *magnitudine belli* σa, Monn. et plerique. — 17. *hoc enim*] ε solus; *enim hoc* rell. — 18. *ita esse* a. — 19. *forte a vobis*] sic codd. et edd. vett., excepto Pal. 2., in quo est *forte an vobis* (unde *fortean* Guilelm. et Schuetz.); *forte ea vobis* Buttmann. coni.; *forte vobis* Lm, ut Hotom. maluerat.

esse videantur. Atque ut omnes intelligant me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro et sapienti homini et magno imperatori debeatur, dico, eius adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse, urbemque Asiae clarissimam nobisque amicissimam, Cyzicenorum, obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine et oppugnatam vehementissime, quam L. Lucullus virtute, assiduitate, consilio summis obsidionis periculis liberavit; 21. ab eodem imperatore classem magnam et ornatam, quae ducibus Sertorianis ad Italiam studio atque odio inflammata raperetur, superatam esse atque depressam; magnas hostium praeterea copias multis proeliis esse deletas, patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui antea populo Romano ex omni aditu clausus fuisset; Sinopen atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornatas ac refertas, ceterasque urbes Ponti et Cappadociae permultas uno aditu adventuque esse captas; regem spoliatum regno patrio atque avito ad alios se reges atque ad alias gentes supplicem contulisse: atque

---

§. 20. 2. *impertire*] sic εa, Franc. I. II., Crat. margo, var. Steph.; *impartire* v, 3 Oxx., Monn. a et d; *impertiri* βσchsl. — *et sapienti*] sic εκ et κ (teste Modio, qui tamen *et* errore, ut videtur, omisit); *et sapientissimo* βσ5, rell. (Lamb. susp. *fortissimo viro et sapientissimo*). — 3. *eius in adventu* a. — 4. *Mithridati* φ et Mon. c. — *instructas fuisse*] sic εκφ; *structas fuisset* Schol.; *instructas* (sine *fuisse*) βσac, codd. plerique; *instructas esse deletas* hsl (sed h *delatas*). — 5. *Cizecenorum* a; *cizeniorum* σ; *corenorum* Schol. — 6. *obsessam* sine *esse* sl. — *maximā*] *magna* l. — 7. *quam L. Lucullus ... liberavit*] *L. Luculli ... liberatam* sl (ex interpolatione). — 8. *obsidionibus* σ.

§. 21. 10. *studio atque odio*] sic κ solus; *studio* rell. — *inflammata*] εκφ; *inflammato* βσ5, rell. — 11. *depressam*] *prehensam* σ. — 12. *legionibus esse nostris portum* σ (om. *esse* π). — 13. *antea*] ε; *ante* βσ5. — *auditu* β. — 14. *fuisset*] ε solus; *esset* βσach, codd. plerique; *erat* sl. — *Sinopen*] sic l et βσ; *synopen* ε; *Sinopem* achs, Schol. — *Amisum*] Schol., chsl; *amysum* ε; *Amistum* βσa. — 15. *ornatas ac refertas*] sic ε (Fr.); *ornatas atque refertas* πal, 2 Monn. et β, qui tamen *omnibus rebus* post *ornatas* habet; *ornata atque referta* σchs (sed σ *reffecta*), codd. vulgg. — 16. *aditu adventuque*] sic ε et Mon. b; *auditu adventuque* va (sed v *audito*); *aditu adventu* β; *aditu atque adventu* σchsl, codd. plerique; *adventu* π. — 17. *captas*] sic 5; *clausas* εκφβσv, noti codd. omnes; *reclusas* L. de Ian. coni. — *alios reges se* σ; *alios reges* (om. *se*) a. — 18. *atque ad alias*] εβσv, Monn., var. Steph.; *adque alias* a; *atque alias* chsl. — *se contulisse* a.

haec omnia salvis populi Romani sociis atque integris vectigalibus esse gesta. Satis opinor haec esse laudis, atque ita, Quirites, ut [hoc] vos intelligatis, a nullo istorum, qui huic obtrectant legi atque causae, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.

IX. 22. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cum haec ita sint, reliquum possit magnum esse bellum. Cognoscite, Quirites; non enim hoc sine causa quaeri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam praedicant in fuga fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa maerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a maioribus acceperat et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. Ita illum in persequendi studio maeror, hos laetitia tardavit. 23. Hunc in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit diffidentemque rebus suis confirmavit et afflictum erexit perditumque recreavit: cuius in regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatae sunt. Erat enim metus iniectus iis nationibus, quas num-

---

§. 21. 2. *haec esse*] $\varepsilon\beta\sigma$, unus Ox.; *hoc esse* 5 et Monn. — *atque ita Quirites*] sic $\varepsilon\pi$; *atque ita Q. R.* $\varkappa\varphi$; *atque ita R. P.* 2 Pall. et Memm. Lambini; *atque r. p.* σ; *atque ita reputo* β5, codd. vulgg. — 3. *ut hoc vos*] $\varepsilon\beta$5, codd. plerique; *ut vos hoc* σ; *ut vos* $\varkappa\varphi\pi$. — 4. *ex hoc loco similiter* σ.

§. 22. 7. *posse* σ. — *magnum esse*] ε; *esse magnum* rell. — 8. *hoc*] $\varepsilon\varkappa\varphi$; om. $\beta\sigma$5, rell. — *primo* σ. — 9. *sic*] om. ε solus. — 10. *illa Medea* a. — *praedicauit* σ. — 11. *in iis*] εsl; *in hiis* σ; *in his* βach. — 14. *et argenti* σ. — 15. *quas et*] om. *et* βl. — *ipso* $\beta\sigma$a, var. Steph. — 16. *dereptas* cod. et susp. Lamb.; *directas* β. — 18. *itaque* σ. — *in persequendi*] sic $\beta\sigma$5, codd. plerique; *a tam persequendi* ε solus cum Crat. marg.; *a persequendi* Orelli (2) et Eckstein cum π. — 19. *tardavit*] ε solus; *retardavit* rell.

§. 23. 20. *timore*] *tempore* ε contra codd. rell. et Schol. — *Armeniae* π. — 22. *L.* om. ε. — 24. *iis*] *his* σ; *etiam his* β.

quam populus Romanus neque lacessendas bello neque tentandas putavit; erat etiam alia gravis atque vehemens opinio, quae animos gentium barbararum pervaserat, fani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum esse exercitum adductum. Ita nationes multae atque magnae novo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem exercitus, tametsi urbem ex Tigrani regno ceperat et proeliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio suorum commovebatur. 24. Hic iam plura non dicam: fuit enim illud extremum, ut ex iis locis a militibus nostris reditus magis maturus quam processio longior quaereretur. Mithridates autem et suam manum iam confirmarat, et eorum, qui se ex ipsius regno collegerant, et magnis adventiciis auxiliis multorum regum et nationum iuvabatur. Iam hoc fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictae fortunae facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt aut vivunt in regno: ut his nomen regale magnum et sanctum esse videatur. 25. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam est ausus optare. Nam cum se in regnum suum recepisset, non fuit eo contentus,

---

§. 23. 1. *bello lacessendas* Lm. — *temptandas* εσ. — 3. *animos*] sic εβσc soli; *per animos* ahsl, codd. rell. — *phani* a. — 4. *atque relig.* π. — *causas* β. — *esse exerc.*] ε; *exerc. esse* rell. — 5. *adductum*] *aductum* σ. — 6. *metu*] *magno* β; sed *metu* al. m. in marg. — *excitabantur* σ. — 7. *tametsi*] ε, Schol.; *etsi* rell. — *ex*] *et* ε (Fr.). — *Tigrani*] κ; *Tigranis* rell., etiam Schol. — *ceperat regno* σ. — 8. *et desiderio* σ. — 9. *movebatur* π.

§. 24. 10. *enim*] *autem* π. — *iis*] εβsl; *hiis* σ; *his* ach. — *reditus m. maturus*] *recessio maturior* π. — 11. *processio*] επβσv, 5 Monn.; *processus* 5. — 12. *manum confirmavit* σ. — *et* ante *eorum* om. κ, quod Matthiae et Madvig. delendum censent. — *eorum qui se ... collegerant*] *eorum opera qui ad eum ex ipsius regno concesserant* κ solus. — 13. *ex ipsius*] sic ε (Fr.) κπ soli; *ex eius* σ5; *ex suo* β. — *adventiciis auxiliis*] sic εκφπ, Lm ex cod. Fabric.; om. *auxiliis* βσ5, rell. — 14. *iuvabatur*] sic εκφπβσva, Lm ex Fabr.; *copiis iuvabatur* chsl ex interpolatione. — *iam hoc*] ε et Schol.; *nam hoc* π; *hoc iam* βσ5, codd. vulgg. — 17. *sunt* om. σ. — *ut his nomen reg.*] sic ε; *ut reg. his nomen* πβσ, codd. plerique; *ut reg. iis nomen* ach; *quod reg. iis nomen* sl ex editionis Iuntinae interpolatione (*iis* nullus codex habere videtur).

§. 25. 19. *nunquam* σ. — 20. *recepisset suum* ch contra codd.

quod ei praeter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram umquam attingeret, sed in exercitum nostrum clarum atque victorem impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, sicut poetae solent, qui res Romanas scribunt, praeterire me nostram calamitatem, quae tanta fuit, ut eam ad aures Luculli imperatoris non ex proelio nuntius, sed ex sermone rumor afferret. 26. Hic in illo ipso malo gravissimaque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quod imperi diuturnitati modum statuendum vetere exemplo putavistis, partem militum, qui iam stipendiis confecti erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit. Multa praetereo consulto: sed ea vos coniectura perspicite, quantum illud bellum factum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renovent agitatae nationes, suscipiant integrae gentes, novus imperator noster accipiat, vetere exercitu pulso.

X. 27. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare esset hoc bellum genere ipso necessarium, magnitudine periculosum:

---

§. 25. 1. *postea qua* σa, 4 Monn.; *qua postea* β. — 2. *nostrum*] επβσsl, Monn., Crat. margo; *vestrum* ach. — 3. *inpetum* σ. — 4. *sicut*] *ut* Schol. — 5. *eam* om. β. — *ad aures Luculli imperatoris*] sic επ; *ad aures L. Luculli* βσ5, rell.; *ad aures imperatoris* Madvig. susp. — 6. *nuntius sed*] *nuntiasset et* ε.

§. 26. 7. *illo ipso*] επβσvasl, 4 Monn.; *ipso illo* ch. — *offensa* π. — 8. *L.* om. ε. — *tamen*] *tum* β; *tum atque* σ. — *ex aliqua parte* π. — *hiis* σ. — 9. *quod*] *qui* κ et Mon. e soli. — 10. *vetere*] sic ε fortasse solus; *veteri* βσ5. — 11. *confecti*] επβσva, Pall., 5 Monn.; *confectis* chsl, sed codex fortasse nullus, quamquam Modius, qui lectionem *qui* pro *quod* ex κ in ep. 97. attulit, sic in eo videtur legisse. — *partim* κ teste Gulielm. — 12. *M'. Glabrioni* Orelli susp. — *multum* Schol. — *ea* delendum censuit Garatoni in Cur. sec. — 13. *perspicite*] sic εκφπ; *perspicitis* βσ5, rell. — *illud* om. κ. — *factum*] εκφβσvac, Lm et ad calcem ed. 1566.; *futurum* hsl contra codd. — 15. *inperator* σ. — *noster*] εσ, 3 Monn., 4 Oxx.; *vester* β5. — *veteri* β. — 16. *exercitu pulso*] sic εκφπ, Lm ex Fabr. (sed ex κφ errore hic ordo verborum affertur „*pulso exercitu*", ut item legitur in Lm, quamquam Lambinus ipse iam in Omissis ad calcem ed. 1566. ex codd. *vetere exercitu pulso* legendum esse docuerat); *expulso exercitu* σ5, codd. plerique; *exemplo exercitum* β.

§. 27. 17. *quare*] *quale* κ; *quam* σ. — *esset hoc b.*] ε; *hoc b. esset* β5; in *πσ esset* post *genere ipso* positum est.

restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo ac tantis rebus praeficiendo dicendum esse videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis, ut haec vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello praeficiendum putaretis! Nunc vero cum sit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit, quae res est, quae cuiusquam animum in hac causa dubium facere possit? 28. Ego enim sic existimo, in summo imperatore quattuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine scientior umquam aut fuit aut esse debuit? qui e ludo atque e pueritiae disciplinis bello maximo atque acerrimis hostibus ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est; qui extrema pueritia miles in exercitu fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator; qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt; cuius adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita. Quod denique genus esse belli potest, in quo illum non exercuerit fortuna rei publicae? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mixtum

---

§. 27. 1. *diligendo* a. — 4. *potissime* σ et var. Steph. — 5. *et tanto* a. — 8. *superauit* σ.

§. 28. 12. *hoc nomine* σ (sed in marg. *homine*). — *scientior*] *scientior rei militaris* π, ut Lamb. suspicatus erat. — *aut fuit*] *aut* om. h et Mon. d. — 13. *e pueritiae*] sic κφl; *pueritiae* rell. — *disciplinis*] ἐκφπ, Crat. margo; *disciplina* βσ5, codd. rell. — 15. *miles in exercitu*] sic ἐκφ, Crat. margo; om. *in exercitu* rell. — 16. *fuit summi imp.*] ἐchsl; *summi fuit imp.* πβσ, 3 Monn. (Grutero teste etiam κφ; at cum sic in ε quoque exstare dicat, apparet Gulielmium verborum ordinem non respexisse); *fuit imp. summi* a. — *ipse* om. Schol. — 17. *quam quidam* Schol. — 19. *alii cupierunt* Schol. — 20. *in scientiam* Crat. margo. — 21. *et victoriis* ε. — 22. *erudita*] sic ἐκφ, Fabr., Lm, Crat. margo; *tradita* βσqc, codd. plerique; *traducta* hsl. — 23. *esse belli*] s; *belli esse* rell. — 24. *affricanum* ξ (Fr.); *Aphricanum* ach. — *Hispanense* σ. — *mistum* βσ5.

ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant in usu positam militari, quae huius viri scientiam fugere possit.

XI. 29. Iam vero virtuti Cn. Pompei quae potest oratio par inveniri? Quid est, quod quisquam aut illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt. 30. Testis est Italia, quam ille ipse victor L. Sulla huius virtute et subsidio confessus est liberatam: testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli, sed consili celeritate explicavit: testis est Africa, quae magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit: testis est Gallia, per quam legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum

---

§. 28. 1. *ex civitatibus*] sic εβσ5, codd. fere omnes; *ex civilibus* κ; *ex incitatis* π; *ex civibus* Madvigius ex Graevii coni.; equidem suspicor: *ex civibus incitatis*. (De lectione cod. κ incertus sum, quoniam Grut. sibi parum constans haec tradidit: „Colon. *civilibus et bell.*, unde lubens fecerit Guilielmius: *civilibus et bell.* [quod plane idem est!], ut loquatur de Hispaniensi bello. Ego non recesserim a lect. recepta, quae in editt. omnibus et Pall.") — *atque ex*] εβ5; *atque* πσ; *et* κ. — *servile*] *servile et* πa. — *navale bellum*] om. *bellum* s et l cum cod. vet., ut testatur Lm. — 4. *declarant esse* σ. — *positam milit.*] ε solus; *milit. positam* βσ5.

§. 29. 6. *oratio par*] επβva, 3 Monn.; *par oratio* σchsl. — 7. *illo dignum*] επβ; *dignum illo* σ5. — 8. *non enim* ch. — 9. *solae*] *solae ei* a. — 10. *negotio* ed. Lamb. 1584. contra codd. et edd. vett. et ipsam Lamb. genuinam a. 1566.

§. 30. 14. *et* om. h. — *subsidio*] sic εκφβvasl, Crat. margo, alii; *consilio* ch; *concilio* σ (sic in σ semper pro *consilium* scriptum est). — 16. *undique*] *usque* h. — *cons. celeritate*] sic ε solus cum A. Gellio I, 7.; *celeritate cons.* rell. — 17. *Aphrica* ac. — *quam magnis oppressam* π; *quae multis oppressa* σ. — 19. *iter in Hisp.*] sic Madvig. ex ε, in quo est *inter Hisp.*; *in Hisp. iter* rell.

internicione patefactum est: testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit: testis est iterum et saepius Italia, quae cum servili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit, quod bellum exspectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum: 31. testes nunc vero iam omnes orae atque omnes exterae gentes ac nationes, denique maria omnia, cum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium, ut tutus esset? aut tam fuit abditus, ut lateret? quis navigavit, qui non se aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut hieme aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum, quis umquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? 32. Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas aut a praedonibus captas urbes esse sociorum? XII. Sed quid ego

---

§. 30. 1. *internicione*] sic β, Ox. C (m. sec.), cod. Victoris (v. Lamb. ad ep. ad Att. II, 20.), Naug.; *internitione* κφε (Fr.), Pal. 2. et 3., Monn. ab (sed b in marg.); *interitione* Lamb. ex Fabr. et vestigiis codd.; *internecione* hsl; *interemptione* ac; *intensione* σ et β ab al. man. in marg. — 2. *plurimos*] *plures* ac. — *superatos ab hoc* π. — 3. *cum*] *tum* σ. — 4. *expetivit*] *expectauit* σ. — 5. *exspectatione*] *expectione* β. — *eius*] sic ε solus; om. β, 3 Monn.; *Pompei* s. *Pompeii* σ5, codd. plerique. — 6. *atque sepultum* σ.

§. 31. 6. *nunc vero*] sic εκ; *vero* rell. (*testes omnes maritimae orae* π). — 7. *omnes orae*] *orae* κ (sed dubito num ita habuerit). — *atque extere* σ (om. *omnes*). — *ext. gentes ac nationes*] *terrae gentes nationes* κ solus. — *atque nationes* a. — 8. *maria denique* π. — *cum univ.*] sic εβσ, Mon. a; *tum univ.* 5, codd. vulgg. — *singulis oris*] επβσ5, codd. plerique; om. *oris* cod. Pith. et aliquot Pariss. — 11. *lateretur* σ. — 12. *comitteretur* σ. — 13. *navigaret*] εβsl, Monn., Crat. marg.; *navigaretur* σach. — 16. *imperatore*] echsl; *imper. Romano* πβσa, Monn.

§. 32. 17. *liberam* om. κ. — 18. *vectigal vobis*] *vectigalibus novis* Schol. — 19. *existimatis ... quam multas*] haec supplevit in β al. manus in marg.

longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longe a domo bellare et propugnaculis imperi sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Sociis ego nostris mare per hos annos clausum fuisse dicam, cum exercitus vestri numquam a Brundisio nisi hieme summa transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi Romani redempti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures in praedonum potestatem pervenerint? 33. Cnidum aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbes, innumerabilesque alias captas esse commemorem, cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis? An vero ignoratis portum Caietae celeberrimum ac plenissimum navium inspectante praetore a praedonibus esse direptum? ex Miseno autem eius ipsius liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum gesserat, a praedonibus esse sublatos? Nam quid ego Ostiense incommodum atque illam labem atque ignominiam rei publicae querar, cum prope inspectantibus vobis classis ea, cui consul populi Romani praepositus esset, a praedonibus

---

§. **32.** 1. *quondam*] *condam* σ (v. Osann. ad Cic. de Rep. p. 474. not.). — 3. *sociorum ... fuisse dicam*] haec omnia desunt in σ. — *ego nostris*] sic ε; *nostris ego* β, 4 Monn., Crat. margo; *vestris ego* 5. — 4. *mare per hos annos clausum fuisse dicam*] sic ε solus, ut videtur; *mare clausum per hosce annos dicam fuisse* β5, rell. — *vestri*] ε solus cum Crat. marg.; *nostri* rell. — 5. *numquam a Br.*] sic ε; *a Br. numquam* βasl, Monn., Pall.; *Br. numquam* σch. — *Brundisio*] εl; *Brundusio* βσachs, Monn. — *hieme summa*] ε solus; *summa hieme* βσ5. — *transmiserunt* a. — *qui ad vos ab*] sic εκφ; *quid ad nos cum ab* βσ5, codd. vulgg. (sed β *uos*). — 6. *queram* σ. — *legatis* ε; *legati ipsi* σ. — 8. *non fuisse mare* β; om. a *non*.

§. **33.** 9. *Cnidum aut*] sic εκφ, Fabr., Lm; *quid aut* βσ5, rell. — *Colofonem* σ. — *Samum*] *bayum* σ. — 10. *innumerabilesque*] *innumerasque* σ; *nobilissimasque* ε. — 11. *quibus*] *in quibus* β. — 12. *ac spir.*] sic ε (Fr.); *et spir.* rell. — *potestatem*] sic cum Gellio (I, 7.) vachs, Mon. d, Lm (qui in adnot. testatur sic veteres suos libros habere); *potestate* εβσl, var. Steph. cum codd. notis. — 13. *ignoratis vero* βσ. — *Caietae*] *calitae* ε; *gayete* σ. — *ac plen.*] ε; *atque plen.* βσ5. — 14. *inspectante*] *spectante* σ et Schol. — *praetore*] *populo Romano* Schol. — *directum* β. — 16. *ibi*] *id* σh. — *gesserant* εσ. — 17. *hostiense* ε (Fr.), σachs, Monn. — 18. *spectantibus* σ.

capta atque oppressa est? Pro di immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre rei publicae potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, [ii] nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiatis? 34. Atque haec qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. Quis enim umquam aut obeundi negoti aut consequendi quaestus studio tam brevi tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeio duce tanti belli impetus navigavit? qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit, inde Sardiniam cum classe venit, atque haec tria frumentaria subsidia rei publicae firmissimis praesidiis classibusque munivit. 35. Inde cum se in Italiam recepisset, duabus Hispaniis et Gallia Transalpina praesidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illyrici maris et in Achaiam omnemque Graeciam navibus Italiae duo maria maximis classibus firmissimisque praesidiis adornavit; ipse autem, ut Brundisio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adiunxit: omnes, qui ubique praedones

---

§. 33. 1. *oppressa*] *deprehensa* $\varkappa$ solus, unde Modius et Gulielm. coniecerunt: *depressa*. — *proh* σ v a, 3 Monn. — *inmortales* σ. — *tantamne*] sic Hotom. ex coni., unus cod. Lamb. et Mon. b sive Salisb. (sed hic puncto a m. sec. litterae *m* supposito); *tantane* $\varepsilon\beta\sigma$ a c h s, codd. rell. omnes. — 2. *atque div.* σ. — 3. *rei p. afferre* π. — *hostium* $\mathfrak{e}$ et sic paulo post. — *tyberinum* a h s. — 4. *timebatis* a. — *ii nunc*] sic $\mathfrak{e}$ c h s l cum codd. plerisque (sed σ suo more *hii*); *hi nunc* β; *his nunc* v; om. *ii* $\varepsilon\varkappa$ a, Mon. b. — *intra Oceani ostium* om. π. — 5. *audiatis*] *videatis* β.

§. 34. 6. *gesta sunt* a. — *tamen* om. β. — 10. *tanti belli*] sic $\varepsilon\varkappa\varphi$, Fabr., Lm, Crat. margo; *belli* $\beta\sigma$ 5, codd. vulgg. — *impetu* a. — *nondum tempest. ad nav. mari*] sic $\varepsilon\varkappa\varphi$; ponunt haec verba $\beta\sigma$ 5 cum rell. codd. post *classe venit*. — 11. *Aphricam* ac. — 12. *inde*] *in* β. — 14. *muniit* a.

§. 35. 14. *cum se*] e solus; *se cum* $\beta\sigma$ 5, rell. (*cum in Italiam se* π). — *recipisset* σ. — 15. *ac Gallia* $\beta\sigma$, var. Steph., 5 Monn. — *Transalpina*] sic $\varepsilon\varkappa$, Pal. 3, Ox. ψ; *Cisalpina* $\beta\sigma$ 5, rell.; Garatonio utrumque interpreti deberi videtur. — *confirmatis* $\varkappa$ solus. — 16. *illirici* ε (Fr.); *illiriaci* σ. — 18. *ut Br.*] $\varepsilon\varkappa\varphi$; *ut a Br.* β 5, codd. plerique; *a Br.* (sine *ut*) σ. — *Brundusio* a c h s; *Brunduxio* σ. — 19. *imperii r. p.* σ.

fuerunt, partim capti interfectique sunt, partim unius huius se imperio ac potestati dediderunt. Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit obsidesque imperavit. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.

XIII. 36. Est haec divina atque incredibilis virtus imperatoris. Quid ceterae, quas paulo ante commemorare coeperam, quantae atque quam multae sunt! Non enim bellandi virtus solum in summo ac perfecto imperatore quaerenda est, sed multae sunt artes eximiae, huius administrae comitesque virtutis. Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores! quanta deinde in omnibus rebus temperantia! quanta fide, quanta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate! quae breviter qualia sint in Cn. Pompeio consideremus: summa enim omnia sunt, Quirites, sed ea magis ex aliorum contentione quam ipsa per sese cognosci atque intelligi possunt. 37. Quem enim imperatorem possumus ullo in numero putare, cuius in exercitu centuriatus veneant atque venierint? quid hunc hominem magnum aut amplum de re publica cogitare, qui pecu-

---

§. 35. 1. *huius se*] sic ε; *huius* βσach; *hominis* sl. — 2. *dediderunt*] ε; *se dediderunt* βσ5; *se dederunt* var. Steph. — *item* σ. — 3. *usque Pamphiliam* κ; *usque im pamphiliam* σ. — 7. *hieme aperuit* σ.

§. 36. 10. *quid certe* σβ (sed in β *ceterae* in marg.). — 11. *quantae atque quam multae*] εachs; *quantae quam multae* πl; *quantae atque multae* σ; *quantaeque ac multae* β. — 12. *solum bellandi virtus* chsl contra codd. — *ac perf.*] εβ, var. Steph., Monn.; *atque perf.* σchsl; *perfectove* a. — *imperatori* β. — 15. *in omn. rebus*] ε solus; *omn. in rebus* rell. — *quanta ... temperantia? q. facilitate? q. consilio? q. ingenio? quanta f.* Lm. — 16. *facilitate*] βvasl; *felicitate* ε (Fr.) ch; *fidelitate* σ. — 17. *qualia*] εβσachs, 5 Monn.; *quanta* πv, Lm, codd. Hotomani; *quantae* l. — *etenim* β.

§. 37. 19. *quae enim* Schol. — 20. *imperatorem poss.*] ε, Schol.; *poss. imperatorem* 5, codd. plerique; *poss. imperatorum* βσ et var. Steph. — *ullo*] εκπ soli; *aliquo* βσ5. — 21. *centuriatus ven.*] ε; *ven. centuriatus* rell. (*centurionatus* π). — *veneant*] v5, 4 Monn.; *veniant* εβσ. — *venerint* εσ. — *quid*] ehsl; *qui* πσ, 5 Monn.; *quis* βac. — 22. *atque amplum* β.

niam ex aerario depromptam ad bellum administrandum aut propter cupiditatem provinciae magistratibus diviserit aut propter avaritiam Romae in quaestu reliquerit? Vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui haec fecerint: ego autem nomino neminem; quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas calamitates, quocunque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? 38. Itinera, quae per hosce annos in Italia per agros atque oppida civium Romanorum nostri imperatores fecerint, recordamini: tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbes, an hibernis sociorum civitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipse non continet, neque severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse iudices non vult. 39. Hic miramur hunc hominem tantum excellere ceteris, cuius legiones sic in Asiam pervenerint, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? Iam vero quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones ac litterae perferuntur: non modo, ut sumptum faciat in militem, nemini vis affertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur: hiemis enim, non avaritiae perfugium maiores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.

---

§. 37. 2. *prouintie* σ. — *magistratibus*] Faërnus *magistris* coni. — 3. *murmuratio* Schol. — 4. *fecerunt* a. — 5. *neminem nomino* a c h contra codd. — *nemo mihi* β. — 7. *quocunque calamitates* β. — 8. *ventum sit*] malim: *ventum est.* — *ferant*] *adferant* κ solus.

§. 38. 9. *in Italia* om. π. — 10. *fecerint*] sic ε et Mon. c; *fecerunt* β σ 5, rell. — *recordemini* π σ. — 11. *qui* σ. — *exteras*] β σ 5; *ceteras* ε. — *extimetis* β (sed suprascr. *existimetis*). — 12. *militum nostrorum* β. — 13. *hyb'ers* (sic) β. — 14. *is imperator continere exercitum* π. — 15. *ipse*] sic ε π, Lm; *ipsum* β σ 5, rell.

§. 39. 16. *miremur* a. — 18. *pervenerint*] ε β v a, Monn. a b; *pervenerunt* σ c h s l, codd. vulgg. — *vestigia* Schol. — 20. *quotidie ... permittitur*] *quotidie ad vos litterae perferuntur ac sermones huius a milite. ad sumptum nemini vis adhibetur, sed ne cupienti quidem dare permittitur* π. — *cottidie* σ. — *et litterae* σ. — 22. *cuipiam* σ. — *hiemis*] *hiberna* σ.

XIV. 40. Age vero, ceteris in rebus qua sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem et tam incredibilem cursum inventum putatis? Non enim illum eximia vis remigum aut ars inaudita quaedam gubernandi aut venti aliqui novi tam celeriter in ultimas terras pertulerunt, sed eae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem; postremo signa et tabulas ceteraque ornamenta Graecorum oppidorum, quae ceteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. 41. Itaque omnes nunc in iis locis Cn. Pompeium sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de caelo delapsum intuentur; nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam continentia, quod iam nationibus exteris incredibile ac falso memoriae proditum videbatur; nunc imperi vestri splendor illis gentibus lucem afferre coepit; nunc intelligunt non sine causa maiores suos tum, cum ea temperantia magistratus habebamus, servire populo Romano quam imperare aliis maluisse. Iam vero ita fa-

---

§. 40. 1. *qua sit*] sic π, ut voluit Modius, cum in $\varkappa$ invenisset *quae sit*; *qualis sit* $\varepsilon\varphi\beta$va, codd. plerique; *quali sit* chsl et σ, ut videtur. — 3. *inventum*] sic $\varepsilon\varkappa\varphi\pi\sigma$vac, var. Steph., codd. plerique; *initum* hs cum aliquot libris Lamb.; om. *inventum* β; *natum* l ex susp. — *eximia vis*] *manus* π. — 4. *quaedam*] intercidit in Beneck. et Orell. edit. (2.) ex operarum errore. — 5. *detulerunt* Crat. margo. — *eae res*] sic l, Oxon. S, aliquot Pariss. (ap. Steinm.); *hee res* Mon. e; *hac res* $\varepsilon\beta$achs; *hec res* σ. — 7. *devocavit*] $\varepsilon\varkappa\varphi\pi\beta$va, codd. Lamb. (ipso probante ad calcem ed. 1566.); *revocavit* σchsl. — 10. *ceteraque per ornamenta Grecorum oppidum* σ. — 11. *tollensda* T (ab hoc ipso verbo incipit folium palimpsesti Taurinensis, quod unum servatum est).

§. 41. 12. *omnes*] sic $T\varepsilon$ soli; *omnes quidem* rell. — *in iis locis*] sic Madvig. et Benecke; *in his locis* codd. (sed Mon. e *hiis*; contra β: *qui in his locis*). — 14. *lapsum* πac contra codd. plerosque; *missum* σ. — *intuentur*] *mirantur* π. — 15. *quandam* T; *condam* σ (ut §. 32.). — *continentia*] sic $T\varepsilon$, Crat. margo; *abstinentia* $\beta\sigma$5, rell. — 16. *exteris*] *ceteris* ε. — 17. *imperi*] sic T. — *vestri*] $T\varepsilon\varkappa\beta\sigma$l, 4 Monn.; *nostri* acha. — *lucem afferre coepit*] sic $T\varepsilon\varkappa$, Crat. margo (sed $T\varkappa$ *adferre*); *lucet* $\beta\sigma$5, rell. — 18. *maiores suos non sine causa* σ. — 19. *ea*] sic T (sed *aea*); *hac* $\varepsilon\beta\sigma$5, rell. — *habeamus* $\varepsilon\sigma$. — 20. *ita* ante *faciles* om. β.

ciles aditus ad eum privatorum, ita liberae querimoniae de aliorum iniuriis esse dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate infimis par esse videatur. 42. Iam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, in quo ipso inest quaedam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso ex loco saepe cognovistis. Fidem vero eius quantam inter socios existimari putatis, quam hostes omnes omnium generum sanctissimam iudicarint? Humanitate iam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic hoc tantum bellum transmittendum sit, qui ad omnia nostrae memoriae bella conficienda divino quodam consilio natus esse videatur?

XV. 43. Et quoniam auctoritas quoque in bellis administrandis multum atque in imperio militari valet, certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid ho-

---

§. 41. 1. *liberae*] *habere* σ. — 2. *is*] *his* σ. — 3. *facilite T.* — *infimis par*] *T* ε κ β v a, 4 Monn.; *par infimis* σ c h s l, codd. vulgg.

§. 42. 4. *ac copia* σ. — 5. *inest*] *est* κ. — *Quirites*] *quoque* κ, unde coni. Modius: *vos quoque Quirites.* — *ex loco*] sic *T* ε κ (teste Modio ep. 69.), Lm (ut iam ad calcem ed. 1566.); *in loco* rell. — 6. *cognovistis*] ε, Monn. c et f; *cognostis* 5 et *T* κ, ut videtur; *cognoscitis* β σ, 3 Monn., 6 Oxonn. — *quantam inter socios*] sic *T* ε; *inter socios quantam* α β σ 5, codd. plerique. — 7. *existimari putatis*] *existimatis* κ. — *quam*] *qua T.* — *omnes omnium generum*] sic *T* ε κ φ κ, Lm e codd. Fabr. Memm. Cleric.; *omnium gentium* (om. *omnes*) β σ 5, rell. — *sanctissimam*] *T* ε β v a, Monn., var. Steph.; *sanctissimam esse* σ c h s l. — 8. *iudicarunt* var. Steph.; *iudicaverunt* κ; *iudicant* σ. — 10. *dilexerit* β. — *quisquam*] *quis unquam T* solus. — *dubitavit T*; *dubitavit* v. — 11. *hoc tantum b.*] *T* ε soli; *tantum b. hoc* β σ c h s l, Monn.; om. *hoc* a. — *permittendum* κ solus. — 12. *nostrae memoriae*] *T* ε β σ s l, 5 Monn. et κ (teste Modio, sed hoc verbb. ordine: *memoriae nostrae*); *vestrae memoriae* a c h.

§. 43. 14. *auct. quoque in bell. adm. multum*] sic *T* ε; *auct. multum in bell. quoque adm.* β a h s l, codd. plerique; *auct. multum quoque in bell. adm.* σ κ c. — 15. *in imperio*] sic *T* ε, ut Heumannus voluit; *imperio* rell. — *valeat* a. — 16. *ea re*] *T* ε v a; *ea in re* β σ c h s l, codd. rell. — *idem ille*] *T* ε κ h s l (sed habet κ *plurimum* ante *idem*); *idem ipse* σ; *ille idem ipse* a c; om. *ille* β. — 17. *ministranda* β.

stes, quid socii de imperatoribus nostris existiment, quis ignorat, cum sciamus homines in tantis rebus, ut aut contemnant aut metuant, aut oderint aut ament, opinione non minus et fama quam aliqua ratione certa commoveri? Quod igitur nomen umquam in orbe terrarum clarius fuit? cuius res gestae pares? de quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta et tam praeclara iudicia fecistis? 44. An vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama pervaserit, cum universus populus Romanus referto foro completisque omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoposcit? Itaque ut plura non dicam neque aliorum exemplis confirmem, quantum auctoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur: qui quo die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta repente vilitas annonae ex summa inopia et caritate rei frumentariae consecuta est unius hominis spe ac nomine, quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax

---

§. 43. 1. *inperatoribus* σ. — *nostris*] *T* ε σ, Crat. margo, 2 Monn.; *vestris* β 5, codd. plerique. — 2. *ut aut ... ament*] *ut aut metuant aut oderint temnant aut con aut ament T.* — *contempnant* β σ. — 3. *et fama*] sic *T*, ut Schuetz. voluit, cui tamen lectio codicis κ iam nota erat; *ac fama* κ; *famae* ε β σ 5, rell. — 4. *aliqua ratione certa*] sic *T* ε; *aliqua certa rat.* β c h s l, codd. fere omnes; *alia certa rat.* a; *aliqua alia rat.* σ. (Hic desinit fragm. Taurinensis.) — 5. *orbem* σ. — 6. *facit ad auctoritatem* Weiske susp. — 7. *praeclara*] *pulcra* σ.

§. 44. 7. *usquam ullam* a c. — 8. *horam* pro *oram* β, ut plerumque, quod semel notasse sufficiet. — *tam desertam put.*] *tam diversam put.* π; *put. desertam* β. — *diei*] *ducis* σ. — 9. *referto*] *refecto* β (ortum, ut videtur, ex *refercto*, ut est in Mon. b); *reperto* σ. — *completisque*] ε π σ l, Monn., alii; *repletisque* β a c h s. — 10. om. *ex* π. — 11. *inperatorem deposcit* σ. — 12. *ita* β. — 13. *quantum auct.*] sic Naug. et cod. Victorianus (apud Ben.); *quantum huius auct.* ε β σ 5, codd. noti. — *valet* σ. — 14. *Cn.* om. π. — 15. *quid. quo* σ. — 16. *repentina* κ teste Gulielmio, qui coniecit *repentino*; contra Modius, qui ep. 69. loci scripturam ob aliam causam ex κ retulit, hanc varietatem non commemoravit. — *annonae*] om. κ, ut Modius l. c. nominatim testatur. — 17. *unius hominis*] sic ε κ φ π c; *unius* β a h s l, codd. vulgg. — *ac nomine*] ε et κ (teste Modio); *et nomine* rell. — 18. *ex summa*] *in summa* κ solus, quod haud scio an sit praeferendum; *e summa* σ.

efficere potuisset. 45. Iam, accepta in Ponto calamitate ex eo proelio, de quo vos paulo ante invitus admonui, cum socii pertimuissent, hostium opes animique crevissent, satis firmum praesidium provincia non haberet, amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad ipsum discrimen eius temporis divinitus Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. Huius adventus et Mithridatem insolita inflammatum victoria continuit et Tigranem magnis copiis minitantem Asiae retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit? aut quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

XVI. 46. Age vero illa res quantam declarat eiusdem hominis apud hostes populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis tamque diversis tam brevi tempore omnes huic se uni dediderunt! quod Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt! Quid? idem iste Mithridates

---

§. 45. 1. *iam*] *iam vero* chsl et σ, ut videtur, contra codd. rell. — 2. *amonui* σ (ex *ammonui*; v. Muetz. Z. f. d. Gymn.-Wesen I, 2. p. 206.). — 3. *pertimuissent* β. — *opes hostium* π. — *satis*] sic εβσκ (teste Modio), Monn. aliique; *cum satis* chsl; *et cum satis* a. — 4. *Assam* ε (Fr.). — 5. *ad ipsum discrimen eius temporis*] sic εκπ; *ad ipsum eius temporis discrimen* β; *ad ipsum statum eius temporis* σ; *ad ipsum eius temporis* v, Mon. d, Dresd.; *id ipsum eius temporis* c et 2 Monn.; *ad id ipsum eius temporis* Pall. aliquot; *ad id ipsum temporis* l ex uno cod.; *ipsum id temporis* ahs. — 6. *actulisset* β. — 7. *solita* κ. — *inflammatum*] εβσ5; *inflatum* π. — 9. *perfecturus ... perfecerit*] sic εhsl, 4 Monn.; *profecturus ... profecerit* βσac. — 10. *imperio suo vectigalia* π (mediis omissis). — 11. *et rumore* σ.

§. 46. 13. *quantum illa res* π. — 15. *tam diversis* πva contra codd. plerosque. — *huic se uni*] sic εκφ (sed affert Gulielm. Q. Plaut. p. 208. ex his codd. *uni se huic*, quem ordinem vv. saltem in ε non obtinent); *uni huic se* π; *una huic se* βσ5, rell. plerique. — 16. *Cretensium*] *communi Cretensium* κ solus (non *communis Cret.*, ut refert Benecke), ex qua lectione Gulielm. coniecit: *a communi Cretensium*. — 17. *vester imp.* l. — 18. *eaque* σ. — 19. *dedere se* σ. — *idem iste*] εκπβ, 5 Monn., unus Lamb. (sed κ *isti* ex Gulielmii relatione contra Modii testimonium ep. 129.); *idem est* σ; *idem ipse* 5.

nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque in Hispaniam misit? eum quem Pompeius legatum semper iudicavit, ii, quibus erat [semper] molestum ad eum potissimum esse missum, speculatorem quam legatum iudicari maluerunt. Potestis igitur iam constituere, Quirites, hanc auctoritatem multis postea rebus gestis magnisque vestris iudiciis amplificatam quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis.

47. Reliquum est, ut de felicitate, quam praestare de se ipso nemo potest, meminisse et commemorare de altero possumus, sicut aequum est homines de potestate deorum, timide et pauca dicamus. Ego enim sic existimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario et ceteris magnis imperatoribus non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam saepius imperia mandata atque exercitus esse commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem et ad gloriam et ad res magnas bene gerendas divinitus adiuncta fortuna. De huius autem hominis felicitate, de quo nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut praeterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisa dis immortalibus oratio nostra aut ingrata esse videatur. 48. Itaque non sum

---

§. 46. 1. *usque in Hisp.*] sic 5 cum codd. plerisque, etiam $\varkappa$, ut videtur; *usque ad Hisp.* ε solus; *usque Hisp.* $\beta\sigma$, 2 Monn. (a o). — 2. *eum quem*] sic $\varepsilon\varkappa\varphi\pi$ et β, ut videtur; *eumque* σ5, codd. rell. — *ii*] *hii* σ; *hi* β. — 3. *erat semper*] ε; *semper erat* $\beta\sigma$5 (sed σ *super*); om. *semper* $\varkappa\pi$, Franc. I. (*semper* etiam in φ fuisse dilucide significavit Gulielm. Q. Plaut. p. 210.). — *potissime* σ. — 4. *iudicare* s l contra codd. fere omnes.

§. 47. 9. *ut*] om. Pal. IX. et deinde *de* ante *se*. — 10. *ipse* σ. — *possimus* ε (Fr.), non item Pal. IX., qui *possumus* servat. — 11. *homines*] $\varepsilon\tau\pi$, Pal. IX., Mon. e; *hominis* $\sigma\beta$; 2 Monn., 5 Oxx.; *homini* achs; *hominem* l (hic incipit fragmentum Tegerniseensis). — 14. *sed etiam fortunam* (sine *propter*) Pal. IX. — 15. *esse* om. Pal. IX. — 16. *et ad glor.*] $\varepsilon\tau\varkappa\beta\sigma$l, Pal. IX.; *et glor.* achs. — 17. *et res* a. — 18. *autem* om. $\varkappa$. — *de qua*] sic ε et Pal. IX.; *quo de* τ(?)$\beta\sigma$5, rell. pleriquc. — 19. *agamus* σ. — *utar*] *ura* cum circumflexa, i. e. *uestra* σ. — 20. *esse positam* β. — *ut de praeterita* $\beta\sigma$a, var. Steph. — 21. *reliquam* β. — *dis*] sic $\varkappa$; *dys* Pal. IX.; *diis* rell. — *immortalibus* Pal. IX.

§. 48. 22. *non sum*] om. ε et Pal. IX.; *non solum* τ.

praedicaturus, quantas ille res domi militiae, terra marique quantaque felicitate gesserit; ut eius semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint: hoc brevissime dicam, neminem umquam tam impudentem fuisse, qui ab dis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas di immortales ad Cn. Pompeium detulerunt: quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis atque imperi, tum ipsius hominis causa, sicuti facitis, velle et optare debetis.

49. Quare cum et bellum sit ita necessarium, ut negligi non possit, ita magnum, ut accuratissime sit administrandum, et cum ei imperatorem praeficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna, dubitatis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis ab dis immortalibus oblatum et datum est, in rem publicam conservandam atque amplificandam conferatis?

XVII. 50. Quod si Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque

---

§. 48. 1. *praedicaturus*] sic ετβσva, var. Steph.; *deprecaturus* Pal. IX.; *praedicaturus Quirites* chsl. — *militiae*] sic ε, Pal. IX., Mon. e (sed Pal. *milicie*); *militiaeque* rell. noti. — 2. *semper*] *saepe* β; *semper* ponit π post *cives*. — 3. *assenserint*] *aseresserint* σ; *affuerint* π; *admiserunt* Pal. IX. — *obtemperauerint* σ. — *obedierunt* Pal. IX. — 4. *brevissime*] *breviter* π. — 5. *inpudentem* σ. — *ab*] sic ε et Pal. IX. (qui habet *ab dys inmort.*); *ad* β; *a* σ5, codd. plerique (ex τ Harlesius nihil enotavit). — 6. *quot*] *quotque* ετ, Pal. IX. — 7. *dy inmortales* Pal. IX. — *Gn.* τ (et sic semper). — *detulerunt*] sic ετcsl, Pal. IX.; *contulerunt* πβσah, Monn., rell. — 9. *sicut* Pal. IX.

§. 49. 11. *sit ita nec.*] sic ε et Pal. IX.; *ita sit nec.* πσa, Monn.; *ita nec. sit* β5 et τ, si Harlesii silentio confidere licet. — *neglegi* τ. — 15. *dubitatis*] sic τ et ε (a pr. m. teste Freundio) πβσvα, Monn.; *dubitabitis* Pal. IX., ε (a m. sec.) chsl. — *quin*] *qui* Pal. IX.; *quem* σ; *in* β. — *tanti* a. — *vobis*] sic ετκφ, ut Lamb. in marg. suspicatus erat; *nobis* Pal. IX.; om. *vobis* βσ5, codd. rell. — 16. *ab*] sic επ, Mon. f et 1 Ox.; *a* βσ5, rell., etiam Pal. IX., qui habet *a dys inmortalibus*. — *in rem publ.*] lectionem, quam Graevius se in ε vidisse dicit „*in re publ. conservanda atque amplificanda*" nec Wund. nec Freundius ex eo attulerunt, ut ille notam syllabae *am* neglexisse videatur.

§. 50. 18. *Quod si re .p. gne. pompeius* σ. — 19. *is*] *his* β. — *diligendus* σ; *adigendus* πτ soli.

mittendus: nunc, cum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit, quid exspectamus? aut cur non ducibus dis immortalibus eidem, cui cetera summa cum salute rei publicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committamus?

51. At enim vir clarissimus, amantissimus rei publicae, vestris beneficiis amplissimis affectus, Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingeni praeditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt: quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus ipsa re ac ratione exquirere possumus veritatem, atque hoc facilius, quod ea omnia, quae a me adhuc dicta sunt, idem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse et magnum et in uno Cn. Pompeio summa esse omnia.

52. Quid igitur ait Hortensius? Si uni omnia tribuenda sint, dignissimum esse Pompeium; sed ad unum tamen omnia deferri

---

§. 50. 1. *summas ceteras* a. — 2. *iis*] ετ1; *hys* Pal. IX. (et sic deinde *ab hys*); *his* βσachs. — *assit* ετβ, Pal. IX., Schol. — 3. *ab his* τβσ. — *accipe* Pal. IX. (omisso siglo syllabae *re*). — 6. *regum* Pal. IX. — *committamus*] sic ετπσvac, Pal. IX., 4 Monn.; *commendamus* κ; *committimus* βhs1.

§. 51. 7. *amantissimus*] sic ετφ, Pal. IX., Lm ex codd. suis et Fabr.; om. *amant.* βσ5, codd. plerique (sed 1 operarum errore, qui ad calcem edit. p. 380. correctus est). — 8. *vestris*] ετφ1, Pal. IX.; *et vestris* βachs; *et nostris* σ; *vestrisque* π. — *effectus* β. — 10. *Q.* om. Pal. IX. — *ab hac oratione* σ et Monn. bc. — *dissenciunt* Pal. IX. — 11. *plurimam* σ. — 12. *cognoscetis* Mon. d solus, ut Madvigius coniecit et Benecke edidit. — 13. *vir. fort. et clar.*] sic ετ, Pal. IX.; *fort. vir. et clar.* βσachs, codd. plerique; *fort. vir. clarissimorumque* π; *fort. et clar. vir.* l. — *obmissis* βσ. — 14. *auctoritatissimis* Pal. IX. — *ac ratione*] sic ετ, Pal. IX.; *et ratione* βσ5, rell. — 15. *a me adhuc*] ετπβva, Pal. IX., 3 Monn.; *adhuc a me* chs1; *a me dicta sunt adhuc* σ. — 16. *idem*] sic Pal. IX., τσa, 2 Monn.; *iidem* vulgo. — 17. *esse bellum* π. — *et in uno*] *et uno* Pal. IX.; *in uno* β.

§. 52. 18. *ait*] *agit* Pal. IX.; *ut* σ. — *omnia uni* a. — *sint*] *sic* ετσ, Pal. IX., 5 Monn., 3 Oxx.; *sunt* β5 rell. — 19. *dignissimum*] *sic* ετ, Pal. IX. soli; *unum dignissimum* rell. — *et ad unum omnia deferri* Pal. IX. — *deferre* σ; *differri* τ.

non oportere. Obsolevit iam ista oratio, re multo magis quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi, multa pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi et in senatu contra virum fortem, A. Gabinium, graviter ornateque dixisti, cum is de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset, et ex hoc ipso loco permulta item contra eam legem verba fecisti. 53. Quid? tum, per deos immortales! si plus apud populum Romanum auctoritas tua quam ipsius populi Romani salus et vera causa valuisset, hodie hanc gloriam atque hoc orbis terrae imperium teneremus? An tibi tum imperium hoc esse videbatur, cum populi Romani legati, quaestores praetoresque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu et privato et publico prohibebamur? cum ita clausa nobis erant maria omnia, ut neque privatam rem transmarinam neque publicam iam obire possemus?

XVIII. 54. Quae civitas antea umquam fuit, non dico Atheniensium, quae satis late quondam mare tenuisse dicitur; non Karthaginiensium, qui permultum classe ac maritimis rebus

---

§. 52. 1. *oratio*] sic $\varepsilon\tau\beta\sigma 5$, Pal. IX., codd. noti plerique; *ratio* Mon. d, cod. Victorianus, Priscianus p. 873. P. (sed in cod. Tur. saec. X. est teste Orellio *oratio*, ut item in 2 codd., quibus Krehlius usus est, ad quos accedunt 4 alii eiusdem, qui depravate *oratione* habent. *Obsolevit oratio* recte etiam citatur in Lex. vetere, quod edidit A. Mai in Class. Auct. Tom. VIII. p. 393.). — 2. *refutata*] hic cod. $\varkappa$ desinit. — *Q. Hostiensi* β; *Q. Hortensii* σ. — *A.*] *aulum* Pal. IX. — 5. *constituende* Pal. IX. — 6. *item*] sic φ et $\varkappa$; *idem* $\varepsilon\tau\beta\sigma 5$, Pal. IX., rell.; om. *idem* Lm ex susp. — *eam legem*] sic Pal. IX., $\varepsilon\tau\varkappa$ (teste Modio ep. 129.) et haud dubie etiam φ, ex quo affertur *legem eam*; om. *eam* $\beta\sigma 5$, rell. (in β: *contra legem permulta idem verba*).

§. 53. 8. *apud plus* τ. — *pop. R.*] *R. p.* Pal. IX. — 10. *orbis hoc* Pal. IX. — *tum*] *cum* Pal. IX. — 11. *hoc esse*] sic Pal. IX. $\tau\beta$, Mon. f; *esse hoc* reliqui noti. — *cum*] *tum* Pal. IX. — *quaest. praetoresque*] sic $\varepsilon\tau$, Pal. IX. soli; *praetores quaestoresque* $\beta\sigma 5$, rell. — 12. *capiebatur* Pal. IX. — *ex* om. β et Pal. IX. — 13. *cum ita*] *tum ita* Pal. IX. — 14. *nobis erant*] $\varepsilon\tau\beta\sigma$ s l, Pal. IX.; *erant nobis* a c h. — *maria omnia*] sic $\varepsilon\tau$, Pal. IX.; *omnia maria* rell. — *transmarinam*] $\varepsilon\varkappa\tau\varphi$, Pal. IX., Lm ex codd. et ad calcem ed. 1566.; *marinam* β, 5 Monn., alii; *maximam* σ; *maritimam* 5 cum Mon. d.

§. 54. 16. *antea nunquam* β et Pal. IX.; *umquam antea* σ. — 18. *non*] *nunc* τ. — *Karthaginiensium*] sic l; *Chartaginiensium* τ; *Carthaginensium* β v a c h s, 3 Monn.; *cartaginensium* $\varepsilon\sigma$, Pal. IX. et Monn. a f. — *ac maritimis*] $\varepsilon\tau$, Pal. IX.; *maritimis* β; *maritimisque* $\sigma 5$, codd. vulgg.

valuerunt; non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit: quae civitas umquam [antea] tam tenuis, quae tam parva insula fuit, quae non portus suos et agros et aliquam partem regionis atque orae maritimae per se ipsa defenderet? At hercule aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cuius usque ad nostram memoriam nomen invictum in navalibus pugnis permanserit, magna ac multo maxima parte non modo utilitatis, sed dignitatis atque imperi carnit. 55. Nos, quorum maiores Antiochum regem classe Persenque superarunt, omnibusque navalibus pugnis Karthaginienses, homines in maritimis rebus exercitatissimos paratissimosque, vicerunt, ii nullo in loco iam praedonibus pares esse poteramus: nos, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperi salvos praestare poteramus, tum, cum insula Delos tam procul a nobis in Aegaeo mari posita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro, nihil timebat, idem non modo provinciis atque oris Italiae maritimis ac portubus nostris, sed etiam Appia iam via carebamus. Et iis tempo-

---

§. 54. 1. *Rodiorum* σ et Pal. IX. — 2. *permansit* l. — *umquam antea*] sic ετσ, Pal. IX.; *antea unquam* β5 et 5 Monn.; om. *antea* Mon. d, 4 Oxx., Hauniensis, quibus Madvigius et Orelli paruerunt; equidem malim: *quae civitas inquam antea tam tenuis* etc. — 3. *tenuis quae*] sic recte sl, ut editt. recentiores, sed nescio qua auctoritate; om. *quae* ετβσ, Pal. IX., ach, codd. noti. — 4. *aliquam*] *reliquam* σ. — *horae* τ et sic infra. — 5. *hercule*] ετβ, Pal. IX. et V., 3 Monn.; *hercle* σ5. — *aliquot*] *aliquod* τ; om. Pal. IX. — 8. *permanserit*] sic ετ, Pal. IX. soli; *permansit* σva, 4 Oxx.; *permanserat* βchsl, codd. plerique.

§. 55. 10. *Antiochicum* a; *Anthiocium* σ. — *Persenque*] sic vachs et βτ, Monn. af, ut ex silentio collatorum coniiciendum est; *Persemque* εσc, 4 Monn. — *omnibusque*] ετβhsl; *omnibus et* σ; *omnibus* ac. — 11. *Carthaginenses* ε (Fr.) βvachs, 5 Monn.; *Cartaginenses* σ. — 12. *exercitatissumos paratissumosque* τ. — *ii*] *hii* τσ. — 13. *nos qui*] sic ε et eod. Victorianus (ap. Ben.) ex corr.; *nos quoque qui* βσchsl (etiam τ, si Harlesii silentio fides est); *nos quoque* a. — 14. *habebamus tutam* a. — 16. *Delus* τ. — *tam* om. β. — *Aegeo* σa. — 18. *refecta* βσ. — *diviciis* σ. — *idem*] τ, 2 Monn.; *hidem* e; *iidem* vulgo. — 19. *portubus*] εβ5; *portibus* τσ, 4 Monn., 4 Oxx., unus cod. Lamb. — 20. *iis*] sic τ; *hiis* Mon. e; *his* rell.

ribus non pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum escendere, cum eum nobis maiores nostri exuviis nauticis et classium spoliis ornatum reliquissent!

XIX. 56. Bono te animo tum, Q. Hortensi, populus Romanus et ceteros, qui erant in eadem sententia, dicere existimavit ea, quae sentiebatis: sed tamen in salute communi idem populus Romanus dolori suo maluit quam auctoritati vestrae obtemperare. Itaque una lex, unus vir, unus annus non modo nos illa miseria ac turpitudine liberavit, sed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare. 57. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam anne Pompeio an utrique, id quod est verius, ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac postulanti. Utrum ille, qui postulat ad tantum bellum legatum, quem velit, idoneus non est qui impetret, cum ceteri ad expilandos socios diripiendasque provincias, quos voluerunt, legatos eduxerint; an ipse, cuius lege salus ac dignitas populo Romano atque omnibus gentibus constituta est, expers esse debet gloriae eius imperatoris atque eius exercitus, qui consilio ipsius ac periculo est constitutus?

---

§. 55. 1. *nonne* κ. — *pudebat*] *putabat* σ; *timebat* β (sed in marg. „al. *pudebat*"). — 2. *escendere*] sic κ solus; *ascendere* codd. rell., etiam τ, ex quo quidem ad lect. Ernest. 1756. *ascendere* nihil enotatum est. — *nobis*] ετσ, Mon. c, 2 Oxx., Crat. margo; *vobis* β5, codd. plerique. — *nostri*] ετσνα, Mon. c, 4 Oxx.; *vestri* βchsl. — *eximiis* σ. — *nauticis*] *navium* Schol. (nisi hoc verbum potius ad Scholiastae adnotationem pertinet). — 3. *clausium* τ. — *ornatum*] *ornamenta* σ.

§. 56. 4. *animo tum*] *tum*, quod errore, ut videtur, in Beneck. et Orell. edit. 2. deest, omittunt ex meis solae ac. — 5. *existimant* τ. — 8. *annus*] *animus* a (*unus annus unus vir* β). — 9. *uos* σ. — *aut turpit.* a. — 10. *videremini* κ solus. — 11. *imperare* σ.

§. 57. 12. *Gabinio d. anne Pomp.*] ετβσ5 (sed h *Gabino*); *Gabinione dicam an Pomp.* Lm et ad calcem ed. 1566. ex libris Memm. et Cleric. — 13. *A.*] *At* ε (*a gabinis* σ). — 14. *expectenti* β. — *utrum*] *uerum* a. — *ad t. b. legatum*] ε solus; *legatum ad t. b.* rell. noti. — 17. *voluerint* β. — *eduxerint*] εσcsl; *edixerint* τ; *adduxerint* β; *eduxerunt* ah. — 19. *expars* σ. — *debet* habet β post *imperatoris*. — *gloriae eius imp.*] sic β5, codd. plerique; *eius gloriae atque imp.* ετ soli. — 20. *ac per.*] ετ; *atque per.* rell.

58. An C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Caelius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino, cum tribuni plebi fuissent, anno proximo legati esse potuerunt: in uno Gabinio sunt tam diligentes? qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per vos ipse constituit, etiam praecipuo iure esse deberet? De quo legando consules spero ad senatum relaturos. Qui si dubitabunt aut gravabuntur, ego me profiteor relaturum; neque me impediet cuiusquam inimicum edictum, quo minus vobis fretus vestrum ius beneficiumque defendam; neque praeter intercessionem quidquam audiam, de qua, ut arbitror, isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius belli maritimi rerumque gestarum Cn. Pompeio socius ascribitur, propterea quod alter uni illud bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit, alter delatum susceptumque confecit.

XX. 59. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate et sententia dicendum esse videatur. Qui cum ex vobis quaere-

---

§. 58. 1. *C. Falcidius*] ε κ τ β σ c h s l (sed β σ: G.); *Facidius* Schol.; *Gn. Falsidicus* a et Ox. ψ. — *Q. Met.*] om. *Q.* Schol. — *Caelius*] c h s et κ, ut videtur; *Celius* τ s l; *Cellius* σ; *Coelius* ε β a, Lm. — *Latiniensis*] ε τ 5; *Latinienses* β σ; *Latiensis* κ. — 2. *G. Lentulus* σ. — *omnis* v a c; *omneis* h s l. — *plebis* σ. — 3. *in uno*] sic ε τ κ (teste Modio ep. 129.); *in hoc uno* rell. — *Gabino* σ. — 4. *gereretur* κ teste Gulielm.; sed Modius, qui totam §. usque ad *defendam* ad fidem eius cod. descripsit, recte *geritur* habet. — 5. *atque*] *ac* β. — *per vos ipse*] sic ε κ φ; *per ipse* ν; *per se ipse* β σ 5, rell. — 7. *cons. spero*] ε τ β σ v a, Monn.; *spero cons.* c h s l. — 8. *ego me*] *egomet* σ. — 9. *cuiusquam*] sic ε κ τ, Schol., Mon. b soli; *cuiusquam Quirites* σ s l; *eius Quirites* β a, var. Steph.; *Quirites* c h. — *inim. edictum*] *inim. editum* σ; *iniquitas* κ solus; *initia* Schol. — *vobis fretus*] ε solus; *fretus vobis* rell. (sed β: *fertur vobis*). — 11. *quicquam* σ. — *audiam*] c h s l; *audeam* ε τ β σ a, codd. fortasse omnes. — 12. *minitantur* unus cod. Gulielm. (i. e. κ aut φ). — *etiamque atque etiam* β σ. — *quid*] sic ε τ ν, Monn. b et c; *quid id* σ; *qui id* β 5, codd. vulgg. — 13. *unius* τ. — 14. *Cn. Pompeio socius*] sic ε κ τ (sed est in κ ν: *Gn.*); om. *socius* β σ a c h, codd. plerique; *auctor comes Cn. Pompeio* s; *comes Cn. Pompeio* l. — *ascribitur*] sic τ β σ 5; *asscribitur* ε (Fr.) et Mon. c. — 15. *alter uni*] *alterum* a et ε (a m. pr.). — *uni ... suffragiis*] om. σ. — *illud*] ε κ τ β v a l; *id* c h s.

ret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suae virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes una prope voce in ipso vos spem habituros esse dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere et integritate tueri et virtute conficere possit. Sed in hoc ipso ab eo vehementissime dissentio, quod, quo minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis res publica, dum per deos immortales licet, frui debet summi viri vita atque virtute. — 60. At enim ne quid novi fiat contra exempla atque instituta maiorum. — Non dicam hoc loco, maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse, semper ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodasse; non dicam, duo bella maxima, Punicum atque Hispaniense, ab uno imperatore esse confecta, duasque urbes potentissimas, quae huic imperio maxime minitabantur, Karthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas; non commemorabo, nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario spes imperi poneretur, ut idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret: in ipso Cn. Pompeio, in quo novi constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova summa Q. Catuli voluntate constituta, recordamini.

---

§. 59. 1. *si quid eo*] ε κ τ, Fabr., Lm, 5 Monn. (sed τ solus: *si quid factum esset eo*); *si quid de eo* β σ 5. — 2. *coepit* τ a c. — 3. *una prope*] ε τ β s l, 5 Monn.; *prope una* σ a c h. — *in ipso*] sic l cum quibusdam, ut ait, suis libris mss.; *in eo ipso* codd. noti omnes et edd. vett. — 4. *et enim* σ. — 5. *ille non*] *ille res* β. — 6. *et* ante *virtute* om. σ. — 7. *dissensio quo quod* τ. — 10. *viri*] sic ε κ τ φ; *hominis* β σ 5, rell.

§. 60. 10. *at enim ne quid novi*] sic ε κ τ φ soli (sed τ sine *ne*, si recte lectio enotata est); *at enim inquit novi nihil* β σ a s l, codd. vulgg.; *at enim nihil novi* c h. — *fiet* σ. — 11. *dicam*] sic ε τ soli; *dico* rell. — 14. *accommodavisse* β, 3 Monn. — *dicam*] om. τ; *dico* s l. — 15. *atque*] sic ε; *at* τ; *et* β σ 5, rell. — *Hyspanense* σ. — 16. *duasque*] ε τ β, 5 Monn.; *duas* σ 5. — *minitabantur*] ε τ σ a, 4 Monn., 7 Oxx., cod. Gul. (sed quis, Grut. non dixit); *minabantur* β 5; *imminebant* Lamb. susp. — 17. *atque*] *et* σ. — 19. *Gayo Mario* σ. — *poneretis* a. — 20. *Cymbris* τ. — *Teutonis*] ε et Monn. c f; *Theutonis* τ (?) β 5; *theotonicis* σ. — 21. *bellum administraret*] *administrator* σ. — *in hoc ipso* cod. Victorianus. — 22. *summa Q.*] sic ε; *summaque* rell. noti.

XXI. 61. Quid tam novum, quam adolescentulum privatum exercitum difficili rei publicae tempore conficere? confecit: huic praecesse? praefuit: rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam praeter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cuius aetas a senatorio gradu longe abesset, imperium atque exercitum dari, Siciliam permitti atque Africam bellumque in ea provincia administrandum? Fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute; bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit. Quid vero tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare? At eam quoque rem populus Romanus non modo vidit, sed omnium etiam studio visendam et concelebrandam putavit. 62. Quid tam insuetatum, quam ut, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur? Missus est. Quo quidem tempore, cum esset non nemo in senatu, qui diceret, *non oportere mitti hominem privatum pro consule*, L. Philippus dixisse dicitur, *non se illum sua sententia pro consule*,

---

§. 61. 1. *quid tam*] codd. et edd. vett.; *quid enim tam* vulg., quam primum inveni in Lamb. 1584., non item in genuina a. 1566. — 2. *tempori* β; *tempore sille* (i. e. Sullae) σ. — 3. *etiam praefuit* a. — 4. *propter* σ. — 5. *cui* a. — *aetas a sen. gradu*] ετ; *a sen. gradu aetas* βσδ, rell. (sed σ *senatoris*). — 6. *Syciliam* τ; *in Siciliam* β. — *Aphricam* c (et sic postea). — 7. *in ea provincia*] sic ετ soli (sed τ *provintia*); *in ea* rell. — 9. *victorum* ε. — *vero* om. c. — 10. *at eam*] *ad eam* ε. — 11. *Romanus* om. β et var. Steph. — *sed omnium etiam studio*] sic ετφ; *sed etiam omnium studio* βσ, δ Monn. et χ teste Gulielm. (Modius tamen, qui ep. 32. locum ex Col. propter lectionem *et concelebrandam* attulit, ex impresso exemplari suo *sed etiam studio omni* repetiit, nulla ex χ varietate ascripta); *sed etiam omni studio* sl; *sed etiam studio omni* achr; *sed omni etiam studio* critici recentiores (exc. Klotzio) ex vestigiis codd. optt. — 12. *et concelebrandam*] sic εχ soli (de ε erravit Benecke); om. rell. omnes, etiam τ, ut videtur; saltem ex eo ad lectionem Ernest. 1756., a qua duo illa verba absunt, nihil enotatum est.

§. 62. 13. *quam ut*] sic chsl et Mon. b, ut videtur; om. *ut* ετβσva, var. Steph., codd. fortasse omnes. — *cum* om. σ. — 14. *formidolosumque* σ; *formidolosissimum* β. — 15. *mittetur* σ. — 16. *non quidem nemo* β. — 17. *mittere* σ. — *Philyppus* τ; *Philipum* σ (om. β verba: *L. Philippus . . pro consule*).

sed pro consulibus mittere. Tanta in eo rei publicae bene gerendae spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset? quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex senatus consulto triumpharet? Quae in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quam haec, quae in hoc uno homine videmus. 63. Atque haec tot exempla, tanta ac tam nova, profecta sunt in eundem hominem a Q. Catuli atque a ceterorum eiusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

XXII. Quare videant, ne sit periniquum et non ferundum, illorum auctoritatem de Cn. Pompei dignitate a vobis comprobatam semper esse, vestrum ab illis de eodem homine iudicium populique Romani auctoritatem improbari, praesertim cum iam suo iure populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiunt, possit defendere, propterea quod isdem istis reclamantibus vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello praedonum praeponeretis. 64. Hoc si vos temere fecistis et rei publicae parum consuluistis, recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur: sin autem vos plus tum in re publica vidistis, vos iis repugnantibus per vosmet ipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis, aliquando isti principes et sibi et ceteris populi Romani universi auctoritati parendum esse fateantur. Atque in hoc bello Asiatico et regio non solum

---

§. 62. 1. *rei p. bene ger.*] Klotzii ed. operarum vitio: *rei p. constituendae.* — 4. *quam ut*] *quam σ*; *qui ut* c. — *solutis σ.* — 5. *nullum σ.* — 6. *ex sen. cons.*] *S. C.* editio Graev. et Garat. errore operarum, ut videtur. — 7. *triumpharetur σ.* — 8. *constituta*] *instituta* l ex coni. — 9. *uno hoc σ.* — *vidimus* h s l contra codd.

§. 63. 10. *perfecta σ.* — 11. *a Q. Catuli*] sic ετ, Lm (sed ε: *a quinti Catuli*); *a Q. Catulo* βσ5, rell. — *eius τ.* — 13. *ferundum*] ε solus; *ferendum* rell. — 14. *gnei* εσ. — *pompei* ε. — *dignita τ.* — 19. *isdem istis*] sic ετ; *iisdem istis* κφ; *istis* βσ5, rell. — 20. *deligistis τ*; *ellegistis ex omnibus σ.*

§. 64. 21. *et*] *et si σ.* — 23. *tum plus β.* — *iis*] *sic t*; *his* rell. — 25. *isti*] *et isti τ.* — 27. *fateatur β.*

militaris illa virtus, quae est in Cn. Pompeio singularis, sed aliae quoque virtutes animi magnae et multae requiruntur. Difficile est in Asia, Cilicia, Syria regnisque interiorum nationum ita versari nostrum imperatorem, ut nihil aliud nisi de hoste ac de laude cogitet. Deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. 65. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, libidines et iniurias. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? Urbes iam locupletes et copiosae requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. 66. Libenter haec coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio, summis et clarissimis viris, disputarem; noverunt enim sociorum vulnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione contra socios atque amicos? Quae civitas est in Asia, quae non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos

---

§. 64. 2. *magnae et multae*] sic ε solus, ut videtur; *multae et magnae* rell. — 3. *Cilicia*] εκτβcs; *Scilicia* σ; *Sicilia* var. Steph.; *Cilicia Licia* a; *Cilicia Lycia* hl. — *Syria*] *Siria* τσ; *Scythia* β, 3 Monn.; om. *Syria* var. Steph. — *interiorum nat.*] sic εταφβσνc (sed β *nat. int.*); *exteriorum nat.* a; *exterarum nat.* hsl. — 4. *nostrum*] ετβσ; *vestrum* 5. — *aliud nisi*] sic ετ soli; *aliud quam* βσ5, rell. — 5. *ac laude* ac. — 6. *esse* om. ac. — 7. *hom. cup.* a.

§. 65. 8. *quanto*] *tanto* τ. — *sumus* ac. — 9. *per hos annos*] sic εκτφ; *hoc anno* βσ5, rell. — 10. *lib. et ini.*] sic ετκ (nisi quod Modius ep. 32. prave habet: *lib. ac ini.*); *ini. ac lib.* βσ5, rell. — *putetis* βσ. — 11. *vestris* al. — *quam*] *et quam* σ. — 12. *ac munitam*] *aut munitam* τ solus. — 13. *et copiosae*] sic τβσval, 3 Monn.; *ac copiosae* εchs. — 14. *cupiditatem*] *facultatem* κ solus; — *cupiditatem diripiendi* β.

§. 66. 14. *hoc* β. — 15. *coram cum*] om. *cum* csl contra codd. notos. — *ortensio* σ. — *summis et clar. viris disp.*] sic ετ soli; *disp. summ. et clar. viris* rell. — 16. *videmus* β. — 19. *Asya* τ. — 20. *unius imperatoris* σvh. — *sed*] *sed et* ε (Fr.).

ac spiritus capere possit? XXIII. Quare, etiam si quem habetis, qui collatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eorum coniugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia manus, oculos, animum cohibere possit, non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum regiumque mittatur. 67. Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam esse locupletem, quae istis pacata esse videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit. Videbat enim, praetores locupletari quot annis pecunia publica praeter paucos, neque eos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut detrimentis accipiendis maiore affici turpitudine videremur. Nunc qua cupiditate homines in provincias, quibus iacturis et quibus condicionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda omnia esse non arbitrantur: quasi vero Cn. Pompeium non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse videamus. 68. Quare nolite dubi-

---

§. 66. 1. *ac spiritus*] sic ετsl, Crat. margo; *ac spem* βσach, var. Steph., codd. plerique. — 2. *collocatis e.* — 3. *idem erit is qui* l. — *qui se*] *se* delendum censent cum Heumanno Benecke et Madv. — 4. *qui ab ornam. fanorum atque opp.*] sic κ solus; omittunt reliqui, etiam ετ.

§. 67. 7 et 8. *ecquam*] chsl; *et quam* ετβσa, Monn. — 8. *locuplex* σ. — 9. *Quirites*] β5 cum 3 Monn.; *quae* ετ; om. *Quir.* σv, 2 Monn., 5 Oxx. — 12. *praetores locupletari*] sic ετκφ (sed in ε in marg. a sec. m. *non* ascriptum); *P. R. locupletari* σ, 2 Pall.; *Po. Ro. non locupletari* vah; *populus R. non locupletari* βcs cum codd. multis; *populum R. non locupletari* l cum Hotomano. — *quod annis* τ; *quantauis* σ (sic per compendium scriptum est). — 13. *neque eos*] sic ετσvachs, Monn.; *neque nos* l et β, ut videtur, item κφ, modo Gruteri lemmati fides habenda sit, quam equidem non habeo; receperunt *nos* Madvig. et Eckstein. — *quioquam* τβσ5. — 14. *detrimendis* τ. — *accipiendi maiori* σ. — 16. *iacturis*] *iniuriis* κ solus. — *et quibus*] ετ soli; *quibus* rell. — *condictionibus* σ. — 17. *omnia esse*] ετ, Mon. d; *esse omnia* βσ5, rell. — 19. *videamur* βσ.

§. 68. 19. addit l *Quirites* post *dubitare*.

tare, quin huic uni credatis omnia, qui inter tot annos unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant.

Quod si auctoritatibus hanc causam, Quirites, confirmandam putatis, est vobis auctor vir bellorum omnium maximarumque rerum peritissimus, P. Servilius, cuius tantae res gestae terra marique exstiterunt, ut, cum de bello deliberetis, auctor vobis gravior nemo esse debeat; est C. Curio, summis vestris beneficiis maximisque rebus gestis, summo ingenio et prudentia praeditus; est Cn. Lentulus, in quo omnes pro amplissimis vestris honoribus summum consilium, summam gravitatem esse cognovistis; est C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte, ut horum auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

XXIV. 69. Quae cum ita sint, C. Manili, primum istam tuam et legem et voluntatem et sententiam laudo vehementissimeque comprobo; deinde te hortor, ut auctore populo Romano maneas in sententia neve cuiusquam vim aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi perseverantiaeque arbitror; deinde, cum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus, quantam iterum nunc in eodem homine

---

§. 68. 1. *tot annos*] sic ε, ut Lamb. suspicatus erat; *annos tot* rell. — 4. *quot si* c. — 7. *extiterunt* βσach, Monn. — 8. *nemo esse*] ε, Monn. df; *esse nemo* τ(?)βσ5, rell. — *G. Curio* σ. — 9. *beneficiis usus* l contra codd. — *maximisque rebus*] *maximus rebus* κ. — 10. *Gne.* σ. — *pro* om. β. — 12. *cognovistis*] sic ε; *cognostis* τ; *cognoscitis* βσ5, codd. vulgg. — *Gne. Cassius* σ. — 13. *videte ut*] sic εκτφσν, Monn., var. Steph., codd. fere omnes; *videte num* 5 cum Mon. b (a m. sec.), 2 Oxx., Victoriano; *videte ne horum* coni. Bloch.; *videte horumne* Madvig. ex Orelli coniect. in edit. maiore.

§. 69. 15. *C. Manli* ε; *G. Mauili* σ. — 17. *ortor ut auctoritate p. r.* σ. — 19. *perseverantiaeque*] sic εκτφ; *constantiaeque* βσ5, rell. — 20. *cum tanto studio*] *tanto studio* κ teste Modio. — 21. *videamus*] sic βσ5, codd. plerique; *videmus* ετ, Mon. f (nisi in τ librarius, cum sententiam relativam omiserit, a *videamus* ad sequens *videmus* aberravit. An fuit „*quoniam ... videmus*"?). — *quantum* σ. — *quantam ... videmus*] hoc colon in τ et Franc. II. deest. — *iterum nunc*] sic ε (Fr.) et κ soli, sed κ hoc verborum ordine: *nunc iterum*, ut refertur; *non iterum* βσ5, rell.

praeficiendo videmus, quid est quod aut de re aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid est in me studi, consili, laboris, ingeni, quidquid hoc beneficio populi Romani atque hac potestate praetoria, quidquid auctoritate, fide, constantia possum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi et populo Romano polliceor ac defero; 70. testorque omnes deos, et eos maxime, qui huic loco temploque praesident, qui omnium mentes eorum, qui ad rem publicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cuiusquam, neque quo Cn. Pompei gratiam mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi ex cuiusquam amplitudine aut praesidia periculis aut adiumenta honoribus quaeram, propterea quod pericula facile, ut hominem praestare oportet, innocentia tecti repellemus, honorem autem neque ab uno neque ex hoc loco, sed eadem illa nostra laboriosissima ratione vitae, si vestra voluntas feret, consequemur. 71. Quamobrem, quidquid in hac causa mihi susceptum est, Quirites, id ego omne me rei publicae causa suscepisse confirmo; tantumque abest, ut aliquam mihi bonam gratiam quaesisse videar, ut multas me etiam simultates partim obscuras, partim apertas intelligam mihi non necessarias, vobis non inutiles suscepisse. Sed ego me hoc honore praeditum, tantis ve-

---

§. 69. 1. *praeficiendi* σ; *proficiendo* β. — *videmus*] sic εκ, Dresd., Mon. b (a m. pr.); *videremus* β; *vidimus* σ5, codd. vulgg. — *perficienda* σ. — 2. *quicquid* βσ. — *est in me ... quidquid*] om. σ. — *est in me*] ε solus; *in me est* rell. — 4. *hac*] *ac* σ. — 6. *et defero* c h s l contra codd.

§. 70. 9. om. *neque* post *hoc* σ. — 12. *aut iumenta* σ. — 13. *innocentia oportet* β. — *repellemus*] sic ετ; *repellimus* κφ (si recte Grut. retulit); *pellemus* βσ5, codd. plerique. — *honorem*] sic ε (Fr.) κτβσvac, Monn.; *honores* h s l, incerta auctoritate. — 15. *illa nostra*] ετβσ, Monn.; *nostra illa* 5.

§. 71. 18. *id ego omne*] sic ε solus; *id omne ego* τβσah, Monn., var. Steph.; *id omne* vcsl. — *me*] om. τv, fortasse recte. — *tantumque*] *tutumque* τ. — 19. *mihi b. gr.*] ετ soli; *b. gr. mihi* βσ5. — 20. *me etiam*] sic ε solus, ut videtur; om. *me* rell. — *partimque apertas* β. — 21. *intelligam*] ετσ5; *intelligatis* β, 4 Monn.

stris beneficiis affectum statui, Quirites, vestram voluntatem et rei publicae dignitatem et salutem provinciarum atque sociorum meis omnibus commodis et rationibus praeferre oportere.

---

§. 71. 2. *rei publ.*] *romani populi a.* — 3. *anteferre a.*

COMMENTARIUS.

In oratione Pompeiana explicanda praeter editiones, quibus cunctae orationes Tullianae continentur, haec subsidia mihi praesto fuerunt:

Scholiastes anonymus Gronovii, ap. Orell. II. p. 437—442.

In M. T. C. or. p. l. M. Antonii Luschi observationes *).

M. Tullii Ciceronis or. p. lege Manilia cum comment. Fr. Sylvii. Paris. 1529. 1532. 1537. 4. *).

In or. p. l. M. Iacobi Omphalii Andernaci scholia *).

M. T. C. or. p. l. M. cum notis Nic. Agricolae. Norimb. 1550. 8. *).

Franc. Hotomani commentarius in orationum M. T. C. Volumen primum. Oliva Rob. Stephani 1554. fol. Repetitus est commentarius ex magna parte novus in Fr. Hotmani (sic) Operum Tomo III. Lugd. 1600. fol. p. 1161—1194.

Explicatio orationis M. T. C. p. l. M. usum Dialecticae et Rhetoricae ostendens, tradita in schola Luneburgensi, ab Alberto Lenicero. Witebergae 1573. 268 pagg. 8.

M. T. C. orationes duae elegantissimae pro Q. Ligario et Lege Manilia. Cum annotationibus M. Iohannis Schosseri. Francof. March. 1598. 12.

M. T. C. oratt. sell. emendatae et illustratae a Christoph. Aug. Heumanno. Isenaci 1735. 8.

Editio Christ. Dan. Beckii. Lips. 1800. 8.

Greg. Gottl. Wernsdorfii animadversiones criticae in C. or. p. l. M. Camburgi 1803. 4.

---

*) Petivi ex bibliotheca commentariorum, quae Basileae 1553. fol. (p. Io. Opor.) in lucem prodiit. Tom. I. p. 247—330.

Cic. orationes XIII selectae. Novis animadversionibus in usum scholarum illustratae a Beni. Weiske. Lips. 1807. 8.

Cic. orationes selectae. Mit historischen, kritischen und erklärenden Anmerkungen von Ant. Moebius. Hannover 1816. 8. Editionem quartam G. Ch. Crusius curavit 1846.

Cic. orationes VII. In usum scholarum edidit Aug. Matthiae. Lips. 1818. 8. ed. III. 1831.

Versuch einer Würdigung der Rede Cicero's für den Manilischen Gesetzvorschlag von Christian Wilh. Haun. Merseburg 1827. 4. 38 pagg.

Cic. oratt. pro S. Rosc., p. l. M., in Catil. IV. Ed. S. N. I. Bloch. Hafniae 1828. 8.

Cic. orationes selectae XII. Recogn. et emendavit D. Io. Nicol. Madvig. Hauniae 1830. 8. Praefatio huius editionis repetita est in eiusdem Opusculis academicis Haun. 1834. p. 111—135.

Cic. oratt. selectae. Mit histor., antiquar. und grammat. Anmerk. von F. J. Reuter. Augsb. 1831. 8.

Cic. orationes XII. Ex codd. regiis Bavaricis atque Parisinis nunc primum collatis ceterisque recens. et explic. Io. Bapt. Steinmetz. Magunt. 1832. 8.

Studien über Cicero von T. Baden in Jahn und Seebode Archiv für Philologie. Vol. II. p. 346 sqq. 1833. 8.

M. T. C. oratio de Inperio Cn. Pompei. Ad optumorum codicum fidem emendavit et interpretationibus et aliorum et suis explanavit Dr. C. Benecke. Lips. 1834. 8.

Cic. orationes selectae XV. Recogn. et emend. partim ex codd. nunc primum collatis Io. Casp. Orellius. Turici 1836. 8.

Cic. orationes selectae XVII. Für den Schulgebrauch bearbeitet und mit historischen Einleitungen versehen von Karl Fr. Süpfle. Karlsruhe 1837. 8.

Ludovici de Ian censura editionis Beneckeanae in Iahn. Ann. philol. 1838. Vol. 23. p. 70—83.

Cic. orationes selectae XII. Iterum recensuit et praefationem criticam novam adiunxit D. Io. Nicol. Madvig. Haun. 1841. 8.

Aloysii Nikl commentatio de levitate et fallacia argumentationis in M. T. C. oratione pro l. M. adhibitae. Campoduni 1842. 15 pagg. 4.

CAPUT I.

§. 1. *Quamquam* etc.] Orditur a modestia sua, quod benevolentiam conciliat, et superioris vitae rationem exponit, ne serius fortasse, quam deceret, coepisse de rostris verba facere videatur. MAN.

frequens conspectus vester] „Utrumque dicitur, et *consp. vester* et *consp. vestri*; Curt. VI, 32, 2: *conspectus vestri venerabilis cogit* etc. Ciceroni tamen illud magis in usu est: p. Planc. §. 2. *vester, iudices, conspectus et consessus*; ad Fam. XVI, 21, 7. Terent. Hecyr. V, 2, 22. et infra §. 22." STEINM. secundum Heumannum. Adnotavit autem Heumannus *frequentem conspectum v.* dictum esse pro *conspectu vestrae frequentiae*; at est proprie: *conspectus vestri frequentium*, quae antiptosis ne cui audacior videatur, *conspectus* h. l. est *multitudo in conspectu versans*, ut dicitur *frequens consessus theatri*, *consessus iudicum*, similia. Deerat autem nomen collectivum, quod multitudinem stantem aeque significaret, atque *consessus* de multitudine sedente dicebatur.

hic autem locus] templum in foro, rostris (v. Liv. VIII, 14.) navium Antiatium exornatum. Cf. infra 18, 55. 24, 70. Ex rostris igitur haberi solebant ad populum contiones a magistratibus: nam de superiore loco magistratus cum populo, ex aequo et plano patroni in iudiciis causas agebant. Ex HOTOM.

ad agendum ... ad dicendum] „Ex Messalae libro de minor. magistrat. Gellius XIII, 15. docet aliud esse *cum populo agere*, aliud *contionem habere*. *Nam cum populo agere*, inquit, *est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut iubeat aut vetet; contionem autem habere est verba facere ad populum sine ulla rogatione.*" HOT. Cf. Beckeri Antiq. Rom. II, 1. p. 362. Bene Heumannus: „*Dicere* s. orationem habere quis potest qui caret auctoritate publica; *agere cum populo* nonnisi eius est, qui potestate id faciendi praeditus est publice."

ad agendum amplissimus etc.] ut de Orat. II, 77, 312. *eaeque causae sunt ad agendum et ad ornandum gravissimae atque plenissimae* etc. Cur autem locus ille *ad ag. ampl.*, *ad dicendum ornat.* dicatur, varie explicarunt interpretes. Hotomanus: „*ad ag. ampl.* appellat, quod nullis nisi amplitudine praeditis viris, magistratum, scil. gerentibus, agere cum populo liceret: *ad dicendum ornat.*, quod ornamento esset iis, qui contionabantur, ut adolescentibus, qui de laude alicuius pro rostris orationes ad populum habebant." Manutius: „*ampliss.*, cum in eo, qui de rostris cum populo agat, auctoritas maxima sit: *ad dic. ornat.*, cum dicenti plurimum afferat ornamenti. Distinguit *agere* et *dicere*: illud ad rem, quae agitur, hoc ad eius, qui agit, orationem pertinet." Matthiae: „*ampl.*, qui plurimum amplitudinis et dignitatis

tribuit, quatenus ex eo cum populo agitur; *ornat.*, qui ornamento est, quatenus ex eo dicunt contionantes." Moebius: „*ampl.* ein Platz, auf dem der Redner viel wirken kann; *ornat.*, der den R. mit Ruhm krönt." Benecke denique: „*ampl.*, in quem nemo nisi magistratus hominesque summa dignitate ascendere solebant; *ornat.*, quo nihil nisi perfectum ingenio et industria elaboratum adferri oportebat ac viri summi ornatissimique oratores dicere consueverant." (Dubito num hoc in vv. *ornat. ad dic.* inesse possit. Non magis probanda est Freundii interpretatio voc. *ornat.* „*vorzüglich geeignet*", quo omnis contrariorum ratio tollitur.) Mihi locus propterea *ampl. ad ag.* dictus videtur, quod ex illo, in foro Romano sub oculis deorum immortalium posito, magistratus cum populo R., orbis terrarum domino, de summis rebus publicis agebant; *ornatissimus* autem (i. e. *ehrenvollst*), quod locus, ut ipse erat dignitate conspicuus, ita ex eo contionantibus ornamentum afferebat laudisque aditum parabat.

optimo cuique] vel magistratum gerenti vel privato, data a magistratu contione. Man. Cf. Beckeri Antiq. R. II, 1. p. 361. n. 700.

vitae meae rationes] quia me totum ab ineunte aetate, omissa rerum publ. cura, ad agendas causas contuli. Planius hoc infra: *omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi.* Man. *Vitae rationes* bene vertit Naegelsbach *Lat. Stil.* p. 33. *Lebensplan.* De re autem contulit Steinmetz or. Verr. II, 4, 10.

ab ineunte aetate] Non pueritiam, sed adolescentiam significat. Adolescens enim, natus annos XXVI, Decula et Dolabella coss. [81. a. Ch.] privatam pro P. Quinctio causam egit, publicam anno sequenti pro Roscio Am. Man.

prohibuerunt] Quamquam enim et quaestor et aedilis fuerat, de rostris tamen nondum dixerat. Man.

huius auctoritatem loci] in quo ipso ob amplitudinem suam quasi pondus quoddam inest, ut facile orationibus quoque contionantium vim atque auctoritatem addere possit. (Hotomanus: *auct. l.*, in quem nonnisi magistratibus licebat ascendere. Heumannus: posuit Cic. abstractum pro concreto, dicereque voluit *amplissimum hunc locum.* Ernesti: *auct. l.*, quia ex eo fiebant populo auctores legum iubendarum, antiquandarum etc. Matthiae: h. locum, qui auctoritatem tribuit contionantibus ex eo. Benecke: est locus, cui summa auctoritas tribuatur propterea, quod ex eo amplissimi summaque auctoritate viri cum populo agere solebant.)

attingere] sic codices familiae Germanicae; rell. *contingere.* „*Attingere forum, rem publ.* dixit Cic., numquam *contingere*; v. ad Fam. V, 8, 3. ad Att. II, 22, 3. Suet. Tib. 13." Graev. [Magis huc pertinent loci apud Freundium s. v. 2. d.] „*Contingere* sic non dicitur. *Auctoritatem cont.* est assequi, quod ab h. l. alienum." Ern.

statueremque] Tertia causa, cur antea rostra non ascenderit. Prohibuit vitae ratio ab ineunte aetate suscepta, pudor deterruit, iudicium non permisit, cum statuerem etc. MAN.

nisi perfectum ingenio, elabor. industria] „Non est eadem dicendi ratio ad populum et ad iudices. Populus enim delectari, iudices doceri volunt: ad populum oratio iucundior atque elegantior, ad iudices severior et simplicior esse debet: haec ad utilitatem potius, illa ad ostentationem componi solet." SYLVIUS. Spectat autem *perf. ing.* maxime ad inventionem, *elab. ind.* ad dispositionem et ad elocutionem; utrumque autem industria forensis optime perficiebat.

meum tempus amicorum temporibus transmittendum p.] „i. e. tribuendum, addicendum; nam *temporibus* in tertio casu posuit [Manutius falso pro auferendi casu habuit, explicans: traducendum], quasi diceret *dedere et consecrare.* Sic 14, 42. *huic hoc tantum bellum transmittere.* Stat. Theb. III, 278. *operi transmittere noctem. Tempora* autem negotia, pericula, necessitates, ut vulgus loquitur, significant, ut de Off. II. §. 4. *tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et reip. temporibus.*" HOTOM. Usus verborum h. l. Beneckeo non nihil habere videtur, quod displiceat. At Cic. quidem hac figura traductionis saepissime usus est; v. Osenbr. ad Rosc. p. 62. et adnot. meam ad Sull. §. 62. p. 129. add. p. Quinct. 14, 45. Phil. VII, 7, 19. etc. Imitatus est autem hanc prooemii partem Eumenius in or. p. restaur. scholis (Paneg. vett. I. p. 221. Iaeg.), quem locum tironum gratia ascripsi, ut, quid intersit inter veram et fucatam eloquentiam, exemplo luculento intelligatur. Is igitur orationem illam sic exorsus est: *Certum habeo, vir perfectissime ... plerosque mirari, quid ego, qui ab ineunte adolescentia usque in hunc diem numquam isto in loco dixerim, et quantulumcunque illud est, quod labore ac diligentia videor consecutus, exercere privatim quam in foro iactare maluerim, nunc demum sero quodam tirocinio ad insolitum mihi tribunal adspirem: a quo ego me fateor, quamquam mihi sedes ista iustitiae et ad agendum et ad dicendum amplissima videretur, diffisum tamen ingenio meo antehac afuisse, et hoc ipso in tempore quamvis diversissimum a contentione litium genus orationis habiturum, conscientiae trepidatione revocari.*

§. 2. *Ita neque* etc.] „Sensus est: Eo pacto dum privatis servio, vestram mihi benevolentiam conciliavi, cum interea tamen desertus hic locus non esset." HOT. Non inepte sententiae vim censor quidam in Leipz. Lit.-Zeit. 1824. p. 219. his brevibus verbis indicavit: „*bei diesem meinem Verfahren habt ihr nichts verloren, und ich habe gewonnen.*" Ac bene adnotavit Matthiae hunc locum ad proprium illud sermonis Graeci et Latini idioma revocandum esse, de quo F. A. Wolf. in Anall. litt. I. p. 318. sic exposuit: „Idiomatis forma haec est, ut simpliciter iungantur duo membra inter se quodammodo contraria, quae

nobis novitias linguas spectantibus magis perspicua fiant, si ea interiecto *quum* inter se connectantur, eorumque relatio implicatione periodica significetur." Sic infra §. 63. *videte, ne sit periniquum illorum auctoritatem ... a vobis comprobatam semper esse, vestrum ... iudicium improbari.* Huius schematis illam speciem, in qua particulas *ita, quare, quamobrem* non statim excipit id quod sequitur, sed altera sententia immittitur, quae proprie coniunctione annectenda fuisse videtur, Madvigius, qui de universo hoc genere in Emendatt. ad Acad. et Legg. p. 24 sqq. copiose exposuit, aliquot exemplis illustravit p. 52 sq. et ad Cic. de Finn. p. 40. Cf. etiam Matth. ad h. l., Naegelsb. Exc. XII. ad Hom. Il. et lat. Stilistik p. 309 sq. Propterea autem orator illud incisum *neque hic locus vacuus fuit* etc. addidit, ne causam populi in defectu aliorum oratorum neglexisse videretur, qui si defuissent, etiam minus perfecta vis oratoria grata fuisset.

vestram causam] rostra enim nemo nisi pro populo dicturus ascendit. Man.

in privatorum periculis] eis enim, qui in magistratu erant, diem dicere non licebat. Loquitur enim de publicis iudiciis, cum dicit *pericula.* Ex Hot.

caste integreque versatus] „*caste*, quod nullum munus ob causam orandam acceperim, ut lege Cincia cautum erat; *integre*, quod clientis causam numquam prodiderim." Sylvius. „Ita multos defendi, ut me numquam pecunia corruperit, numquam a veritate et innocentia deflexerim. Vel *caste*, nulla lege violata: *integre*, recto animi sensu." Man. „*Caste*, i. e. ἀδωροδοκήτως, incorrupte. *Castus* saepius a Cic. dicitur, qui alienae pecuniae non cupidus est. Sic p. Flacc. §. 68. *Sex. Caesium, eq R., castissimum hominem atque integerrimum.* In Verr. I, 39, 100. Verres εἰρωνικῶς *homo castissimus* dicitur, et p. Sest. §. 93. Gabinius *homo castus ac non cupidus.*" Steinm. „*Caste*, qui numquam ab animi innocentia discessi; *integre*, qui corrumpi me non passus sum." Ex Ben. Eandem laudem tribuit Ciceroni Plutarchus v. Cic. c. 9. τὰς κρίσεις ἔδοξε καθαρῶς καὶ καλῶς βραβεῦσαι. Neque tamen puto, quod plerique volnerunt, solam legem Cinciam a Cic. respici, sed illud simul indicat, ut iam Sylvius bene intellexit, se in causis agendis ab omni praevaricatione malaque fide alienissimum fuisse. *Caste integreque*, quae unam notionem efficiunt (quare saepe coniuncta inveniuntur, ut in Tusc. I. §. 73. de Finn. IV. §. 63. p. Font. §. 22. Auct. ad Her. II. §. 5. etc.), si discernere velis, prius intelligam de animo non cupido atque abstinente, posterius de incorrupto bonaeque fidei sibi conscio.

dilationem comitiorum] cum ea, quasi vitium aliquod obvenisset, irrita putarentur, ideoque semel et iterum instaurata essent. Man. De variis causis, ob quas comitia dirimi poterant, v. Schulze Volkvers. d. Römer p. 273 sq. et G. Rein. in Paul. Encycl. II. p. 545.

praetor primus] „minime urbanus vel honoratus, quod Moebius vult, sed a centuriis ante alios primo loco [ut est apud Vell. II, 59. *hic praetor inter nobilissimos viros creatus primo loco* etc.] renuntiatus, quod honori ducebatur. Creati enim praetores munera vel provincias sortiebantur; v. Verr. Act. I, 8, 21. ibique Schol. Liv. 32, 28. Praeterea Cicero non praetor urbanus erat, sed de pecuniis repetundis quaerebat; p. Rab. Post. c. 4. p. Cluent. 53. etc." E STEINM. secundum Hotom. Cf. in Pis. §. 2. ibique Garat. et v. Drum. V. p. 353.

primus ... renuntiatus sum] „Cur se primum renuntiatum orator dicit? Manutius falso eam affert rationem, quia plures quam ceteri centurias tulisset. Immo primus omnium competitorum numerum centuriarum explevit, et proinde primus renuntiatus est praetor. Ter Cic. renuntiatus est a magistratu comitia habente; cur *ter*? Quia consuli comitia habenti semel atque iterum obnuntiatum est: igitur antequam absolverentur, dirempta sunt bis praetoria Ciceronis comitia per obnuntiationem. Ipse autem postquam eum maior pars centuriarum nominaverat, primus fuerat renuntiatus: aliis autem candidatis centuriae aliquot adhuc deerant, cum comitia interrupta sunt." Ex FERRATII Epist. p. 158 sqq.

quid de me iudicaretis] cf. Cic. Brut. §. 321. *Nos autem non desistebamus cum omni genere exercitationis, tum maxime stilo nostrum illud, quod erat, augere, quantumcunque erat. Atque, ut multa omittam in hoc spatio et in his post aedilitatem annis, et praetor primus et incredibili populi voluntate sum factus. Nam cum propter assiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus animos hominum ad me dicendi novitate converteram.*

quid aliis praescriberetis] Quid? hoc scil., ut ita viverent, quemadmodum ego vixi, suumque tempus amicorum temporibus transmitterent. MAN. Cf. p. Mur. 4, 8.

cum et auctoritatis tantum in me sit] Cf. in Verr. Act. I. §. 36. *hoc mihi deposco, quod agam in magistratu, quod agam ex eo loco, ex quo me populus R. ex Kal. Ian. secum agere de re publ. ac de hominibus improbis voluit.*

quantum vos honoribus mandandis etc.] „Auctoritatis tantum in se esse dicit, quantum populus esse voluit, cum ei honores illos mandavit, quibus auctoritas illa parta ac comparata erat. Sic p. Balbo §. 1. *auctoritatis tantae, quantam vos in me esse voluistis.*" MURETUS. „Ablativum rectissime sic solves: *cum honores mandaretis*, ut infra §. 67. *nisi ut detrimentis accipiendis maiore affici turpitudine videremur.*" Ex BEN. Cf. Weissenbornii Commentat. de Gerundio etc. p. 131. not. 258.

apud eos utar] Omisi cum Erf. et Pal. IX. pronomen *ea*. Urbanior sic videtur oratio, propterea quod iam non *auctoritas*, sed *si quid auctoritatis* ex sententia relativa repetendum est.

in dicendo consequi] Sic Erf. et Pal. IX.; libri deteriores: *etiam dicendo cons.* „In eo quod legebatur *etiam dicendo* etc. primum particula *etiam* nullam vim habet; deinde locutio recta non est; nam *dicendo aliquid consequi* est oratoriae facultatis usu aliquid efficere, obtinere, interdum, sed alio modo, rem verbis aequare, non, quod hic dicendum erat, aliquid in ipsa arte oratoria efficere, aliquam eloquentiae facultatem habere. Hoc est *in dicendo aliquid consequi.*" Madvig. Similiter de vera loci scriptura iudicavit Benecke, uno dissentiente Badenio in Iahn. Tabul. philol. II. p. 346.

ei quoque rei] dicendi facultati, ut recte explicuit Hotomanus. Minus recte Manutius interpretatus est: „industriae, quae ponitur in amicis defendendis." Fructus enim, qui ex Cic. dicendi facultate sperabatur, iam non in amicis tantum defendendis, sed etiam in populi causa tuenda conspicuus esse debebat; digna enim populo visa est, cui latior campus aperiretur. Cf. etiam Prolegg. p. 21.

duxerunt] „Solus Erf., si fides editoribus habenda est, pro *censuerunt* habet *duxerunt* [sed a manu sec.; a prima: *dixerunt*], quo verbo nego umquam interpretes ad explicationem verbi *censere* usos esse. Contra *ducere* potuisse verbo *censere* explicari, quivis concedat necesse est." Wunder. „Cum *duxerunt* non sit nisi ex emendatione, eo minus ceterorum codd., etiam Parc., lectioni praeferri debet. Praeterea praestat ditrochaeus." Orelli 2. Recepi tamen cum Madvigio *duxerunt*, quoniam codici, cuius tanta est in hac oratione praestantia, ut persaepe soli vera lectio debeatur, in his quoque rebus minutis obtemperandum videbatur.

§. 3. *Atque*] i. e. *und zwar*; v. Naegelsb. lat. Stil. p. 387 sq. et Hand. Turs. I. p. 496.

nemini possit] Sic nunc recte vulgatur pro *potest*; v., si tanti est, Klotzium Vol. I. p. L., qui idem bene adnotavit *oblata est* ad vim praesentis accedere; quare non sequi *posset*, sed *possit*. Indicativum ex recentioribus nemo praeter Kahntium defendit (Animadvv. critt. in nonnullos locos Tullianos. Cizae 1829. 4.), cuius argumentatione haud scio an non multi commoveantur. „Indicativus," inquit, „admodum est accommodatus. Significat enim maximam animi persuasionem, Pompeii virtutes unicuique largissimam praebere dicendi materiam. Minor autem laus in coniunctivo continetur."

de Cn. Pompei] Vis est in nomine: iam enim ex rebus gestis Magnus appellabatur. Man.

virtute] fortius, quam si *virtutes* dixisset. Nec sola fortitudo neque vero, ut F. C. Wolffius opinatus est, eximia vis dicendi intelligenda est, sed universa Pompeii facultas ac voluntas pro patria domi bellique bene promerendi.

difficilius est exitum etc.] Similiter Lysias c. Eratosth. in.: *οὐκ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι, ὦ ἄ. δικ., κατηγορίας, ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι.* Hunc locum cum aliis similibus P. Victorius in Var. Lectt. XX, 16. et Muretus V. L. XIX, 20. indicaverunt.

CAPUT II.

§. 4. *Atque ut inde* etc.] Narrationis initium sumit a tribus causis, a bello, a damno, ab hoste. De bello quid est quod ad populum commovendum dici possit? grave et periculosum esse: de damno? calamitatem inferri vectigalibus populi R.: de hoste? non unum esse hostem, sed duos, et duos reges et reges potentissimos. MAN.

unde . . . ducitur] principium ducit, ut de Orat. II. §. 130. de Nat. D. II. §§. 57. 75. Orat. part. 8, 28. EX STEINM.

vestris vectigalibus ac sociis] „Aptius ad excitandos populi animos, quam si dixisset *nobis* aut *rei publicae*. Intelliguntur autem h. l. populi vectigales; adiungitur enim *ac sociis*." BLOCH. Interpretantur vulgo *Einkünfte, Staatsgefälle*; sed veram esse Blochii explicationem, quam veteres interpretes ut Sylvius aliique praeiverunt, equidem mihi persuasi, quamquam non ignoro infra §. 45. legi: *quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit.* Sed aliud est exercitu vectigalia tueri atque conservare, aliud vectigalibus i. e. reditibus bellum inferre, quod nescio quo pacto absonum videtur. Ut autem *vectigales* et *stipendiarii* saepius coniunguntur (Verr. IV, 60, 134. de Prov. cons. 5, 10. Sal. Catil. 20. Liv. 21, 41. 34, 4. 37, 55.), sic *socii stipendiariique populi R.* in Divin. in Caec. 3, 7. — Non minus perverse paulo inferius §. 5. *reditus* intelliguntur, ubi est: *regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus:* quo in loco illud solum dubium videri possit, hominesne vectigales, quae mea sententia est, an terrae sive agri intelligendi sint. Nam Romanos *vectigalium* nomine non tantum tributa ac reditus, sed etiam terras, ex quibus vectigalia redibant, complexos esse, apparet ex alio loco huius orationis, 3, 7. *emergere ex patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est in Asiae luce versari.* Cf. impr. Verr. II, 3, 7: *quoniam quasi quaedam praedia populi R. sunt vectigalia nostra atque provinciae.*

ac sociis] Hoc et reges nomine continentur; infra c. 5. *regno est expulsus Ariobarzanes, socius pop. R. atque amicus.* MAN.

potentissimis regibus] Ipse in Lucullo 1, 3. Mithridatem regem post Alexandrum maximum appellat. HOT.

Mithridate et Tigrane] altero Ponti, altero Armeniae rege et superioris generis; v. Prolegg. pag. 12. not. 4. Quod Benecke suspicatus est (Praef. p. XXVII.) haec verba insiticia esse, satis refutavit Lud. de Ian. l. c. p. 76.

Mithridate] „Ponti regum nomen etsi in numis et marmoribus Graecis semper scribitur *Μιθραδάτης* (v. Eckh. Doctr. num. vet. I, 2. p. 363.), tamen apud auctores vett. et in omnibus eorum codd. fere *Mithridates* legitur. Nec hic ulla varietas notata est." [Inveni tamen *Mithradates* apud August. de Civit. Dei III. c. 22.] Beck. „Persicum sive Medicum *Δάτις* radix finalis est permultorum Persicorum, *Ἄβρα-δάτας*, *Ἀσι-δάτας* s. *Ἀσια-δάτας*, *Ma-datas*, *Meher-dates*, *Μιθρα-δάτης*, *Φερεν-δάτης* etc., eademque est initialis in *Δατ-άμης*, formato ut *Ἀρτ-άμας*. Neque obest, quod penultima in Persico longa, in Maeotico brevis. Ceterum constat in hac radice inesse dandi notionem, ut *Mithradates* sit *a Mithra datus*, *Φερενδάτης* videatur id quod Graece *Κλεόδοτος*." Boeckh. in Corp. Inscrr. Gr. II. p. 115. Cf. impr. Pott, etymolog. Forschungen I. p. XLVII sqq. Nomen plenum Mithridatis exstat in inscriptione Deliaca ib. p. 231. num. 2277. a: *Βασιλέως Μιθραδάτου Εὐπάτορος Εὐτυχοῦς, τοῦ Μιθραδάτου Εὐεργέτου.*

alter relictus, alter lacessitus] Mithr. *relictus*, i. e. non prorsus debellatus, cum regnum amissum iterum occupasset; *lacessitus*, cum Tigrani arma illata essent, quod socerum, qui ad eum confugerat, tradere nollet.

ad occupandam Asiam] „proconsularem, cuius maxima pars ad Romanos Attali Pergami regis testamento pervenerat, a. 133. a. Ch." Beck. De constructione autem verborum bene monuit Weissenborn in Comment. de Gerund. p. 128. n. 255., post multa substantiva *ad* cum gerundio ita usurpari, ut ad infinitivum recentiorum linguarum prope accedat, sed addito vel verbo *esse* vel alio verbo, ut ex notione verbali ita orta gerundium pendeat.

arbitrantur] Codd. deteriores: *arbitratur*. „Mithr. et Tigr. non pro se quisque, sed ambo et socii occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitrantur. Debuit ergo Cic. dicere *arbitrantur*, non *arbitratur*." Ex Ben. Est species quaedam attractionis, cum proprie dicendum fuerit: *qui arbitrantur, alter rel., alter lacess.* Simile exemplum non inveni nisi unum in Tac. Ann. III, 62: *proximi Magnetes L. Scipionis et L. Sullae constitutis nitebantur, quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis fidem atque virtutem Magnetum decoravere.*

equitibus R.] publicanis, qui Asiae vectigalia conduxerant. Man.

afferuntur litterae] „Iunge cum *Bithyniae vicos exustos esse*; reliqua parenthesi inclusa sunt." Matth. Haud scio an rectius statuatur in h. l. inesse formam quandam anacoluthi. Cum enim infinitivi a vv. *afferuntur litt.* suspendendi fuerint, pluribus interiectis orator ita orationem continuavit, ut iam infinitivi potius a vv. *causam reip. p. r. s. detulerunt* pendeant, quibus explicatur, qualia fuerint illa pericula. Similiter nos dicimus: *welche mir die Gefährdung ihrer Interessen am Herz legten: es seien nämlich* etc.

magnae res aguntur] „*Res agi* dicuntur, quae ne pereant periculum
t, atque in discrimine versantur; *de re agitur*, de qua consultatur vel
rmo habetur. Neque vero Cortius ad Sal. Cat. 52, 10., ut hoc a
amb. ad Cic. Lael. 17, 61. constitutum utriusque structurae discrimen
negaret, formula *id agi* abuti debebat. Labefactatur autem aliqua
r parte infra §. 14: *praesertim cum de maximis vestris vectigalibus
gatur*, ubi Lamb. quidem [sed sine causa] *v. max. vectigalia* dedit."
EN. Cf. Seyffert. ad Lael. p. 280.

pro necessit.] nam Cicero patre natus equite R. Man.

causam reip. etc.] Cum privata causa publicam coniungit, ne de
lis equitibus, ordine sibi coniunctissimo, laborare videatur. Man.

§. 5. *Bithyniae, quae nunc v. provincia est*] a Nicomede III. here-
ditaria relicta; v. Prolegg. p. 16. n. 24. „Hoc non diceret in senatu,
icit autem in rostris, quia publicae res non cuivis de populo notae
rant." Man.

regnum Ariobarzanis] Cappadociam, ex qua eum Mithridates, Lu-
llo a senatu revocato, a. 66. a. Chr. iam tertium (v. Prolegg. p. 12 sq.
. 15. et 18.) expulit, donec Pompeius eum iterum restituit a. 64., quo ipso
mpore Ariobarzanes I. filio suo eiusdem nominis vivus regnum con-
essit; v. App. Mithr. 105. et Val. Max. V, 7, 2: *Ariobarzanes filio suo
appadociae regno cessit in conspectu Cn. Pompei.*

quod finitimum est] quod inter Armeniam et Asiam iacet. Schol.

huic qui successerit] M'. Acilius Glabrio, qui consulatum gesserat
. 67. a. Chr. — Wesenberg in dissert. de orat. Caeliana (Viburgi
836.) p. 15. ex lemmate scholiastae *h. q. successit* scribendum censuit;
uod cum Madvigius ad Cic. de Finn. p. 50. suo iudicio comprobasset,
i edit. tamen altera oratt. sell. lectionem optt. librorum *successerit*
ecte non reliquit. Nam praeterquam quod coniunctivo suus est locus
i oratione pendente, scholiastae lectionibus propterea minor fides ha-
enda est, quod eius lemmata ut ex bono codice profecta, ita permul-
s mendis vitiata sunt. De lectione autem codd. deteriorum *h. q. suc-
rrerit*, vid., si placet, doctorum disputationes apud Beneck. p. 73 sq.

non satis esse paratum] non satis instructum sive animi viribus sive
opiis et exercitu; sed consulto utitur ambiguo vocabulo, in quo minus
rat offensionis. Bloch.

unum ab omnibus] Pompeium dicit. Virgilius: *Et petiere sibi et
oluere adiungere gentes.* Schol. „Nomen *Pompeii* excidisse putabat
raevius, sed similis est locus §. 13. Monent hoc cum alii, tum
eratonius, qui addit, cum Schol. habeat „*Pompeium dicit*", eum
gnificare, suum cod. caruisse nomine. Mihi videtur ad maiorem Pom-
ii laudem pertinere, quod nomen ipsum non ponitur, idque simul
isse humanitatis, cum non sit nominatus Glabrio. Praeposterum
iam videatur, cum §. seq. non dicatur nominatim de Pompeio deli-

gendo, sed tantum de imperatore agendum esse. Accedit denique hoc non leve, quod civitates illae *certum imperatorem* deposcere non audent §. 12 sq." Weiske.

§. 6. *Causa quae sit*] i. e. quaestio, consultatio. Hot.

primum mihi videtur] Divisio; partitio finit narrationem; ab hoc capite incipiunt argumenta. Schol.

genus est belli eiusmodi] „Scripturam ex optt. libris a Graevio restitutam [in deterioribus enim abest *belli*] retinui, ita tamen, ut particulam *enim*, quam editores huic loco minime convenire putabant, ex iisdem codd. adiecerim. Est enim illa particula h. l. ad rem transeuntis; v. Hand. Tursell. II. p. 382." Ben. Equidem secutus sum lectionem, quam Modius in cod. Colon. fuisse testatur, et nunc Palatino IX. quoque et Parcensi confirmatam videmus. Huic enim loco, quo orator ad primam confirmationis partem transgrediens rem novam orditur, particula *αἰτιατικὴ* sane parum videtur convenire.

genus belli] „Genere bella geruntur vel de salute et libertate, vel de imperio, vel de dignitate et gloria; cf. §. 20." Matth. Orator cum de genere belli dicit, considerat sitne necessarium necne. Hoc autem primum populo persuasum esse debebat, ut ad bellum fortiter suscipiendum excitaretur.

ad persequendi st.] belli, h. e. non deserendi, sed urgendi. Graev.

in quo agitur] „Ernestio hic *agitur enim* necessarium videbatur, cum indicativum post *debeat* non satis concoquere posset. Verum haec enuntiatio est explicativa, nec, ut praecedens, ita conformata, ut ex vv. *genus est enim belli eiusmodi* pendere existimari debeat." Ex Ben. Eo minus Ernesti in lectione codd. *in quo ag.* offendere debuit, quod relativum *quod debeat* ad substantivum *genus*, alterum *in quo ag.* ad subst. *bellum* refertur.

tradita est] quo turpius videtur amittere; v. infra §. 12. in. Man.

certissima p. R. vectigalia] „Oratorie servit tempori; nam in or. in Rull. II, 29. negat ullum vectigal esse certum excepto Campano: aut *certissima*, pacatis temporibus, non, ut Campanum, quovis tempore; dicit enim infra c. 6: *in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem.*" Man. Rectius Weiske: „*Certissima vectig.* sunt, quae propter magnitudinem et ubertatem provinciae numquam ita possunt imminui, ut parum aut nihil inde percipiatur. Intelligitur autem per se tantum pacis tempore illa esse *certissima*: nam alias hic non posset dici *aguntur*. Ac ne Campanum quidem vectigal fuisset certum, si saepius ab hostibus occupatus fuisset ager Campanus, ut Hannibalis tempore." Parum caute autem comparavit Weiske (quem errorem Reuterus repetiit auxitque) locum or. Verr. III, 6, 12., ubi sermo est de Hispanorum *vectigali certo* proprie sic dicto, quod item *stipendiarium* dicebatur; v. Hoeckii Hist. Rom. I, 2. p. 208.

et pacis ornamenta et subsidia belli] „fructibus enim vectigalium et pax ornatur [h. e. pacis dignitas retinetur] et bella sustentantur. Sic in Rull. II, 29. *pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium.* Hic vero infra c. 6. *si et belli utilitatem*, inquit, *et pacis dignitatem retinere vultis.*" MAN. Recte Benecke adnotavit *ornamenta* alicuius rei omnino esse ea, quibus res aliqua sustentatur, aut quibus omnino efficitur, ut res sit talis, qualis esse debeat. Exemplis ab eo congestis add. Cic. de Orat. II. §. 171: *si aerarii copiis et ad belli adiumenta et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus.* Telet. in Stob. Floril. Tit. 91, 33. p. 504, 19. Gesn.: *Αὐτὸς μὲν οὖν ὁ Πλοῦτος ἐσεμνύνετο χρείας ἀνθρώπων διορθοῦν, ἢ τελεῖν ἐπιθυμίας ἢ βλάβαις ἀντέχειν, ἐπιμελεῖσθαι σώματος, ψυχῇ χαρίζεσθαι, πρέπειν μὲν εἰρήνῃ, πολέμοις δὲ παρέχειν κτλ.* Etiam in or. Quinctiana *ornamenta* saepius de rebus ad vitam necessariis s. de fortunis dicta sunt, ut 13, 43. 30, 94. 31, 99.

requiretis] i. e. amissa sentietis.

multorum civium] v. infra §. 17. et 18.

a vobis et ipsorum et reip. causa] Sic nunc legitur, codd. deteriorum scriptura „*a vobis et ab imperatoribus reip.*" feliciter expulsa.

CAPUT III.

§. 7. *Appetentes gloriae*] quae re militari maxime quaeritur; paulo ante: *agitur populi R. gloria, quae a maioribus ... summa in re militari tradita est.* MAN.

macula Mithrid. bello superiore concepta] de qua v. Prolegg. p. 14. not. 14. Ceterum infra quoque §. 22. primum bellum Mithr. *superius* vocat, quod, opinor, bellum a Murena contra Mithridatem susceptum levius videbatur, quam ut singulatim numeraretur. Sic et §. 19. *bellum Asiaticum* sic nominatur, quasi unum ante Lucullum cum Mithridate gestum fuerit.

concepta] sic pro vulg. *suscepta* Erf. et Pal. IX. soli, quam lectionem editores firmarunt Cic. or. p. Rosc. Am. §. 66. *macula concepta*, in Verr. Act. I. §. 49. *conceptam turpitudinem atque infamiam delere.* de Off. I. §. 123. *senectus concipit dedecus.* Praefert tamen Benecke vulgatam, lectionem *concepta* correctori deberi pntans, qui usitatius verbum minus recte substituerit, coll. or. p. Font. c. 12. in.: *ne qua ... macula atque ignominia suscipiatur*; p. Mur. §. 12. p. Sulla §. 51. Equidem *concepta* non desero, cum propter auctoritatem codicum duorum, tum quod haec lectio verbis quae sequuntur „*quae penitus iam insedit*" egregie convenit.

penitus iam insedit] Sic Celsus de medic. III, 1. *longus morbus cum penitus insedit.* Cf. etiam Garat. ad Cic. p. Mil. c. 25. p. 280. Or.

uno die] v. Prolegg. p. 14. not. 13.

tota in Asia] sic Erf. et Pal. IX.; codd. rell. *tota Asia*. Lectionem Erfurtensis firmavit Haase ad Reisigii Schol. p. 708. coll. or. Verr. II, 66, 161. *in tota Sicilia* et II, 35, 87. *tota in Graecia*, quo posteriore loco codd. fere omnes praepositionem tuentur. Add. Verr. IV. §. 72. Eandem lectionem Lud. de Ian ob hanc rationem defendit, quod vi distributiva, quae insit in praepositione adiecta (*an so vielen einzelnen Orten in Asien*) rei atrocitas amplificetur. Equidem iam propter repetitionis figuram (*tota in Asia, tot in civit.*) praepositionem spernere nolui. De re autem v. Prolegg. p. 13. not. 10.

uno nuntio atque una signific. litterarum] Similiter in Verr. IV. §. 104: *Haec iste omnia uno impetu atque uno nuntio ... asportanda curavit.* Verba *una sign. litt.* hodie sic exprimas: *durch einen einzigen Federstrich.* „*Signific. litterarum* pro *litt. signif.* ex Erf. et edd. Venetis restitui; nec tamen repugnabo, si quis voc. *litterarum*, quod Guilielm. et Orell. suspectum habuerunt, et propter incertam sedem, et quod ab Colon. prorsus abest, eiiciendum putaverit." Ben. Merito reliqui editores non tantum unius cod. auctoritati tribuerunt; omittit enim h. l. vocabulum, quod vereor ut pro glossa haberi possit. Nam illam significationem litteris consignatam fuisse nominatim testatur Appianus Mithr. 22: *σατράπαις ἅπασι καὶ πόλεων ἄρχουσι δι' ἀποῤῥήτων ἔγραφε κτλ.*

denotavit] „Erf. *curavit*; at v. in Catil. I. §. 2: *notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum.*" Ben. De structura cf. Plin. Epist. X, 97, 4. *quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos.*

poenam ... suscepit] Rara locutio pro *subiit, passus est*, cuius alterum exemplum nondum inveni.

annum iam XXIII. regnat] v. Prolegg. p. 13. not. 7.

ut se non Ponti neque Cappadociae latebris occultare velit] „Klotz nahm aus dem Erfurt. *Ponti* auf und bemerkte: „„Die Worte *non Ponto* stehen offenbar zu platt; denn der Pontus war doch an sich kein Schlupfwinkel, dafs man hätte sagen können *se Ponto occultare.*"" Diefs geben wir gerne zu [non item L. de Ian, qui comparavit §. 21. *Pontum, qui antea ... clausus fuisset*, et orat. p. Arch. §. 20. *populus R. aperuit Lucullo imperante Pontum ... ipsa natura regionis vallatum*], fragen aber zuvörderst, wie aus dem leichteren *Ponti* die übrigen Mss. *Ponto* geändert haben sollten. Sodann ist der Ausdruck an sich gewifs nicht auffallend; wenigstens würde ohne das nachfolgende *neque Capp. latebris* nicht leicht Jemand daran Anstofs nehmen, sondern so erklären: Mithr. sei so stark als König, dafs er sich nicht auf den Pontus beschränke, nicht etwa gar in den Schlupfwinkeln Cappadociens sich verstecke, sondern zu neuen Eroberungen hervorbrechen wolle. —

Ich glaube, dafs nach dieser Erklärung, wobei an die dem Cic. so häufige Form des Zeugma gedacht werden kann, Cic. nur *Ponto* schreiben konnte, ja dafs er, wenn er den Genit. hätte setzen wollen, gewifs ein dem nachfolgenden *latebris* entsprechendes Wort beigefügt, und mit seiner rednerischen Fülle etwa *nec Ponti recessibus n. Capp. lat.* oder Aehnliches geschrieben haben würde." SUEPFLE. Quamquam vir doctus lectionem vulg. haud levibus argumentis defendit, fidem tamen habendam putavi codici Erf., cui tot huius orat. emendationes debeamus. Quod enim eius lectio nullo codice eiusdem familiae nisi Pal. IX. confirmata est, eadem incuria factum esse suspicamur, qua lectionem *Ponti* a nullo v. doctorum, qui ante Wunderum Erfurtensem inspexerant, prolatam videmus. Commendatur autem l. *Ponti* cum membrorum concinnitate, tum propterea, quod Pontus, si terrarum situm spectaveris, in recessu etiam interiore positus erat quam Cappadocia. Accedit quod vv. *emergere ex patrio regno* manifesto ad *latebras* referuntur: atqui non Cappadocia, sed Pontus patrium Mithridatis regnum erat, ut orator contra orationis veritatem atque concinnitatem peccaturus fuerit, si Cappadociae latebrarum, non item Ponti mentionem intulisset. Quod denique Suepfle, si *Ponti* scribas, ad genitivum aliquam adiectionem desiderat, quae *Capp. latebris* respondeat, hoc quidem argumentum in ipsum retorquere nostroque iure affirmare possumus, *Ponto et Capp. latebris* in lectione vulg. ita iuncta esse, ut ab oratore membrorum aequabilitatis studiosissimo haec lectio vix profecta esse videatur.

Capp. latebris] Contulit Manutius or. in Rull. II. c. 21: *in Paphlagoniae tenebris atque in Cappadociae solitudine.*

emergere ex patrio regno] „Translatio a sole." SCHOL. „Meliora docet Ruhnk. ad Ter. Andr. III, 3, 30. Cf. Iust. VI, 9, 6. *quibus rebus effectum est, ut ...sordidum et obscurum antea Macedonum nomen emergeret.* Sic igitur emergere etiam Mithr. dicitur, qui e patrio et non ita nobili regno profectus totius Asiae imperium affectavit." BEN. Mihi tamen verbum *emergendi* magis proprie de eo dictum videtur, qui ex obscuro tendit in lucem (v. Ovid. Metam. XV, 186.), ut Mithr. ex patria latente atque horrida (ex sensu saltem oratoris) in Asiae campos apertos et laetiores penetrare tendebat; cf. Liv. 21, 25: (ex silvis) *aegre in apertos campos emersit.* Atque apparet vv. *tenebras, emergere, lucem* omnia inter se arcte referenda esse, quare apte inter alia contulit Steinmetz Minucii Fel. Octavium c. 1. *cum discussa caligine de tenebrarum profundo in lucem sapientiae et veritatis emergerem.* Ceterum cum Erf. depravate habeat *et patrio* (ut §. 2. bis *et* p. *ex*, item §§. 3. 9. 23. *et orsus* p. *exorsus* §. 11. etc.), *ex patrio* pro vulg. *e patrio* scripsi, cum verum videatur quod Osannus in Annotatt. critt. in Quintil. lib. X. Partic. I. p. 18 sqq. (Gissae 1841. 4.) demonstratum ivit, apud scriptores,

qui aetatem Augusti non superarunt, formam e omnino non fuisse in usu. Multa talia codd. meliorum ope emendari possunt.

in vestris vectigalibus] Cf. adnot. ad 2, 4. Lectionem autem aliquot codd. *in nostris v.* merito Benecke ad h. l. damnavit coll. §§. 4. 5. 14.

in Asiae luce] „Servavit metapheram, quia eum emergere dixit quasi solem." Schol. „*in A. luce:* in celebritate et frequentia hominum in ea provincia, qua fit, ut nihil eorum, quae ibi fiunt, ignoretur. Cf. ad Q. Fr. I, 1, 18. Cat. m. 4, 12. Orat. 10, 34." Matth. Locos diversos comparavit Matthiae, atque omnino rectius de illa metaphora Seyffert ad Cic. Lael. p. 189. iudicavit. Is enim „*Lux*," inquit, „von Oertern und Gegenden gesagt ist der *Vordergrund*; z. B. p. leg. Man. §. 8. *in Asiae luce versari* steht entgegen *Capp. latebris se occultare.*" Ut haud dubie illa imagine loca non in recessu posita significantur, ita tamen h. l. simul indicari puto, loca illa splendidiora fuisse, quam ex quibus Mithr. emerserit, cum constet imagine lucis persaepe res splendidas, laetas, hominibus gratas significari. Ait igitur orator Mithridatem patrio regno non contentum in celeberrimis Asiae partibus versari velle, quae eaedem laetissimae et amoenissimae illius terrarum tractus existimandae sunt.

§. 8. *nostri ... imperatores*] Sic Erf. „Quod vulgo editur *vestri*, manifesto aliquid offensionis habuisset, populoque R. Tullius aliquid probri obiicere voluisse visus fuisset, si *vestri imp.* dixisset. Itaque etiam, ubicumque aliquam rem male gestam in seqq. commemorat, id caute orator providit, ut ne quid, se ipso quodammodo excluso, modestiam laesisse existimaretur." Ex Ben. Ubicumque orator de *imperatoribus* Romanis loquitur, nunc ex optimis libris *noster* restitutum est; v. infra §§. 23. 26. 38. 43. 46. 64.

insignia victoriae] „signa et indicia victoriae, ut ad Fam. III, 13: *insignia virtutis multi etiam sine virtute assecuti sunt.* Alii *triumphos* interpretantur, sed *ab illo reportarent* ad triumphos referri posse non videtur. Non enim a Mithridate triumphum reportarunt, sed victoriae signa, quae triumphus postea est consecutus." Man. Hanc explicationem merito recentiores interpretes improbarunt, Hotomanum secuti, qui *triumphos* significari perspexerat. Zeugma enim, in quo offendit Manutius, tale est, quod facillimam excusationem habeat; v. Matth. et Beneck. Maluit autem orator dicere *insignia victoriae* quam *triumphos* propter contrarie posita *insignia victoriae* et *victoriam*, cuius argutiae vis est ea, ut imperatores Ro. in singulis proeliis victorias triumphis dignas reportasse, non bellum confecisse dicantur. Triumpharunt de Mithridate victo, non devicto.

triumphavit L. Murena] v. Prolegg. p. 15.

ita triumpharunt, ut] i. e. triumpharunt quidem, sed tamen ille in

regno manebat. De hoc usu restrictivo particularum *ita — ut* v. Beneck. ad h. l., Hand. Tursell. III. p. 475., adnot. meam ad Sull. p. 102.

verum tamen] i. e. nihilo minus.

laus est tribuenda, quod egerunt etc.] „*Quod* hic est coniunctio causalis. Viris doctis id maxime fraudi videtur fuisse, quod ad vv. transitiva *agere* et *relinquere* obiectum aliquod desiderabant, prorsus immemores, verba transitiva nonnumquam sic absolute usurpari, si actio sola, non res, ad quam dirigatur, spectetur. Sic h. l. accipiendum est *quod egerunt* pro quod non otiosi, sed strenui in bello Mithridatico gerendo fuerunt. Verbo autem *agere* absolute usus concinnitatis gratia orator pari ratione verbum *relinquere* usurpavit." Ex BEN. Cf. Seyff. Pal. Cicer. p. 225.

Sullam in Italiam res publ.] oppressa a Mario et Cinna et Carbone a. 84. a. Chr. — *Murenam Sulla*, a. 82., ut videtur. Cf. Prolegg. p. 15. not. 17 sq.

CAPUT IV.

§. 9. *Omne reliquum tempus*] post Murenae discessum. MAN.

non ad oblivionem veteris belli] „Non modo a duobus imperatoribus victum se esse oblitus non est, sed etiam de victoria cogitans totum se ad novum bellum contulit." MAN. Contra Bloch explicuit: ad reparanda, quae in eo passus est, damna. Nec res melius cessit Moebio, qui vv. sic interpretatus est: „*M. hat die ganze seitdem verflossene Zeit nicht in einer sorglosen Vergessenheit des vorigen Krieges angewandt.*" Equidem censeo Tullium dixisse: M. omne reliquum tempus non eo contulit, ut pace cum Romanis servata vetus bellum oblivione obrueretur (sive oblivio eius fieret, *um den alten Krieg in Vergessenheit zu bringen*), in quo quamquam Mithr. victus erat, tamen non eas crudelissimae civium Ro. caedis poenas dederat, quas imperii Ro. dignitas postulaverat.

postea quam ... aedificasset] „Notandus est coniunctivus post part. *postquam*, cuius alterum mihi exemplum non suppetit, nec quemadmodum explicari apte possit, video. Nihil enim moror neque quorundam grammaticorum veterum somnia, qui particulam *post quam* disiunctam coniunctivum, iunctam indicativum asciscere docent, neque tales locos, qualis est p. Cluent. §. 181. *Oppianicus primo recusavit: posteaquam illa ... minaretur, mulieri servum ... ad supplicium dedit*, ubi tota orationis forma extra omnem controversiam ponit corrigendum esse *postea cum*; cf. de Nat. D. II, 35, 90. Liv. 29, 22, 8. etc. His iam exemplis allatis vix ullum dubitandi locum relinqui arbitror, quin hic quoque scribendum sit: *postea quam quam maximas*, aut partic. *quam* plane omissa *postea sum* [quod recepit Madvig. in edit. II.]. Particula

postea ad comparationem novi belli referenda est: primum enim Mithr. omne reliquum tempus ad comparationem novi belli contulit, postea autem cum maximas classes ornasset etc., legatos in Hispaniam misit.' Ex Ben. Poterat Benecke ad sententiam suam confirmandam praeterea afferre Cic. de Legg. II, 25, 64. *posteaquam ... sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt*, ubi Manutius nullo contradicente *postea quum* correxit, quam eandem emendationem etiam in ep. ad Fam. II, 19, 1. adhibuit, probatam illam ab editoribus recentissimis: idemque mendum Victorius in ep. ad Att. XI, 12, 1. recte videtur sustulisse. Nec firmatur lectio librorum in orat. Pompeiana loco in ep. ad Att. I, 13, 4., quem Weifsenborn in Gramm. L. L. §. 443. not. 1. comparavit, in quo coniunctivi causa post *posteaquam* in orat. obliqua quaerenda est, aut alio loco, quem idem excitavit, Livii IV, 13, 5., quem corruptum esse et Alschefski et M. Haupt in Mus. Rhen. IV. p. 150. (a. 1845.) recte iudicaverunt. Etiam in Tac. Ann. XII, 54. scriptura incerta videtur, cum ante vv. *postquam cognita caede eius haud obtemperatum esset, manebat metus* etc. quaedam intercidisse manifestum sit. In corrupto denique loco orat. p. Deiot. 13, 36. Madvig. recte ex emendatione Lambini scripsit: *posteaquam a L. Scipione devictus est.* Nihilo minus tamen eorum accedo sententiae, qui lectionem *posteaquam aedificasset* tentandam esse pernegarunt, ex quibus nominasse sufficiet Klotz. in Iahn. Ann. a. 1834. Vol. I. p. 423. Weifsenb. in isdem Vol. XXXV. p. 388., Reisigium in Schol. L. L. p. 535., qui his verbis de loco, quo de agitur, disputavit: „Da bei *quum* in der ursächlichen Bedeutung der Sprachgebrauch für den Coniunctiv sich festgesetzt hatte, so ging er auch auf andere Partikeln über, welche an sich gar nicht diese Bedeutung führen, aber im Zusammenhange ein solches Verhältnifs geben, dafs eine Ursache zum Grunde gelegt wird oder der Begriff von *quamvis*. So steht bei *posteaquam*, indem eine historische Sache erzählt wird, der Coniunctiv bei Cic. p. l. M. §. 9., weil die Construction von *quum* vorschwebte." Vertas igitur *posteaquam aedif.*, „*nachdem er doch erbaut hatte* etc." Propterea autem Cic. coniunctivum singularem usurpasse videtur, ut statum rerum, in quo Mithridates legatos miserat, audientium animis vividius subiiceret, cum quasi diceret: misit legatos ad duces imperio Ro. infestos, idque ita eum fecisse cogitatote, posteaquam aedificasset etc. Qui autem coniunctivum post *posteaquam* ferendum esse negarunt, semper miratus sum, quod non item in coniunctivo *quibuscunque ex gentibus potuisset* offenderunt, qui mihi in eadem causa esse videtur, in qua alter ille in dubium vocatus. Ut enim statuas Tullium scripsisse *postea cum aedificasset*, non continuo conficitur etiam *potuisset* ei scribendum fuisse, nisi alia causa accederet, quae extra particulam *cum* posita coniunctivum afferret. Verum ita Tullium scripsisse, ut Benecke coniectavit,

iam propterea non adducor, quod, si *cum* ponas, particula *postea*, quidquid eam Benecke excusare studuit, quasi ipse de eius necessitate dubitans, mihi quidem ex tota sententiae conformatione prorsus supervacanea videtur.

ornassetque] pro *instruere*, ut *ornare provincias, prandium* etc. MAN.

Bosporanis] non Thracii Bospori accolas cum Hotomano intelligi debere, sed Bospori Cimmerii, docet ad h. l. Cellarius. HEUM. Repetiit tamen Reuterus Hotomani errorem. Cf. nunc Ukerti Geogr. vet. III, 2. p. 49 sq.

simularet] „Vere tamen iis bellum intulit: sed *simulasset* dixit, quia Mithridates nihil se praeter Bosporanum bellum cogitare simulasset, cum tamen ad Sertorium in Hispaniam legatos mitteret." MAN. Lectionem *simulasset* ex plusquamperfectis antecedentibus a librario quodam fictam esse recte animadvertit Weiske. Quod enim Matthiae lectionem *simularet* propterea reiecit, quia quo tempore legatos ad Sertorium Mithr. misisset, bellum cum Bosporanis iam finitum fuisset, merito Benecke iudicavit hoc argumentum speciosius quam verius esse. Ciceronem enim nec bellum cum Bosporanis a Mithridate revera gestum esse dicere, et multo minus huius belli finem respicere, sed in universum indicare, quid potissimum rex copiis maximis comparatis spectaverit, nulla ratione habita, bellum illud iam fuerit finitum necne. Propterea autem orator imperfecto *simularet* usus est, quod indicare voluit, omni illo tempore, quo M. exercitus permagnos comparavit, eum Bosporanis bellum inferre simulasse. Quare vertas: *und da er dabei sich fortwährend den Schein gab* etc. Ceterum si Appiano fidem habemus (v. Prolegg. p. 15.), orator in tota hac re narranda magis causae quam rei veritati serviisse putandus est. Primum enim apparatus illi Bosporani non iidem erant, quibus tertium bellum cum Romanis gessit, sed iam ante arma a Murena illata facti erant, iisque Mithridates et bellum cum Murena gessit et Bosporanos Murena revocato subegit. Deinde Mithridates utroque demum bello confecto legatos ad Sertorium misit, nec sua sponte, sed ab emissariis factionis Sertorianae ad foedus ineundum invitatus. Denique tum demum, cum foedere inito instigatus a legatis Sertorii bellum cum Romanis redintegrare constituisset, magnos illos apparatus, quibuscunque ex gentibus poterat, comparavit; v. Prolegg. p. 16.

usque in Hispaniam] „Sic de hac ipsa legatione Mithridatica in Verr. I, 34, 87: *hoc illi navigio ad omnes populi R. hostes usque a Dianio ad Sinopen navigaverunt.*" EX BEN. Cf. Muetzell. ad Curt. III, 32, 18. p. 150.

legatos ac litteras] v. Prolegg. p. 16. In libris deterioribus pro *ac litteras* legitur *electanis*, unde factum est in edit. Nauger. *Ecbatanis*, quam lectionem Ferratius (post Fr. Modium, Hier. Arlotum, D. Lam-

binum) in Epist. V, 7. ita refutavit, ut nihil possit supra. Res enim, inquit, magis ex eo amplificatur, quod Mithr. non solum legatos ad Sertorium miserit, sed ipse etiam ad eum scripserit, quo magis ad bellum cum Romanis gerendum inflammaret. Cf. impr. Plut. Sertor. c. 23. *πέμπει δὴ πρέσβεις ὁ Μιθριδάτης εἰς Ἰβηρίαν γράμματα Σερτωρίῳ καὶ λόγους κομίζοντας.* Ut autem hic *legati ac litterae* simul nominantur, sic in or. Phil. XIV, 6. et ad Fam. XV, 2, 1. *nuntii et litterae* (quos locos Ferratius comparavit); in or. p. Deiot. §. 11. et in Tac. Ann. XII, 19. *legati litteraeque*; in ep. denique ad Fam. XIII, 10. *litterae et mandata*, ut appareat Ellendtium ad Cic. de Orat. Vol. II. p. 60. recte negasse, *legatos* et *litteras* per figuram, quam vocant *ἓν διὰ δυοῖν*, coniuncta esse. Quomodo autem interpolationes, quae libros deteriores invaserunt, exortae sint, Garatoni probabiliter sic explicat: „*Ecbatanis* est a Naugerio. Ortum videtur e mendo utriusque Venetae *legatos electanis*. In cod. Barb. manu antiqua notatur: alii *eletanis* vel *Lusitanis*; ipse autem cod. habet *legatos electos*. Hinc suspicor scriptum fuisse *et lictas*, i. e. *et licteras*, ut barbaro aevo fiebat; unde tot monstra profluxerint." In Pal. IX. per compendium scriptum est: *ac tras* cum linea. Tamen Beneckeo, quod verba tam expedita *ac litteras* haud facile ita depravari potuerint, aliud quid in mendo *electanis* latere videtur; at neque quod ipsi in mentem venit *ex Albanis*, ut iam amicus quidam Ursini coniectaverat, ulla probabilitatis specie commendatur, neque sufficit argumentum illud, ut lectionis mendosae librorum deteriorum ulla ratio habeatur.

ad eos duces etc.] „Sertorius civis quidem fuerat Romanus, sed proscriptus a Sulla fugit in Hispaniam, et ibi coepit civile bellum perficere: multo tempore pugnavit, et multos interemit Romanos iste eo tempore, quo Mithridates misit ad Sertorium, dicens illi: *Tu adgredere parte ex ista Romanos, et ego ex ista* [*ex Asia*?], *ut sint undique circumvallati.*" Schol. Petivitne haec verba scholiastes ex Sallustii historiis?

duobus in locis] ex Hispania et Ponto. Schol.

maximeque diversis] *Diversus* proprie dicitur de locis ad diversam coeli regionem spectantibus, ut infra §. 46. *ex locis tam longinquis tamque diversis*; in Verr. IV, 52, 117. *qui* (portus) *cum diversos inter se aditus habeant, in exitu coniunguntur et confluunt.* Liv. 21, 30. *terras eae, quae duo diversa maria amplectantur*, i. e. alterum ad meridiem, alterum ad occidentem spectans, sive Oceanus et mare medium; Tac. Ann. I, 17. *ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras*; ibid. II, 60. III, 59. IV, 46. etc.

a binis hostium copiis] Cic. p. Mur. 15, 32: *qui rex, sibi aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes et copias belli, tantum spe conatu-*

que invaluit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum suis coniuncturum putaret.

ancipiti] quoniam utrimque bellum inferebatur, ab Asia et Hispania. HOT.

districti] „Cod. Barber. *distracti*, sed ascribitur: alĩ *districti*, quod post Gruterum omnes amplexi sunt, atque iis firmatur, quae adfert Oudend. ad Front. Strateg. I, 3, 5." GAR. Post ea quae Oudendorpius l. c. collegit, reliquorum adnotationibus (v. Beneck.) in optimorum librorum consensu facile carere possumus.

de imperio dimicarctis] i. e. non de aliqua imperii parte, sed omnino in imperii totius certamen ac discrimen deveniretis. HOTOM. Brevius nec minus recte Sylvius: vosne an Mithridates et Sertorius imperarent. Cf. etiam Fr. Schneider. in Iahn. Ann. Vol. 44. p. 442.

§. 10. *Sertorianae atque Hispaniensis*] „Quis non videt hoc glossema esse? cum loquatur Cic. de rebus notissimis." MAN. Ne quis Beckio aut Orellio (l.) fidem habeat, quasi Heumannus Manutium refellerit, ipsa eius verba ascribo: „Tria haec vv. tamquam glossema eiecta vult Manutius: cui ob allatam ab ipso rationem suffragor." At non omnia, quae salva sententia abesse possunt, continuo pro glossematis, imprimis in orationibus, habenda sunt, modo ne plane otiosa aut molesta videantur: id quod propterea de his verbis dictum nolim, quod aptissime nomen Sertorii reformidatum eo loco infertur, quo orator id agit, ut singularem Pompeii in illius partis periculo depellendo virtutem in clarissimo lumine collocet.

quae multo plus firmamenti ac roboris habebat] „Vel ita sentit, vel Pompeio gratificatur, praesertim in comparatione Luculli." MAN. „At vero utrumque ineptum est; nam istis verbis et magnitudo belli Mithridatici manifesto deminuitur, id quod ab sententia Tullii prorsus alienum est, et Pompeius in comparatione Luculli non sine magna offensione nimium extollitur. Nihil praeterea eiectis istis verbis neque ad rem neque ad orationis concinnitatem desiderabimus." BEN. Immerito vir doctus verba sanissima impugnavit. Quod enim iis ait inepte magnitudinem belli Mithrid. imminui, minus caute dictum est. Non agitur enim hic de initiis belli Mithr. tertii, sed de bello a Mithridate post Luculli calamitatem denuo instaurato. Nam etiamsi bellum, quod Lucullus gesserat, non ita magnum fuisset, tamen illud, quod iam redintegratis hostium viribus gerendum erat, maximum esse poterat. Propterea autem illa vv. aptissima sunt, quod ipsum illud gravius bellum idem dux, quem lex Manilia novo bello praeficiebat, feliciter composuisse dicitur. Qua in re ne de Luculli quidem laudibus quidquam detrahitur. Neque enim dicitur virtus Pompeii maior fuisse quam Luculli, sed in eo loco a Fortuna constituta esse, in quo clarius

exsplendescere posset. Ac si verum spectare velis, vix negare possis, bellum Sertorianum plus periculi quam Mithridaticum habuisse: illud quidem non prius confectum est, quam dux hostium proditione necatus esset: hoc quod post clarissimas Luculli victorias nondum sublatum erat, non imperatoris, sed fortunae culpa accidisse orator ipse testatur.

Cn. Pompeii ... virtute] v. Prolegg. p. 7. not. 23.

initia illa rerum gestarum] v. Prolegg. p. 16 sqq.

non felicitati eius, sed virtuti] Ubi vicit, vicit ut fortis: ubi perdidit, perdidit ut infelix. Schol.

haec autem extrema] v. Prolegg. p. 18.

non culpae, sed fortunae] Non enim adfuit Lucullus, cum accepta calamitas est, et excusatur infra c. 9, 26. Man.

oratione nostra] „Klotzius scripsit *actione mea*. Sed *actione* in mea edit. maiore non est nisi permirus error typogr., et praestat *nostra*, cum Erf. [et Pal. IX.] ex mox sqq. *exorsus orationis meae* hic quoque *mea* arripuerit. Consulto pronomina variavit Cicero." Orelli in Praef. ad edit. min. pag. VIII.

neque falsa afficta] Comparavit Lenicerus Eurip. Iph. Aul. v. 986. *αἰνούμενοι γὰρ ἀγαθοὶ τρόπον τινὰ μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἢν αἰνῶσ' ἄγαν.*

§. 11. *de vestri imperi dignitate*] „Sic recte Col. et Verd.; pendent enim haec adhuc ab illis: *sed de Lucullo* etc." Graut. De usu praepositionis *de* pro *quod attinet*, in qua ponenda Cic. h. l. etiam contraria vv. *sed de Lucullo* spectavit, v. Seyfferti Pal. Cicer. p. 13 sq. et impr. Dietrich. in Zeitschr. f. Alterth.-Wiss. 1845. Suppl.-Heft I. p. 37.

quoniam is est exorsus or. m.] i. e. prima pars, de qua agere institui. „Bene in animum auditoris revocatur res primum proposita, ne quis cogitatione rerum adhuc cogitatarum aberret." Weiske.

videte, quem vobis animum suscipiendum putetis] Sic iam C. Gracchus ap. Gellium XV, 12: *Cum a servis eorum tam caste me habuerim, inde poteritis considerare, quo modo me putetis cum liberis vestris vixisse.* Eadem sermonis forma orator infra usus est 9, 26. 10, 27. 13, 38. 16, 46. v. Zumpt. Gramm. §. 750. Similia apud Graecos quoque oratores inveniuntur, ut in Dem. or. de male gesta legat. §. 148. *ἔτι τοίνυν κἀκεῖνο σκέψασθε, ὦ ἄ. Ἀ., πότερ' οἴεσθε πλέον Φωκίας Θηβαίων ἢ Φίλιππον ὑμῶν κρατεῖν τῷ πολέμῳ.* Sed cave in hac orationis forma merum pleonasmum quaeras; tum enim potissimum locum habebat, cum in oratione pendente modus potentialis Graecorum exprimendus erat. Sic vertas locum Gracchi supra ascriptum: *daraus werdet ihr abnehmen können, wie ich mich wohl gegen euere Kinder mag betragen haben.* Cf. etiam Seyff. ad Cic. Lael. p. 76.

CAPUT V.

§. 11. *Maiores nostri*] Exemplum a minore ad maius. SCHOL. „Cohortatio per comparationem, ut ex eodem fonte sumitur accusatio, quo de genere diximus ad Verr. V. c. 82. Cf. etiam de leg. agr. II. c. 7." MAN. „Edd. pr. et mss. plerique *nostri*. Aldus edidit *vestri*, quod melius est. Nam et mox est *patres vestri*, non *nostri*, et ante *imperii vestri*." ERN. „Codd. Gulielmianis, Pall. aliquot, Franc. I. et II., qui *nostri* habent, accedunt binae Venetae, cod. Barb. et meus et Anonymus. Sed rectius hic poni *vestri* Ern. optime intellexit: indicat anaphora *vos*. Xenophontis locum egregium H. Gr. VI, 5, 38. [§. 45 sqq.] comparavit cum hoc Tulliano Martinus V. L. I, 2." GARAT. 1. et 2. „At enim auctoritas codd., ut *nostri* legatur, efflagitat, nec sententia loci refragatur; immo etiam pron. *vestri* admisso nimia foret oppositio [?], nec multum ab offensione Tullius afuisset, si ita dixisset. Plane geminus est locus 6, 14: *si propter socios ... maiores nostri cum Antiocho ... bella gesserunt, quanto vos studio convenit* etc. Pari ratione locutus est 20, 60. *maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse*, etsi paulo post, ut nostro loco, adiungit: *non commemorabo nuper ita vobis patribusque vestris esse visum* etc. Sic 13, 39. *hiemis enim, non avaritiae perfugium maiores nostri in sociorum tectis esse voluerunt*. Nec 18, 55. dubitabimus rescribere: *cum eum nobis maiores nostri exuviis nauticis ... ornatum reliquissent*. At contra se recte habet 2, 6: *pro qua* (salute sociorum) *multa maiores vestri ... bella gesserunt*, cum neque metuenda esset ulla offensio, et praeterea in vivida illa populi R. adlocutione Tullius rem magis urgeat, tota denique oratio sit ita comparata, ut pron. *nostri* vix ferri posse videatur." Ex BEN. Subdifficilis est h. l. diiudicatio, utrum scripserit Cicero *nostri* an *vestri maiores*. Malis enim cum Madvigio *vestri* praeferre, quamquam pro altera lectione stat codd. auctoritas. Primum enim *vestri* fortius h. l. videtur, quod orator populum cohortatur, ut maiorum suorum auctoritatem exemplumque sequatur. Deinde non tantum per totam §. inde a vv. *de vestri imperi dignitate* pronomen secundae personae dominatur, sed *vestri* etiam ipsis artis oratoriae legibus flagitari videtur. Cohortatio enim per comparationem ita instituta est, ut in priore comparationis parte *maiores* et *vos*, in altera *illi* et *vos* ex adverso ponantur. Quodsi in priore parte primum *maiores nostri*, deinde *patres vestri*, quod in omnibus libris est, nominantur, concinnitatem orationis haud leviter violari existimaveris. Quod tamen nihilominus *m. vestri* recipere dubitavi, propterea factum est, quod talis est locus, ut oratorem ita scribere debuisse pro certo non possis affirmare: quamobrem consultius duxi lectionem meliorum librorum fide testatam

non aspernari. Eo accedit, quod in hac oratione multis locis, ubi in libris deterioribus *vester* invenitur, Erfurtensis *noster* ita habet, ut eius auctoritas semper uno alterove libro optimo confirmetur.

aut navicularii nostris] Ita, non *ac navic.* scribendum esse Benecke argumentis firmis demonstravit. De sententia iam apte Manutius contulit or. Verr. V. §. 149: *Quot bella arbitramini maiores nostros et quanta suscepisse, quod cives R. iniuria affecti, quod navicularii retenti, quod mercatores spoliati dicerentur.* Denique pron. *nostris* ex Erf. et Pal. IX. (qui tamen habet *vestris*), cum in cett. codd. pronomen desit, iam propterea recepi, quod ex eius compendio male intellecto mendum librorum deteriorum *naviculatoribus*, quae vox nullius est auctoritatis, ortum videtur. Aliter rem explicuit Heumannus, existimans librarium, quum praecessisset *mercatoribus*, per oscitantiam etiam *naviculatoribus* scripsisse.

iniuriosius tractatis] leviter offensis; nam *iniuriosius* minus est quam *iniuriose.* Man.

tot milibus civium R.] de numero v. Prolegg. p. 14. not. 14.

legati quod erant appellati superbius] „Sordes in eos de tectis iniectas ait Strabo VIII, 6, 23. p. 381. A.; pulsatos Liv. Epit. 51. et Pseudo-Asc. in Verr. I. c. 21. Cicero neutrum dicit, sed *appellati superbius*, ut oratorie rem minuat, quo magis populus R. in Mithridatem incendatur, qui legatum consularem omni supplicio excruciatum necaverat. Legatorum autem ut tribunorum pl. sacrosancta corpora putabantur." Man. „Polyb. Exc. de Legatt. 144. lib. 38, 4, 4: ὧν οἱ μὲν πολλοὶ διανοούμενοι οὐδαμῶς ἀνείχοντο· χλευάζοντες δὲ τοὺς πρέσβεις μετὰ θορύβου καὶ κραυγῆς ἐξέβαλλον." Hoc scil. obtentui sumebatur; vera causa opportunitas erat loci, ne quando locus ipse ad bellum faciendum exhortari posset; cf. Cic. in Rull. II, 32, 87. de Off. I, 11, 35." Orelli. Obloquutus est Benecke ei quod Manutius monuit, Tullium rem oratorie minuisse, quod illum non potuisse putat, quoniam, si re vera legati male tractati essent, nemini Romano res non fuisset cognita. Quare statuit malam illam legatorum tractationem dubiis tantum rumoribus nixam fuisse, quos orator sequi non debuerit, coll. Flor. II, 16, 2. *Critolaus causa belli: qui libertate a Romanis data adversus ipsos usus est, legatosque Ro., dubium an et manu, certe oratione violavit*, et Trogo Pomp. 34, 1, 8. *velut in furorem versi universum peregrinum populum trucidant: legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi audito tumultu trepidi fugissent.* At haec quidem testimonia, quorum alterum de solo Critolao est (v. Polyb. Exc. lib. 38, 3, 5.), non tanta sunt, ut reliqua posthaberi possint; add. locis iam allatis Vell. Pat. I, 12. Liv. Epit. 52. et Schol. ad h. l., qui haec tradidit: „*Populus R. Graecis subactis permisit uti suis legibus. Mos fuerat apud omnes Graeciae civitates Corinthi habere concentum. Populus R. veritus, ne communi con-*

silio [*concilio?*] *novitatis consilium caperetur, misit legatos imperans, ut singulae civitates apud se contionandi haberent consuetudinem, nec liceat coadunari in unum totius Graeciae multitudinem. Exarsit iracundia turba Graecorum, adeo ut legati de contione lapidibus pulsi apud hospites latérent et noctu fugerent Romam. Iratus populus R. Corinthum delevit.* His testimoniis cum satis constet ius legationis Corinthi non tantum verbo violatum esse, illud quoque conficitur, Tullium, ut causae suae serviret, rem elevasse; id quod ne tum quidem mirarer, si verba non ad populum, sed ad iudices fecisset. Nam si oratores veritatem rerum numquam violare ausi essent, non hodie quoque tot res temporibus Philippi Macedonici gestae altissimis tenebris obrutae iacerent.

totius Graeciae lumen] Respicere videtur ad versum veteris poetae, qui servatus est in Diod. Exc. Vat. p. 107. Dind.: *Κόρινθος ἄστρον οὐκ ἄσημον Ἑλλάδος*. De translatione autem ipsa v. Seyff. ad Lael. p. 188 sq. et impr. Klotz. in Iahn. Ann. N. Vol. XL. p. 37., qui egregie contra Doederlinum (Syn. II. p. 66 sqq.) disputavit.

exstinctum esse voluerunt] „Libri vett. *exstinctam*, ut ad Corinthum referatur. [Haec lectio tantum ex cod. Parcensi et duobus Monacc. prolata est.] Nihil muto tamen; potest enim ad v. *lumen* respondere, quod usurpavit alludens, opinor, ad Leptinis dictum, qui *Corinthum alterum Graeciae oculum, Athenas alterum* appellabat." Hotom. „Debebat dici *exstinctam*, quamvis ὁ et ἡ *Κόρινθος* dixerint Graeci; v. Schweigh. ad Polyb. IV, 67. p. 113. Sed ad propius *lumen* retulit. Off. I, 23, 80. *bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur.* Brut. 57, 262. *omni ornatu orationis tamquam veste detracta.* Vid. I. M. Heusingeri Spicil. emend. et observ. in Corn. Nep. v. Them. 7, 5." Matth. Praedicatum non propterea ad appositum relatum est, quod hoc propius est (ut est utique p. Balbo §. 34. *cum duo fulmina nostri imperii ... Cn. et P. Scipiones exstincti occidissent*), sed quod verbo *exstinguendi*, ut iam Hotom. recte iudicavit, translatio appositi continuatur. (Contrarium tamen exemplum attulit Haase ad Rels. Schol. p. 319. ex or. Verr. I, 58, 153.) Ob eandem causam orator imagine *lucis* (ut in or. Catil. IV, 6, 11. Romam *lucem orbis terrarum* dixit) h. l. ne potuit quidem uti; nam non *lux*, sed *lumen exstinguitur*.

legatum populi R. consularem] „Liv. Epit. 78. *legatum* sine praenomine *Aquilium* nominat [excidit fortasse *M'.* in Epit. post *item*]: et in vincula coniectum scribit. Cum autem *consularem* Tullius appellet, non video, quem alium intelligamus nisi M'. Aquilium, C. Marii sextum [immo quintum a. Chr. n. 101.] consulis collegam, qui servile bellum in Sicilia confecit, et cuius tunicam [cum a. 98. repetundarum a L. Fufio accusatus esset] Antonius orator diloricavit; Cic. de Orat. II. c. 28." Hotom. Error, quem Ernesti de hoc Aquilio disputans commisit, a Bechio et Beneck. ad h. l. refutatus est. Ceterum v. Prolegg. p. 18. not. 12.

omni supplicio] ut in Lael. §. 43. *talis improborum consensus ... supplicio omni vindicandus est*: ubi v. Seyff. p. 289 sq.

illi libertatem etc.] scil. naviculariorum. Schol. Hoc totum incisum usque ad vv. *interfectum relinquetis* Blochius ut otiosam rhetoris cuiusdam amplificationem inducere voluerat, quem bene refutavit G. Iacob in Iahn. Ann. (1830.) Vol. XII. p. 97 sq. Cf. impr. Cic. Orat. §. 137. *Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verset saepe multis modis eadem, ut in una re haereat et in eadem commoretur sententia*: quae *expolitio* sive *commoratio* ab artis scriptoribus dicebatur; v. Auct. ad Herenn. IV, 42, 54. 45, 58.

negligetis] „Ne quis in scriptura Erf. *negligitis* plus agnoviss quam mendum librarii, vel adeo subtilitatem quandam sibi invenisse existimet, et aequalis sententiarum tenor vetat, et exempla similia, ut p. Arch. 8, 17. 9, 19. etc." Ex Ben. Tamen Klotzius *negligitis* spernere noluit; at bene L. de Ian monuit hoc iam propterea merum scribendi mendum videri, quod in Erf. praeter reliquam eius consuetudinem *negligitis*, non *neglegitis* scriptum sit, ut alterum vitium alterum traxisse videatur. Miro casu accidit, ut idem vitium cod. Tegerns. in or. p. Sull. §. 71. et p. Caec. §. 55. habeat, ubi bis *intelligitis* pro *intelligetis* scriptum est, quamquam alias idem codex formam *intellegere* servare solet. Cf. Iordan. ad or. p. Caec. p. 216.

ius legationis] „De legatorum corporibus, quae sancta dicebantur, v. praeter ea, quae scripsimus ad Verr. I, 33, 85., Marcianus in Dig. I. Tit. 8, 8, 1. *sunt sagmina quaedam herbae, quas legati populi R. ferre solent, ne quis eos violaret, sicut legati Graecorum ferunt ea, quae vocantur κηρυκεῖα.*" Hot.

persecuti sunt] Sic et Terent. Adelph. II, 1, 9: *ego meum ius persequar*, i. e. tuebor et conservabo, neque alia re id violari patiar. Vides, lector, Lambinum [qui maluerat: *bello persecuti sunt*] non debuisse de loci sanitate dubitare. Heum.

relinquetis] i. e. inultum patiemini, ut in Verr. I, 33, 84. Interpolationem aliquot veterum editt., in quibus *inultum* ante *relinquetis* additum est, Ernesti satis refutavit. Cf. Beneck. ad h. l. p. 116 sq. et Iordan. ad or. p. Caec. §. 9. p. 158.

§. 12. *videte ne*] „Proponit infamiam, ut in Rull. II. c. 31: *ut vos nunc de vestris maioribus praedicatis: hunc agrum nobis maiores nostri reliquerunt: sic vestri posteri de vobis praedicabunt: hunc agrum patres nostri acceptum a patribus suis perdiderunt.*" Man.

gloriam tradere] Sic Erf. Pal. IX. codd. Lamb.; — reliqui: *gl. relinquere*. „*Tradere* vel propterea praefero, quod modo *relinquetis* praecessit." Wund. Cf. etiam Beneck.

quo tandem animo ferre debetis?] Non legitur hoc colon nisi in Erf. et Pal. IX. Benecke apte contulit or. Catil. I, 16: *Quid, quod adventu*

tuo ista subsellia vacuefacta sunt ..., quo tandem animo hoc tibi ferendum putas?: sed minus recte post *vocatur* (*quid, quod — vocatur?*) signum interrogationis posuit, quod foret: „quid de eo dicam, quod — vocatur?" At habemus h. l. formulam transeundi, cuius haec est sententia: Sed ut aliud afferam, quo tandem animo id, quod — vocatur, ferre debemus?

Ariobarzanes rex] „pater eius, quem Pompeius postea restituit [immo hunc ipsum restituit, isque restitutus filio regno cessit; v. testimonia apud Clinton. Fast. Hell. III. p. 437.], atque hunc per insidias necatum Cic. videtur indicare, cum ait ad Senatum (ep. ad Fam. XV, 2, 6.): *amicosque patris eius atque avi iudicio probatos hortatus sum, regis sui vitam docti casu acerbissimo patris eius omni cura custodiaque defenderent.*" Man.

socius p. R. atque amicus] „In argenteo Ariobarzanis numismate inscriptum est: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ.* quae quidem inscriptio Ciceronis locum mirifice illustrat." Ursinus. Idem habes in ep. ad Fam. XV, 2, 4: *cum enim vestra auctoritas intercessisset, ut ego Ariobarzanem* (i. e. secundum) *Eusebem et Philorhomaeum tuerer.* Cf. Spanhem. de praest. et usu numism. Dissert. V. p. 439 sqq. ed. II. (Amstelod. 1671. 4.). De appellatione ipsa et donis quae senatus regibus a se appellatis mittebat, v. Hotom. ad h. l. et Brisson. de formulis II, 130.

civitates autem omnes cuncta Asia atque Graecia] „*Cuncta Asia* pro *in cuncta A.*, ut supra §. 7. *tota Asia*, accipiunt Heumannus et Weisk. At non idem est *in tota Asia* et *in cuncta Asia*. Nam *cuncti significat quidem omnes, sed coniunctos et congregatos*, ait Festus. Cf. Serv. ad Virg. Aen. I, 522. Itaque *cuncta Aegyptus* dici quidem potuit de leg. agr. II, 16, 41.; an *in cuncta Aegypto*, dubito." Matth. Idcirco Matthiae post *omnes* commatis signum posuit, multosque nactus est, qui sententiam eius comprobarent, etiam Handium in Turcell. III. p. 249. At non video, qua ratione comprobari possit, ut quod in nominativo locum habere potuit, non item potuerit in ablativo. Neque moveor praepositionis omissione, quae quod sola analogia, non aliis exemplis comprobata est, ideo mirum videri non potest, quod *cunctus* omnino terrarum nominibus rarissime adiunctum invenitur. Quid, quod Sallustius etiam dixit in Iug. 79, 2. *Carthaginienses pleraque Africa imperitabant*, ubi v. Dietsch. Sustuli igitur virgulam a Matthiaeo invectam, ut item Madvig, Klotz, Orelli (in Praef. ed. min. p. VIII.) fecerunt; quominus enim *cuncta Asia* pro nominativo accipiatur, cum totius loci ratio, tum verborum collocatio videtur prohibere, quae quidem in repetitione oratoria hanc potius formam requirebat: *omnes autem civitates, cuncta Asia* etc.

alium miseritis] quam quem ipsi speraverant, scil. M'. Acilium Glabrionem, qui a. 67. a. Chr. consul fuerat.

neque audent] „metu maiestatis vestrae, qui alium miseritis, non Glabrionis; nam hoc indicatur per sequens: *neque se id facere sine summo periculo posse arbitrantur.*" Bloch. Poterant certum imperatorem deposcentes etiam L. Lucullum offendere, qui etiamtum cum exercitu atque imperio in Asia erat. Cf. Prolegg. p. 19. not. 41.

§. 13. *quod vos*] callide: ne, quod alii vident et sentiunt, populus R. ignorare videatur. Man. Ante Gruterum contra codd. legebatur *quod et vos*; v. Beneck.

unum virum esse] Pompeii laudem cum quadam aliorum contumelia coniungit. Man.

in quo summa sint omnia] scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas. Man. Idem praedicatur infra §§. 36. 51.

et eum propter esse] „Et hic et infra 6, 16. Erf. pro *prope* habet *propter*. Lectio vulg. apertissime glossa est. Etenim iam veteribus grammaticis singularem visum esse usum praepositionis *propter*, loci habentis significationem, intelligimus ex Arusiano Messo p. 392. [p. 255. Lindem.], qui haec adnotavit: *Propter te, i. e. iuxta te. Cic. in Pis.* (c. 3.): *Nihil hic vir clarissimus, qui propter te sedet, L. Gellius. Virg. Georg. III*, 13. *Et viridi in campo templum de marmore ponam propter aquam.* Atque in ipso illo Pison. loco *iuxta* glossa pro genuina scriptura *propter* in Erf. exstat. Magis autem offendit in hac orat. adverbii loco usurpatum, unde *prope* explicationis causa superscriptum et a librariis receptum est." Wunder. Cf. Drakenb. ad Liv. Epit. l. 49. Steinm. et Beneck. ad h. l., qui haec exempla Tulliana collegerunt, in quibus *propter* idem est quod *iuxta*, sive praepositionis, sive adverbii vicem obtinens: de Senect. 14, 48. de Rep. II, 11. p. Rosc. Am. §. 64. de Inv. II, 4, 14. de Nat. D. II, 47, 120. in Verr. IV. §. 107. De re autem v. infra 17, 50.

quo etiam carent aegrius] Minus enim quod speratur, id minus etiam expetitur. Minus autem speratur, quod longe distat, quam quod prope est: et contra. Man.

adventu ipso ac nomine] Sic infra §. 45: *qui ipso nomine ac rumore* (socios) *defenderit.*

ad maritimum b.] h. e. contra piratas pugnaturus. Schol.

impetus hostium repressos] Sive hoc ita esset sive secus, oratorie ad Pompeii laudem refert: ut in servili quoque bello, quod cum M. Crassus absente Pompeio confecisset, exspectatione tamen Pompeii attenuatum atque imminutum, adventu sublatum ac sepultum c. 11. dicit. Man. Eandem laudem infra 15, 45. Pompeio tribuit.

libere loqui] metu proconsulis Acilii. Man.

est. prov. socios] quibus opem iussu vestro Pompeius tulit. Man.

quod ceteros in provinciam eiusmodi homines ... mittimus] „Huius loci, neglecta optimorum codd. lectione, sententia plane erat obscurata.

Scriptura enim erat *atque hoc etiam magis quam ceteros, quod eiusmodi in provinciam homines cum imp. mittimus.* Voces *quam ceteros* alienas esse animadversum ab aliis est frustraque contra dictum; neque enim, ut digniores cura populi R. existimarentur quam ceteri, postulare poterant, sed ut eo magis ipsi hac cura digni, quo gravius premerentur; nec novi quidquam postulari (ut digniores quam ceteri existimarentur), sed prioris postulati (ut digni) novam causam afferri, ipsa ostendant verba *atque hoc etiam magis*; dicendum alioquin erat *atque magis etiam*; deinde tum *in suam provinciam* scriptum esset. Sed id quod defenditur ne mali quidem codd. multi habent; nam in Pall. plerisque, 5 Oxx., Barb. est: *quam ceteros eiusmodi*; optimi autem, Erf., Col., Verd., verissime habent: *quod ceteros eiusm. in provinciam* (Erf. *in prov. eiusm.*), i. e. quod ceteri, quos in provinciam mittimus, eiusmodi sunt. *Quam* ex *quod* factum, ut saepe, propter *magis.*" MADVIG. Similiter Benecke iudicavit de lectione optima, probata illa iam a Guilielmio et Garatonio; nec quisquam postea dissensit, nisi miselius Madvigii obtrectator, Th. Baden in Iahn. Ann. Nov. Vol. II. p. 174. a. 1831.

ipsorum adventus] De numero plurali v. Madv. Epist. ad Orell. p. 64. Ad sententiam autem comparant ep. ad Q. Fr. I, 1, 9. *quid autem reperiri tam eximium aut tam expetendum potest, quam ... non itineribus tuis perterreri homines, non sumptu exhauriri, non adventu commoveri? cum urbs custodem, non tyrannum, domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur.*

praesentem vident] oratorie; nam paulo ante Pompeius *propter*, non *praesens* adesse dicebatur. MOEBIUS.

tanta temperantia] Hanc virtutem primam nominat, ut opponat aliorum libidini et rapacitati, quorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differre proxime dixit. MAN.

commoratur] „Sic edd. vett. At quidam edidere *commoraretur*. Sentiebant scil. coniunctivo opus esse, sed debebant dare *commoretur*, quae est vera lectio." ERN. Sic iam Lambinus maluerat; sed coniunctivum necessarium esse Moebius recte negavit; ex sua enim persona Ciceronem loqui.

CAPUT VI.

§. 14. *Quare si propter*] Hactenus a laudabili et ab honesto probavit bellum Mithridaticum esse suscipiendum; nunc suadet ab utilitate publica. LENIG.

maiores nostri] Codd. plerique *m. vestri*. Sed cum Erf., Verd., Pal. IX. *nostri* habeant, hic quoque ut supra 5, 11., quamquam alteram lectionem cum Madvigio praeferre malis, libros optimos deserendos non putavi.

cum Antiocho etc.] *cum Antiocho et Aetolis* propter foederatas Graeciae civitates; *cum Philippo* propter Athenienses [qui contra regis iniurias opem Romanam imploraverant], *cum Poenis* primo bello propter Messanam, Siciliae urbem, altero propter Saguntum [tertio propter Massinissam]. Temporum autem ratio postulare videbatur, prius ut Philippus, quam Antiochus, nominaretur, ut in Bull. II. c. 38. *multa postea bella gesta cum regibus, Philippo, Antiocho, Persa.* Man.

maximis vestris vectigalibus] „Sic Erf. et Monn. a b e. [In Pal. IX. est *maximis nostris v.*] Vulgatum ordinem *vestris max. vect.* alteri posthabendum esse quivis concedet. Etenim adiectivum si maxime urgendum est, necessario praeponi debet. Sic §. 68. *summis vestris beneficiis* et deinde *pro amplissimis vestris honoribus.*" Ex Ben. Verborum ordinem, qui est in Erf., iam Reisigius ex coniectura restituere voluerat; v. eius Schol. L. L. p. 816.

tanta sunt] „*Tanta* minuit, non auget, ut ad Fam. XV, 14: *si qua sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut sustinere possis, propera: ... sin maiora, considera ne* etc. Caelius in ep. ad Fam. VIII, 10, 3. Caes. B. G. VI, 35. B. Civ. III, 2." Man. Add. Beneck. ad h. l. et Madvig. ad Cic. de Finn. p. 689. Nos dicimus: *sie sind nur so grofs, tragen nur soviel ein*, quemadmodum *tantum* vertendum est in vulgari illo *tantum dico*; v. adnot. ad or. p. Sulla p. 74.

Asia vero tam opima etc.] De eadem Asia Cicero Ciliciae proconsul scribit ad senatum in ep. ad Fam. XV, 1: *res sese sic habet, ut summum periculum sit, ne amittendae sint rursus hae provinciae, quibus vectigalia p. R. continentur.* Steinm.

ut et ubertate agrorum etc.] „Tria commemorat, unde capitur vectigal: unum, *et ubert. agrorum*, quam infra agriculturam et decumas vocat: alterum, *et magnit. pastionis*, quod infra et pecus et scripturam appellat: tertium, *et multit. earum rerum quae exportantur*, quam partem infra et mercatorum navigationem et portum nominat. Illud, *varietate fructuum*, de omni frugum genere dictum est, sicut *ubertate agrorum* proprie de frumentis, quorum decumae solvuntur." Man.

multitudine earum rerum, quae exportantur] K l o t z. ex Erf., quocum Pal. IX. et aliquot codd. notae deterioris faciunt, *exportentur* scripsit, quae lectio I a n i o propterea praeferenda videtur, quod sententia sit: earum rerum, quae exportari possunt, ad exportandum supersunt; non: quae re vera exportantur. At vereor ne hoc subtilius quam verius disputatum sit. Nonne enim rei magis convenit, si interpretamur: earum rerum, quae exportari solent? Cum igitur habeamus meram periphrasim substantivi, quo lingua Latina carebat, nec sententia ex altera suspensa sit, ego quidem lectionem *exportantur* cum Madvigio praeferendam duxi.

si et belli utilitatem et pacis dignitatem retinere vultis] „*Belli utilitatem* intellige res eas, quae ad bellum gerendum bellique sumptus sufferendos sunt utiles." LAMB. Vix est quod moneatur vectigalia designari, v. supra ad 2, 6.; quod si cogitaris, nemo posthac dubitabit, quin lectio codd. deteriorum *sustinere*, quae tantas tragoedias excitavit (v. notas variorum apud Beneck.) omnino ferri non possit.

§. 15. *nam in ceteris rebus*] „ut puta in naufragio nulla sine immersione calamitas: incendio, cum flamma coeperit, aerumna sentitur: belli tempore bellum damna praecedunt." SCHOL. „Ante me vulgabatur *ceteris in rebus*, quem ordinem ne quis, ut vulgo putant, elegantiorem existimet, consulat Klotzium in Quaestt. critt. I. p. 72. et ad Luciani Gall. p. 23. Pariter §. 12. ex Erf. correxi *sine summo periculo*, §. 18. *ex ceteris ordinibus*, §. 36. *in omnibus rebus*." BEN.

pecua relinquuntur] Servius ad Verg. Georg. III, 64: *pecua, ut ait in Pompeiana Cicero, ab eo, quod est pecu, venit, ut genu genua.* „Hanc ego Servium existimo nobis conservasse lectionem, quae ab Tullio sit ipso, quamvis nullo in Tulliano Msto eius vestigium adhuc repertum sit. Idem iam olim censuit P. Victorius ad Varr. de R. R. II, 1, 3., in cuius adnotatione nescio quomodo Nonius pro Servio legitur. Hoc verbo ibi utitur etiam Varro; quod varie depravatum fuerat, ut patet ex V. L. Gesn. Ex libris optimis Auct. ad Her. IV. c. 34. iam editur *cui* (vel *cuinam*, ut habent etiam duo codd. Barb.) *praesidio pecua credemus?* ubi duo Leidd. Msti dant *pecora*, ut hic omnes, plerique cum Barb. n. 1409. antiquiore (nam alter a. MCDX. conscriptus *pecualia*) dant *pecuaria*: quod posset ex Virgilio defendi Georg. III, 64., ubi profert nostram lectionem Servius, et ex Plinio H. N. VI, 19. VIII, 43. Sed longe praeferendum est *pecua* [ut habent optimi, Erf., Par. 7714., Bamb. A., Fris. v. Baiteri Var. Lectt. p. 55.]: quod porro verbum ter a Livio adhibitum V, 48. XXVI, 34. XXXV, 21. in *pecora* mutatum pariter ab imperitis videbis apud Drak. Alia vetustissimae vocis exempla collegerunt Nonius h. v. p. 159. et Priscianus p. 719. Quin etiam nescio an in Nonianis alterum Tullii sit. Nam veteres Grammatici, cum duas volunt formas exemplis comprobare, ut eo loco Nonius *pecua* et *pecuda*, non raro alterna solent exempla ponere. Hac observatione in Servio usi sumus ad Verr. V, 1. eique locus est etiam in Nonio, qui primum et tertium exemplum habens *pecua*, secundum et quartum habens *pecuda* exhibuit. (Sic enim edd. a mea certe Ven. MCDXC. usque ad Mercerianam, in qua mendose *pecua* etiam secundum exemplum habet.) Quintum hoc est ex Tullio IV. de Rep.: *cum adhibent in pecuda pastores.* Sequitur ex Accio *pecua*, ex Caecilio *pecudibus*, ex Sisenna denique *pecuda*. Iam illud vix dubium videtur, in loco Caecilii emendari debere *pecubus*, ne sit a proposito alienus: quis enim *pecudibus* derivare malit a *pecuda*, quam a frequen-

tissimo nomine *pecudes**) ? Atque adeo exempla duo postrema emendatione hac fient alterna. Quidni superiora cum his et cum reliquis ad eandem rationem plane conveniant, ut in Accio *pecuda*, in Tullio autem *pecua* legendum sit? Equidem video, Caecilio emendato, exemplorum aequari numerum, semelque tantum ordinem inverti. Sed tum propter singularem librariorum incuriam, qui pessime habitum Nonium nobis tradiderunt, liberior est eius emendandi facultas, tum etiam potius quam *pecuda* placet in Tullio *pecua*, quo verbo post ipsum usi sunt Livius, Solinus, Plinius H. N. VIII, 43., Apuleius pluries [v. nunc Hildebr. Vol. I. p. 74.], Prudentius, quem adfert Heraldus ad Minuc. Felic. c. 36., idem verbum huic quoque restituens." Garatoni in Cur. sec. Ego iam propterea vetustissimam auctoritatem Servii aspernari nolui, quod sic etiam Claudius Mamertinus in Paneg. II. c. 10. (Vol. I. p. 175. Iaeg.) videtur legisse, qui in manifesta loci Tulliani imitatione sic dixit: *Tunc, Poeno ex summis Alpibus viso, Italia contremuit, statim pecua agrique deserta, omnes familiae rusticanae silvas et ferarum cubilia petivere.*

pecua relinquuntur ... navigatio conquiescit] „Tribus igitur ex rebus vectigal capitur: ex mercatorum navigatione, i. e. ex portu, unde *portitores* publicani sunt appellati: ex agricultura, i. e. ex decumis, unde *decumani*: ex pecore, i. e. ex pascuis publicis, unde *pecuarii*: quam partem Cic. singula singulis reddens appellat *scripturam*, ut p. Flacco c. 8. *scriptura, decumae, portorium*; et Festus [p. 333. Muell.] *agrum* vocat *scripturarium, in quo ut pecora pascantur certum aes est: quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore.*" Ex Man. Cf. Walteri hist. iur. Rom. §. 166. p. 206 sqq. ed. II. et de portoriis impr. Hoeckii Hist. Rom. 1, 2. p. 213 sqq.

scriptura] „pecorum vectigal, et quidem antiquissimum et diu unicum rei publ. emolumentum, teste Plinio H. N. XVIII, 3. [v. Nieb. Roem. G. II. p. 448. ed. III.] ita dictum, quod pastores apud publicanum numerum pecudum, quas in pascua publica immittere vellent, profiteri debebant, quem publicanus in tabulis suis adnotabat et scribebat, qua ex scriptura postea ratio inter pastorem et publicanum conficiebatur." Steinm.

uno rumore periculi] Benecke apte comparavit or. in Rull. II, 29, 80: *Quid nos Asiae portus, quid Syriae rura, quid omnia transmarina vectigalia iuvabunt, tenuissima suspicione praedonum aut hostium iniecta?*

§. 16. *Quo tandem igitur animo*] „*Igitur*, quod ex Hittorp. inserui, orationi a vv. *nam in ceteris rebus* etc. interruptae resumendae ita in-

---

*) Ita *pecuum* legendum est in loco Catonis apud Gell. VII, 3. ex optimo Msto Regio et ex altero, quem Gron. ignoravit, ab Ursino ad Fest. h. v. citato, ipso etiam suadente Festo, cum alii omnes, opinor, libri habeant, ut editur, *pecudum*. Gar.

servit, ut quae Cic. de statu provinciarum infelici belli suspicione iniecta generatim dixit, ea in praesentem Asiaticorum statum transferantur. Cf. locum simillimum Livii 37, 53, 20. et Cic. p. Cluent. §. 29: *Sentio, iudices, vos ... vehementer esse commotos. Quo tandem igitur animo fuisse illos arbitramini* etc.?" Ex Ben.

qui vectigalia nobis pensitant] „Recepi *vobis pens.*, i. e. lectionem omnium Pariss., Bavarr. etc., quae sequentibus *putatisne vos* etc. melius convenire videtur." Steinm. *Nobis* est in Erf., Pal. IX., Monac. a et f, quam lectionem magis propter Erfurtensis auctoritatem recepi, quam quod eam veram esse mihi plane persuasum sit. Nam ubicunque Tullius in hac orat. vectigalium mentionem iniicit, ita ea nominat, ut populi R., ad quem verba facit, ea esse significet. Legimus igitur *vestra vectigalia* §§. 4. 5. 7. 14., semel §. 6. *populi R. vectigalia*. Accedit, quod complexio argumentationis ita instituta est (*putatisne vos illis rebus frui posse* etc.), ut pronomen secundae personae praeferendum esse videatur. Retinui tamen *nobis*, quod totum enuntiatum pro circumlocutione *sociorum nostrorum* accipi potest.

qui exercent atque exigunt] „publicani. Numerosius duobus rem verbis exprimit. Minus recte alii *exigunt* referunt ad ministros publicanorum." Bloch. Est nostrum: *die sie gepachtet haben und erheben*. Qui vectigalia *exercere* dicuntur, sunt omnes illi equites, qui in societate publici Asiatici erant, qui *exigere*, ii, qui negotia societatis in provincia Asia administrabant, eorumque ministri.

propter adsint] „Veteres libri *absint*, quae lectio ferri potest, frequensque est Tullio *propius abesse*; ac nescio an malim *absint*, quam *adsint*, quod rarius est." Ursinus. „Etsi scriptura vulg. omnibus codd. videtur confirmari (nam qui sint illi libri Ursini, in quibus exstet *absint*, satis incertum est; v. Orell. ad or. Planc. p. 144.), tamen nescio an non sit a Cicerone profecta. Locutione enim *prope adesse*, quamvis Plauto et Terentio concedamus frequentique similium formularum pleonasmo defendatur, Tullium tamen abstinuisse arbitror. Nam praeterquam hoc loco duobus tantum, quod quidem sciam, aliis locis reperitur. Verum in altero Cat. mai. 24, 77. *quo ab ea* (morte) *propius adsum*, iam meliorem scripturam *absum* restitutam ab editoribus videmus. Illud autem ad Att. IV, 17, 3: *Tu ... si sapis ac frui tuis commodis cogitas, adventare et prope adesse iam debes*, satis habet, quo possit excusari; Lambinus tamen *abesse* dedit." Ex Ben. Immerito Benecke lectione ista sibi imponi passus est. Primum enim ita loquitur, quasi *prope abesse* saepissime in libris Tullianis legentibus occurrat. Invenitur quidem *propius abesse*, sed hoc quoque rarius et ita, ut ex locis ipsis, in quibus legitur (v. Handii Tursell. IV. p. 601, 3. add. Tuscul. I. §. 26. Cat. m. §. 77.), facile intelligatur permultum interesse, utrum *propius abesse* an *prope abesse*, quod ego quidem nusquam apud

Ciceronem inveni, dicas. Sic autem dicitur *propius abesse*, ut aut homo dicatur non tam longe a loco quodam abesse quam alius (ut ad Att. 1, 1, 2.), aut locus loco magis vicinus esse quam alius (ad Att. VIII, 14, 1.), quae significatio spatii interiecti ab hoc loco alienissima foret. Deinde Benecke non cogitavit h. l. ex libris optimis restitutum esse *propter adsint*, id quod in lectione controversa diiudicanda minime negligendum erat. Ubicunque enim *propter* adverbialiter positum adhuc inventum est (v. Hand. Tursell. IV. p. 608 sq.), significat idem quod est *iuxta*, „*in der Nähe, neben*," nec ex his locis necessario sequitur etiam *propter abesse*, i. e. *non longe abesse* in consuetudine fuisse. Quod denique Benecke negat locum ex ep. ad Att. IV, 17, 3. (*adventare et prope adesse iam debes*) cum hoc, de quo agitur, comparari posse, equidem dubito num similior inveniri possit. Poterat enim Tullius aeque recte dicere: *cum duo reges cum maximis copiis adventent*; sed quo rem gravius significaret, eos iam propter adesse dicere maluit.

in salinis] „Hanc lectionem, quamquam non mihi probatam, retinui, quia incertum est, quod vocab. reponatur, *saltibus* an *silvis*. Et *salinis* quidem omnes, quantum scimus, legunt codices; unus Lamb. ex cod. ad marg. laudato [in quo scripturam *in filius* invenerat] edidit *in silvis*, si modo ea est codicis lectio neque Hotomani [immo Turnebi] coniectura. Quamquam vero vectigal ex salinis fuisse certum est, v. Cuiacii Observv. VII, 4. ad locum Ulpiani Dig. L. Tit. 16. fr. 17. [ubi est: *publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiscus capit; quale est vectigal portus vel venalium rerum, item salinarum et metallorum*], tamen cur illud in Asia [ubi salinas fuisse, praesertim in Phrygia et Cappadocia, testatur Plinius H. N. 31. c. 7. §. 73. et 77.] nunc commemoretur, quum in omni oratione nihil de eo monuerit Cicero, non apparet; et praecesserunt tria nobilissima vectigalium genera, decumae, portorium, scriptura, item pecora, agricultura, navigatio. Itaque etiam hic commemorari necesse fuit vectigal e re pecuaria: pascua enim agris proprie non continentur. Hotomanus *salictis* aut *saltibus* legi iussit, Turnebus Advers. I, 5. *silvis* [ut etiam Sylvius proposuerat]. *Saltibus* placuit Lipsio de Magnitud. Rom. II. c. 1., Gronovio Observv. III, 20., Burmanno de Vectigal. P. R. p. 14., Ernestio, Lallemando." Beck. De lectione librorum *salinis* haec olim in schedas conieceram: „Recte Garatoni intellexit latiore agrorum nomine (*familias, quas in agris habent*) pascua quoque contineri, cum duplex agrorum vectigalium genus fuerit, decumanorum et scripturariorum. Atque illud viri docti nimis neglexisse videntur, Tullium h. l. de familiis loqui, quarum opera publicani in vectigalibus exigendis utebantur. Iam in pascuis non tam magnis familiis opus videtur fuisse, quam in agris decumanis atque in portubus, cum facile alia ratione

caveri potuerit, ne quis plura pecora, quam pro quibus scripturam solverat, in iis pasceret. Quare si Cicero saltuum vel silvarum h. l. mentionem facere voluisset, vix puto id eum primo loco facturum fuisse, quod recte fecit de familiis, quas publicani in salinis habebant, in quibus exercendis magno servorum numero indigerent." Libere tamen confiteor hodie mihi haec argumenta non magis sufficere, quam quae superiores interpretes ad librorum lectionem tuendam attulerunt, multoque verisimilius esse, aut *silvis* aut *saltibus* corrigendum esse. Pro illa emendatione, quae altera magis litterarum similitudine commendatur, afferas Cic. in Rull. I. §. 3. *Veneat, inquit, silva Scantia. Utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus an in censorum pascuis invenisti?* pro hac Festum ex Gallo Aelio p. 302. Muell.: *Saltus est, ubi silvae et pastiones sunt*; Cic. in or. in toga cand. (Schol. II. p. 88.): *alter pecore omni vendito et saltibus prope addictis pastores retinet*; Dig. VII, 1. fr. 32. *quum ex multis saltibus pastione fructus perciperetur*, et Ulp. in Dig. XXXIII, 7, 8. §. 1. *si fundus saltus pastionesque habet* etc.

in portubus] De hac forma rariore ablativi v. Schneideri Gramm. I, 2. p. 339. Zumpt. ad Verr. p. 774. Tuentur h. l. *portubus* omnes libri meliores; sed infra §. 55. in plerisque est *portibus*, etiam in Tegerns., sed in Erf. ut in h. l. *portubus*. In Verr. IV. §. 118. et p. Flacco §. 27. forma *portibus* meliorum librorum testimonio confirmatur.

in portubus atque custodiis] I. Fr. Gronovius in Observv. III, 20. explicuerat: *in portubus custodiendis*, quod recte improbans Garatoni *custodias* interpretatus est loca, quibus vectigal pro mercibus, quae terra transvehebantur, exigeretur: ut enim portoria maritima *in portubus* exigebantur, sic terrestria *in custodiis* videri exacta esse. Postea tamen ei aliquam dubitationem iniecit locus or. de Prov. consul. 5, 10., ubi dicit Cic. de Gabinio: *Statuit ab initio ... ius publicano non dicere: pactiones sine ulla iniuria factas rescidit, custodias sustulit, vectigales multos ac stipendiarios liberavit:* ad quem locum iterum multis de hoc disputavit. Recte Forcellinus intellexit *custodiis* ea loca significari, ubi servi publicanorum custodiebant, ne quis non soluto portorii vectigali transiret. Quae quamquam custodiis significari posse Benecke concedit, tamen se videre negat, quamobrem Tullius vv. *atque custodiis* addere necesse habuerit, idemque dubitat, num locutio *in custodiis habere* sic umquam ab Latinis usurpata sit. His permotus vv. *atque custodiis* ex interpretamento aliquo orta esse suspicatur. Eius sententiae recte Orelli (2) ita contradixit: „Non erat cur haec in suspicionem adduceret Benecke. Eae sunt custodiae, quas nos dicimus Mauthposten. Scil. societatibus publicanorum utique suorum hominum custodiis erat providendum, ne portoriis ac vectigalibus defrau-

darentur, cum milites Ro. ei muneri non adhiberentur." • Nisi fallor, his custodiis id maxime cavebatur, ne quae merces in aliis portubus exonerarentur, quam in quibus portitorum tabernae constitutae erant, ut constat in Attica unum fuisse emporium, Piraeum, in quo pro mercibus vectigalibus portoria solvebantur. Cf. Baumstark. in Paul. Encycl. III. p. 312. Quodsi ad hoc erant *custodiae*, iam non mirum videbitur, quod orator eas cum *portubus* coniunxit. Haec ipsa coniunctio (nam arcte haec cohaerere iam ex eo perspicuum est, quod Cic. non dixit: *quas in portubus, quas in custodiis* etc.) Steinmetzium erroris convincit, qui collato Festo (p. 302. Muell.: *si qua particula in ea saltu pastorum aut custodum causa aratur, ea res non peremit nomen saltuis*) praesertim custodias in pascuis significari opinatus est.

magno periculo se habere] neque absque causa; nam in Pis. c. 34: *perpetuos defensores Macedoniae vexatores ac perditores fecisti: vectigalia nostra perturbarunt, urbes ceperunt, vastarunt agros, socios nostros in servitutem abduxerunt, familias abripuerunt, pecus abegerunt.* Strinn. Locum repetii, quod Moebius falso explicuit: „*magno periculo*, ne pecora relinquantur, agricultura deseratur, et exactio portorii vectigalis negligatur."

qui vobis fructui sunt] Hanc codd. optt. lectionem, pro qua in libris plerisque est interpolatio „*qui vobis fructuosi sunt*," Wunderus etiam testimonio Arusiani Messi firmavit p. 230. Lindem., qui haec habet: *Fructui mihi est illud. Cic. de Imp. Pompei: putatisne vos his rebus frui posse, nisi eos qui fructui vobis sunt, conservaveritis.* Sic etiam Livius V, 4: *gaudet nunc* (miles) *fructui sibi rem publicam esse*, et 34, 36: *fuerat autem ei magno fructui mare.*

conservaritis] Codd. plerique *conservaveritis*. „Erf. [et Pal. IX.] habet *conservaritis*, nec quidquam aliud latet in corrupta duorum Oxons. scriptura *conservaretis*. Arusianus quidem Messus hunc locum pleniore forma laudat; sed non raro ille verba scriptorum ex memoria citavit, ut locum huius orat. §. 19. et §. 21. Accedit quod plenior forma, in fine periodi haud improbanda, progredientis tamen orationis cursum impedit." Ex Ben. Cf. tamen Wesenbergii Observv. ad Cic. p. Sestio p. 64.

ut ante dixi] „Pro vulg. *antea* ex Erf. aliisque scripsi *ante*; nec verisimile est, ut librarii *antea* in *ante* mutaverint. Ita quoque Zumpt. in Verr. IV. §. 48. *quod ante de istius abstinentia dixeram.* Cf. p. Font. §. 3. *de qua ante dixi.*" Ex Ben. Certum est Ciceronem in hac formula *ut ante dixi* plerumque breviore forma usum esse, v. p. Sulla §. 53. p. Caec. p. 19. p. Cluent. §. 147. in Verr. IV. §. 73. etc. In libris de Re publ. quater *ut ante dixi*, bis *ut dixi antea* numeravi.

CAPUT VII.

§. 17. *Quod ad multorum bona civium R. pertinet*] scil. bellum sive belli genus; est enim *quod* coniunctio: *daſs bei diesem Kriege Hab und Gut vieler R. Bürger betheiligt ist.* Monui, quod Moserus locum contortius sic explicare maluit: „Cic. hatte im Sinne zu sagen: *Ac ne illud quidem negligendum est — illud nimirum bellum ad multorum bona pertinere*, wechselt aber die Construction und nimmt nach dem parenthetisch gesetzten *quod mihi ... dicturus* (ein Punkt, den er erst später hatte berühren wollen) das Pron. relat. abermals, das dann auf *bellum* geht und das belli genus angibt."

nam et publicani] „Requiritur alterum *et*, sed eius loco subiicitur *deinde*; nec vitiosum est: habetur enim ratio sententiae potius quam verborum, ut cum praeposito *primum* interdum non subiicitur *deinde*, cuius generis exempla non desunt." MAN. „Hoc loco Handius (Turs. II. p. 508 sqq., impr. p. 510.) Beneckio immerito persuasit. Nam cum Cic. bellum Mithridaticum ad multorum civium bona pertinere dixisset, subiungit: *nam et publicani* etc., quod ineptissimum erit, si ita verteris: *denn es haben ja auch die Staatspächter* etc., aut, ut plane pro *etiam* sit: *denn auch die Staatsp.*, quasi alii nominati sint: sin *et* plane non expresseris, non satis magnum hoc erit, quod dicetur; unum enim hoc est genus: *multi* illi conficiuntur, si adiuncti fuerint qui sequuntur: *deinde ex ceteris ordinibus homines gnavi atque industrii.* Ratio autem facile reddi potest, cur saepius post *nam et* reperiatur. [Cf. Cic. de Off. II, 9, 33. de Orat. II, 11, 48. ad Att. I, 16, 11. Hand. Turs. IV. p. 22.] In causa enim ponenda aut in eo, quod dictum est, exemplis confirmando (ut Topic. §. 93.) statim significanda est series complurium, in quibus coniunctis vis argumenti inest; deinde in singulis explicandis tam diu moratur oratio, ut interrumpatur." MADVIG in Exc. I. ad Cic. de Finn. p. 800.

homines honest. atque ornatissimi] Primum ad existimationem, alterum ad rem familiarem refertur. MAN. De priore scriptura *et honest. et ornat.* recte adnotavit Benecke, illa verba non ita diversa esse, ut *et* recte geminari possit.

suas rationes et copias ... contulerunt] „*Rationes* pro facultatibus [cf. Tac. Ann. VI, 16. *rationes familiares componere*] et rebus omnibus ad quaestum pertinentibus dictum puto: unde *consulere, prospicere, providere suis rationibus* pro *suis commodis* apud Cic. frequentissime." Ex HOT. Bene convertit Naegelsbach (Lat. Stilistik p. 216.; cf. et p. 128 sq.): *sie haben ihre Interessen* (nisi malis *Speculationen*) *und ihre Fonds in jene Provinz verlegt*, d. h. *dort angelegt.*

nervos reip.] „*Nervi τὰ νεῦρα* sensu proprio dicuntur, quibus artus continentur; v. de N. D. II, 55. Eadem metaphora legitur in Verr. III. c. 36. Phil. V, 5. Ulp. in Dig. III, 18, 20. §. 1. *in causa tributorum, in quibus esse reip. nervos nemini dubium est.*" Ex Steinm. Cf. etiam Beneck. et add. cod. Theodos. XI, 1, 4. *tributa nervi rei p. et viscera civitatum.*

esse ... duximus] *Esse* haud raro verbo *ducere* addi exemplis demonstraverunt Matthiae ad h. l. et Fr. Schneider in Iahn. Ann. Vol. 48. p. 124., quod monui, quoniam Steinmetz pravam lectionem *diximus* revocavit.

firmamentum ceterorum ordinum] Similiter p. Planc. 9, 23: *flos enim equitum R., ornamentum civitatis, firmamentum rei p., publicanorum ordine continetur.* Hot.

§. 18. *ex ceteris ordinibus*] Haesit in his verbis Hotomanus; cum enim in priore edit. (a. 1554.) haec commentatus esset: „Negotiatores ex ceteris ordinibus fuerunt, sed magnam partem ex ordine publicanorum: ex eo enim genere aratores, pecuarii, portitores, argentarii. Senatores etiam, qui hereditates, legata aut nomina sua in provinciis persequebantur, negotiatores dicebantur." Contra in commentario ex mortui autographo in Opp. collectis iterato (a. 1600.) haec obscurius scripta legimus: „Diversos igitur facit negotiatores a publicanis: item ut in ep. 2. ad Q. Fr.; negotiatores enim *aratores et pecuarios* praesertim appellant; cf. or. p. Font. §. 2. Notandum etiam h. l. *argentarios* a *negotiatoribus* distingui, in illa autem p. Font. non distingui." Contra ea monuit Garatoni: „Non argentarii a negotiatoribus distinguuntur, sed ii, qui Romae commorantes collocarant in Asia quocunque modo pecunias." Ernesti autem interpretatus est: „Intellige ordinem tum senatus, tum plebis. Nam negotiatio maxime ab equitibus fiebat, sed etiam a locupletioribus e plebe; v. Clav. in *negotiator.*" Cum supra dixit orator *eum certe ordinem* etc., non universos equites Ro. significavit, sed qui equestri ordine ad vectigalium redemptionem accedebant, s. ordinem publicanorum. Quod deinde subiunxit *firmamentum ceterorum ordinum*, apparet intelligi ordines, ex quibus universus populus R. constabat, senatores, equites, qui non erant publicani, homines denique plebeios; publicanorum enim rebus bene constitutis fides populi continebatur. Loco autem, de quo nunc agimus, *ceterorum ordinum homines* non intelligo tres illos ordines universi populi, cum ordo senatorius a quaestu faciendo prohibitus vix comprehendi potuerit, sed omne hominum genus, qui, ut publicani ipsi, corpus faciebant, qualis erat ordo *mercatorum, navicullariorum* aliorumque, quos Th. Mommsen in libro de tribubus Rom. p. 57. not. 93. enumeravit; add. Beckeri Antiq. R. II, 1. p. 236. et Fr. Hofmanni libellum de Senatu Rom. p. 8 sqq. Vertas igitur: *Leute aus anderen Genossenschaften*

s. *Corporationen*, nisi malis magis generaliter: *aus anderen Classen der Gesellschaft.* Ceterum recte nunc ex Erf., quocum Pal. IX. consentit, vulgatur *ex cet. ordin.*, cum antea legeretur *ceteris ex ord.*, quae lectio iam ab omnibus spreta unum defensorem nacta est, Stuerenburgium ad or. Arch. p. 29. ed. II.; at v. supra ad §. 15. p. 113.

gnavi atque industrii] ut Verr. III. §. 53. *Nympho est Centuripinus, homo gnavus et industrius.* Cf. Doederl. Synon. I. p. 124 sq.

partim ... collocatas habent] „Innumeros tum in Asia publicanos ac foeneratores fuisse totamque provinciam omnibus incommodis vexasse, Plutarchus auctor est in v. Luculli." [Cf. Drum. IV. p. 140 sq.] HOT. „Non tam hic de publicanis loquitur, quam de aliorum civium R. facultatibus, qui ibi et amplas habuerunt possessiones, ut solebant in provinciis latifundia habere, et pecuniam ibi foenori posuerant, ut Brutus apud Cyprios; de quo Cic. in epistt. ad Atticum." GRAEV.

partim eorum] „In omnibus manibus Gellius est, qui X, 13. ita locutos docuit vetustissimos. Ibi unum iam Tullii locum laudavit Thysius, alterum Ern. in Ind.; his adde tertium de Prov. cons. 10, 24., alium etiam de Orat. II, 76, 308. *eorum partim ita levia sunt*, et hunc denique nostrum, in quibus omnibus *partim eorum* valet *quidam eorum.*" GAR. 1 et 2.

magnas pecunias] i. e. multas; v. Oudend. et Hildebr. ad Apul. Metam. VII. c. 9. p. 552. et Lobeck. ad Aiac. p. 127 sq. ed. II.

calamitate prohibere] i. e. a calam. defendere, ut §. 19. *a quo periculo prohibete rem publ.*, ad quem locum Garatoni citavit Oudend. ad Caes. B. G. VI, 23., qui cum docuisset in hoc verbi *prohibere* usu praepositionem *ab* necessario addendam esse, Beneckeum ad suspicionem induxit, et hic et de Off. II. §. 41. (*cum prohiberet iniuria tenuiores*) praepositionem ex consuetudine aetatis posterioris a librariis omissam esse. At ut taceam locos poetarum (v. Orell. ad Hor. Carm. I, 27, 4.), Tulliani quidem codicum consensu satis firmati sunt. Eo accedunt loci, in quibus *prohibere* est *retinere* vel *impedire* (velut *hostes rapinis prohibere*); in quibus quamquam verbum diversam habet potestatem, ablativi tamen praepositione carentis eandem esse rationem apparet.

a re publ. seiunctam] „Hoc est quod dicit Hecato apud Cic. de Off. III. c. 15: *singulorum enim facultates et copiae divitiae sunt civitatis.* HOT.

etenim primum illud] Ante occupat quod quispiam obiicere poterat, quae figura ab artium scriptoribus anteoccupatio (occupatio) s. προκατάληψις (πρόληψις) dicebatur. Merito autem *primum illud* Benecke ex Erf. restituit: „Duas res Cic. considerandas populo R. proponit, ita ut priori *primum* praefigi necesse fuerit. *Illud primum* se recte haberet, si per pron. *illud* una res proponeretur, quae ex duabus pluribusve causis cur minus valere posset, demonstraretur."

nos publicanis amissis vectigalia postea victoria recuperare] „Ut restituam *publicanis amissis*, consensu moveor manu scriptorum: publicani sane amitterentur, si quidem aliis facultas [vectigalium redimendorum], aliis voluntas fuerit defutura." Ex Gar. Scripturam *publicanis amissa* satis refutavit Benecke. Concedit enim orator vectigalia ipsa victoria recuperari posse, Asia rursus occupata. Sed hoc ex oratoris mente rei publ. nihil emolumenti allaturum erat, cum non ipsa vectigalia exerceret, sed redimenda collocaret. Illud igitur, quod quispiam obiiciat, speciosius quam verius dici significatur; publicanis enim amissis, i. e. perditis, ex vectigalibus ipsis nullus iam fructus sperari posse videbatur. Heumanno autem mirum visum est, quod nemo vidisset *posse* pro *postea* legendum esse. Cui opposuit Beckius in Add. p. 495. non carere vi sua *postea* repetitum: „postquam amissa [amissi] sunt." At dubito num Heumannus in solo *postea* offendens *posse* maluerit, quod facile quispiam sententia flagitari dixerit. At inducit orator hominem cum magna fiducia loquentem, quasi res sit iam explorata, vectigalia postea a populo R. recuperari. Ob eandem causam *nos* ex Erf. et Pal. IX. pro vulg. *vos* recipere non dubitavi, quamquam subscribere nolim, quod Benecke adnotavit: „Sic necessario esse legendum non solum omnis huius loci tenor ostendit, verum etiam sequentia plane evincunt."

neque enim isdem] Propter scripturam codicum deterioris familiae, in quibus ut in 7 Oxonn. et 5 Monn. *enim* omissum est, Madvig (Opuscc. I. p. 441.) in suspicionem inductus est, in cod. archetypo *nam neque* (in Mon. b sive Salisburg. revera *nam* lectioni *neque isdem* superadditum est) scriptum fuisse, cum librarii *neque enim* requirere, *nam neque* respuere soliti sint.

§. 19. *idem iste*] Eadem pronomina infra coniunxit §. 46. in eodem nomine, et §. 63. *isdem istis reclamantibus*.

initio belli Asiatici] annis ante 23. Man.

certe id quidem calamitate docti memoria retinere debemus] „*Id quidem certe* recte omnes recentiores editores, merito eiecta scriptura mendosa, *id quod certe*, dederunt. Erfurtensis vero scripturam *certe id quidem* [quam etiam Pal. IX. et Parc. habent] quominus reciperem, id impedimento fuit, quod pronomen in hoc verborum nexu necessario praemitti debet. Tenendum est enim particulam *quidem* pronomini accendo inservire, *certe* autem suam propriam vim restringendi retinere. Sic in Verr. II, 74, 183: *hoc quidem certe manifestum erit*; ibid. IV. §. 47. *illa quidem certe ... capiebantur*. Similiter in aliis iuncturis, ut ad Att. I, 1. extr. *cupio quidem certe* etc. Sed v. nunc Hand. in Turs. II. p. 27 sqq." Ex Bew. „Bei Hand finden wir Terent. Eun. IV, 55. *certe tu quidem* neben Cic. in Fam. I, 9, 66. *me quidem certe*; und eben so kann neben ad Fam. I, 9, 31. *illud quidem certe* hier stehen

certe id quidem, wenn das auf den ganzen Satz bezügliche *certe* besonders hervorgehoben werden soll." IAN. Quamquam lectione vitiata *id quod certe* Beneckei sententia confirmari videtur, tamen lectionem Erf. spernere nolui, quod, si *id quidem certe* legitur, vv. *calamitate docti* nimis efferri videntur (foret enim: id quidem si non alia re, at calamitate certe docti memoria tenere debemus): contra si *certe* sententiae praeponitur, cavetur, ne vocis sonus in participium transeat, neve illa verba, in quibus vis totius sententiae inest, „*memoria retinere debemus*," quasi in umbra collocentur.

tum cum amiserant] „Scriptura *amiserant*, quae vulgo editur, stribligo est, nec video quemadmodum defendi possit. Ad rem cf. in Rull. II. §. 83: *Asia multos annos nobis fructum Mithridatico bello non tulit; Hispaniarum vectigal temporibus Sertorii nullum fuit.*" Ex BEN. Apparet tum demum, cum res illae iam amissae erant, non quo tempore amissae sunt, Romae solutionem impeditam esse. An vir doctus indicativum plusquamperfecti per se ipsum condemnandum putavit? cuius quidem haud rara sunt exempla, ut in Verr. V. §. 178. *cum iste ... multa signa dederat, quamobrem responsurus non esset, mentio de lege nulla fiebat.*

fidem concidisse] „Cum publicani propter calamitatem bello Mithr. acceptam pecunias creditas dissolvere non possent, fides (*Credit*) concidit, neque argentarii amplius pecunias mutuas dare voluerunt. Sic illis locis, quos Hotom. comparavit, Caes. B. C. III, 1. *cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur* etc." Ex BEN. Satis imperite nonnulli interpretes opinati sunt Ciceronem significasse, in Asia solutionem impeditam esse.

id quod ipsi videtis] Hic quoque Benecke interpolatoris manum sibi detexisse visus est; affirmabat enim p. XXVII. asseverandi formulam, *mihi credite*, satis superque ostendere, vv. *id quod ipsi videtis* insulse addita esse. At recte L. de Ian se intelligere negavit, quidni orator diceret: „*glaubt meinen Worten in einer Sache, die ihr ja selbst einsehet.*" Propterea enim Tullium illa verba adiecisse, ut arrogantiae crimen devitaret, quasi solus harum rerum intelligens videri vellet. Quod autem post *credite* sequitur oratio directa, huius usus aliquot exempla ad or. Sullanam §. 35. p. 94. attulimus.

haec ratio pecuniarum, quae Romae, quae in foro versatur] Beneckeo persuasissimum est vv. *quae in foro* ex interpretamento voc. *Romae*, quo aliquis locum, ubi Romae argentarii tabernas suas haberent, indicare vellet, in textum recepta esse. Cui opposuit L. de Ian: „Cic. sagt: ich spreche nicht von Einzelnen in Rom, sondern von den öffentlichen Wechselbänken auf dem Forum: um dadurch den allgemeinen Einfluſs auf den Credit hervorzuheben." Atque omnino tenendum est, si quis omnia, quae salva sententia abesse possunt, continue

deleri iubeat, eum oratorum licentiam atque ubertatem in artos ieiunitatis fines constringere.

implicata est] Adnotavit Haase ad Reis. Schol. L. L. p. 250. n. 292. fortasse hoc uno loco formam *implicitus* apud Ciceronem legi, pro qua alias *implicatus* dicere consueverit. Cf. Heusinger. ad Cic. Off. I, 5, 15. Eo minus dubitavi ex Erf. secundum testimonium Freundii *implicata* restituere, quae forma item exstat in Pal. IX. et Salisb., sed ita ut in Salisb. altera manu *implicita* superscriptum sit.

ruere illa non possunt, ut haec etc.] „*illa*, pecuniae Asiaticae, *haec*, fides et ratio pecuniarum, quae Romae versatur. Ita nonnumquam *ille* ad propiorem rem refertur, *hic* ad remotiorem; v. Matth. ad or. p. Mur. 14, 31. et quae dedi ad Iustin. XXII, 3, 3." Ben. Monendum erat Ciceronem h. l. ne potuisse quidem dicere „*ruere haec non possunt*." Si enim duo res comparantur, quarum altera dicenti vel loco vel tempore vel natura sua propior, altera remotior sit, de illa *hic*, de hac *ille* usurpatur, nec quidquam refert, quem locum substantiva, ad quae pronomina illa referuntur, obtineant. Atque eadem causa est pronominum *iste* et *ille*; v. Cic. Verr. IV. §. 57. Cf. Iahn. ad Ovid. Trist. I, 2, 24. et ad Horat. Epist. I, 7, 19. Reisig. Schol. L. L. p. 359 sq. Madv. ad Cic. de Finn. IV, 4, 10. Alia est ratio loci or. p. Mur. §. 31., ubi *ille* de Scipione Africano dictum videtur, ut de nobiliore ex duobus fratribus, quos ibi orator nominavit. Rarissimi sunt autem loci, ubi nulla propria causa intercedente pronomina transposita inveniuntur, ad quod genus refero Cic. Partit. orat. 8, 27.

ut haec non etc.] „Nemo dubitat, quin necessariae consecutionis (*ohne dafs*) significatio oriatur ex significatione modi: *ruere illa non possunt tali modo, ut non* etc." Madvig ad Cic. de Finn. p. 266. Sic paulo supra: *ut non ... trahant.*

labefactata] „*Labefacta* ex auctoritate cod. Erf., quocum 2 Oxx. et 4 Monn. [item Pal. IX.] faciunt, scribere debui pro vulg. *labefactata*. Saepissime autem haec verba permutantur; v. Drak. ad Liv. III, 64, 1., qui bene ad auctoritatem poetarum provocat, ubi metri legibus adstricti librarii non ita facile peccare potuerint. Sic Ovid. Met. II, 402. *et ne quid labefactum viribus ignis corruat.* VIII, 775. X, 375. Fast. II, 59. Claudian. in Rufin. I, 14. Suet. Vesp. 4." Ex Ben. Vereor, ut locis poetarum tantum conficiatur, quantum vult Benecke. In solis enim locis, in quibus participium perf. pass. habemus, codd. Tullianos fluctuantes videmus; in ceteris, in quibus formarum diversitas librariis nullam errandi occasionem obtulit, apud Cicer. semper, quod sciam, *labefactare*, non *labefacere* invenitur, excepta or. p. Sest. §. 101. *quem nulla umquam vis ... labefecit*, i. e. de statu suo demovit. Quare in re, in qua error librariorum facillimus erat, auctoritatem Erfurtensis derelinquere non sum veritus, praesertim cum verbum motum vehe-

mentiorem significans requiratur. Etiam in or. in Vatin. §. 19. Erf. *labefactam* habet contra codd. meliores eiusdem familiae, Paris. 7794. et Bernensem. Contra in aliis locis ipsius auctoritate *labefactatus* restitutum est, ut de Senect. §. 20.

videte, num dubitandum vobis sit] „Cohortatio quaedam liberior est, ex auctoritate dicentis, praesertim ad populum; nam in senatu *videte* sine arrogantiae culpa nemo diceret. Eadem licentia supra c. 4. cognoscitur in eo: *de vestri imperii dignitate atque gloria videte quem vobis animum suscipiendum putetis.* Illa vero etiam aliquanto maior c. 5. *videte ne ... vobis turpissimum sit* etc." MAN. „Neque tamen in causis forensibus Tullius illa cohortatione uti reformidavit; cf. p. Rosc. Am. §§. 103. 116. et Muell. ad Cic. de Orat. I, 13. p. 41." BEN.

ad id bellum incumbere] ut Caes. B. G. VII, 76. *ut omnes et animo et opibus in id bellum incumberent.* Dem. Olynth. I. §. 6. φημὶ δεῖν ἐθελῆσαι καὶ παροξυνθῆναι καὶ τῷ πολέμῳ προσέχειν. STEINM. Pro *id* legitur in Pal. IX. *illud.*

coniunctae eum re publ. defendantur] Sic Erf. Col. Verd. Pal. IX.; in libris deterioribus *coniunctae* deest. „Sic p. Tull. §. 36. *deseret is maximam rem, coniunctam cum summa re publ. fortunisque privatorum.*" STEINM. Contra Beneckeo, cum incerta sit sedes voc. *coniunctae*, et a codd. deterioris notae plane absit, neque ad sensum ita necessarium videatur, ut, si absit, vehementer desideretur, interpolationis suspicio orta est: nam haud incredibile esse, participium illud praepositioni *cum* explicationis causa superimpositum esse. Quod dixit Benecke de incerta sede voc. *coniunctae*, falsum est (v. adnot. crit.), ut nunc etiam testimonio Palatini IX. cognoscitur. De discrimine autem utriusque lectionis R. Klotz in Iahn. Ann. N. XXII. p. 152. egregie sic disputavit: „Stände *cum re publ.* ohne *coniunctae*, so würde dieſs auf den ganzen Satz gehen; aber es wäre dann eine sonderbare Zusammenstellung, daſs jene Dinge in Gemeinschaft mit dem Staat zu vertheidigen seien. Steht aber *coniunctae*, was vor *cum* so leicht ausfallen konnte, so heiſst es: daſs jene Dinge nicht von der Wohlfahrt des Staates zu trennen seien, was hier allein einen Sinn gibt. *Defendantur* aber führt die Angeredeten so schön und ächt lateinisch zur eigenen Reflexion hin, indem alles von *videte* abhängig ist." Germanice dicas: *das Vermögen sehr vieler Bürger, bei dem das Staatsinteresse so innig betheiligt ist.*

CAPUT VIII.

§. 20. *Quoniam ... dixi*] Haud raro Cic. hac formula utitur, cum ab alia orationis parte ad aliam transit, ut p. Flacco §. 34: *Quoniam de communi totius Asiae crimine dictum est, aggredior iam ad singulas civitates.* Cf. Seyff. ad Lael. p. 87. et 220.

de magnitudine] i. e. de periculis, quae habet; cf. c. 2. *bellum grave et periculosum*; c. 10. *bellum magnitudine periculosum.*

belli genus esse ita necessarium] Abhorret haec dicendi ratio a linguae nostrae ingenio, qui semper dicamus: *bellum genere est necessarium*, ut est infra §. 27. *quare esset hoc bellum genere ipso necessarium.* Contra ut h. l. supra §. 6. *genus est belli eiusmodi, quod maxime vestros animos excitare debeat.*

ne forte a vobis, quae diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur] „Satis aptus elicitur sensus: sed fortasse sine praepositione *a*; concinnior sententia videretur." Hotom. „Lambinus auctore Hotom. eiecit *a*, quod sane duriusculum est, sive ad *providenda* referatur sive ad *contemnenda*; nuspiam reperi: *hoc a me contemnendum videtur.* Fortasse et melius sit: *contemta esse vid.* [ut est in edit. Manut.]: ita *a vobis* rectum sit. Saltem et *esse* deleverim, si *a* deleatur." Ern. „Egregia est Buttmanni coniectura: *ea vobis*, neque tamen necessaria, quum *a vobis* non ad verbum *contemnenda*, sed ad *providenda* referri debeat; cf. p. Rab. perd. 2, 4. *Existimare debetis, Quirites, rem nullam maiorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam ... ad populum R. esse delatam.*" Steinm. Contra censor Lipsiensis (Leipz. Lit.-Zeit. 1832. p. 1387.) Buttmanni coniecturam probandam esse negat, non quod, ut nonnulli putaverint, pron. *ea* supervacaneum, sed quod praepositio *ab* h. l. omnino necessaria sit; non posse enim *vobis* ad *videantur* pertinere, sed vv. *a vobis contemnenda* coniungenda esse, cum sit sententia: *damit man nicht etwa glaube, von euerer Seite* (d. i. dem mächtigen Röm. Volke) *verdiene, was die sorgsamste Vorkehrung erfordert, keine sonderliche Beachtung.* Ob similem causam Klotzius, qui saepius de eodem loco disputavit (v. Praef. ad Oratt. I. p. LI sq. Iahn. Ann. N. Vol. 32. p. 368. et Vol. 40. p. 134.), praepositionem necessariam esse censet, affirmans Ciceronem propterea *a vobis*, non *vobis* h. l. dixisse, quod dativus eodem iure ad verb. *videantur* referri potuisset: ambiguitatis igitur vitandae causa praepositionem addendam fuisse. At erunt qui contrarium affirment, praepositionem propterea non ferendam videri, quod manifestum sit pronomen ad *videantur* in sententia pertinere, quae sit talis: „laborandum est, ne forte, quae diligentissime providenda sunt, vobis nulla praecipua cura digna esse videantur", ut est in Verr. IV. §. 132. *quae forsitan nobis levia et contemnenda esse videantur.* Ac suffragatur huic sententiae scriptura Palatini IX., in quo legitur: *ne forte v o b i s ... contempnenda esse videantur.* Quod si cogites, facile eorum disputationibus supersedere poterimus, qui in naturam gerundivorum inquirentes praecepta excogitaverunt, quando praepositio *ab* gerundivis recte aptari possit, de qua re v. nunc impr. Iordan. ad Cic. p. Caec. p. 195 sq. Klotz. in Iahn. Ann. Vol. 40. p. 133 sqq. Weissenborn. de Gerund. p. 132. Quod tamen ego quoque vulgatam

retinui, propter ea potissimum factum est, quae Fr. Haase in Zimmerm. Diar. Antiqu. 1838. p. 263. scite disputavit. Is enim reiecta lectione *fortean vobis*, quae cum in uno cod. Palat. II. inventa sit, tamen etiam Handium (Tursell. II. p. 742.) defensorem nacta est, sic perrexit: „Man scheint hier nur daran Anstofs genommen zu haben, dafs *a vobis* statt des Dativs *vobis* in Bezug auf das Partic. praes. pass. gesetzt ist, was aber so häufig ist, dafs es nicht angefochten werden darf. Man könnte ferner einwenden, dafs das *a vobis* vielmehr mit *videantur* zu verbinden sei, was freilich unerträglich wäre; aber dazu ist gar keine Nothwendigkeit vorhanden, und der Zusammenhang zeigt, dafs Cic. eigentlich sagen wollte: *ne contemnantur*, und dafs er dies nur durch das gewöhnliche bescheidene *videri* milderte, wobei ihm denn doch das *contemni* der vorwiegende Begriff blieb." Quodsi haec est causa structurae insolentioris (neque ego video, qua alia ratione defendi possit), non poterit amplius dubitari, ad utrum participium *a vobis* referendum sit, ad *providenda* an ad *contemnenda*, de qua re interpretes in diversas partes videmus abiisse.

Atque ut omnes intelligant etc.] „*Παρέκβασις* in rerum a L. Lucullo praeclare gestarum commemorationem, ex quibus praesentis negotii deliberatio deducitur. Eius favorabilem facit ingressum quadam veluti praefatione usus, ne nimio studio praedicandi Pompeii quidquam laudis rebus a Lucullo gestis detraxisse videatur, cuius potius triumpho quam conatibus succedere Pompeius est creditus [v. Plut. Luc. 35.]." OMPHALIUS. Ac bene fecit orator, quod, priusquam de belli magnitudine diceret, Luculli laudem praemisit: de qua si dixisset magnitudine belli iam demonstrata, nemo iam oratoris verbis fidem habuisset, sed quidquid addidisset, non veram excusationem, sed necessitate quadam expressam duxisset. Nunc vero et laudes oratoris veritatis speciem prae se ferunt, et animi audientium magna exspectatione suspensi tenentur, qui fieri potuerit, ut rebus tantis a Lucullo gestis tamen reliquum bellum periculosum esse posset. Ceterum videas, quam egregiis laudibus Tullius postea Lucullum in Acad. pr. II. c. 1. prosecutus sit.

forti viro et sapienti homini et magno imperatori] Sic recte pro vulg. *sapientissimo* ex Col. et Erf. post Modium Graevius edidit, sed in eo erravit, quod copulam ante *sapienti*, quae saltem in Erf. et Pal. IX., qui item *sapienti* habet, non deest, contra morem Tullianum omisit. Nec tamen omnium editorum plausum tulit. Ernesti enim: „Graevius," inquit, „dedit *sapienti*, quod est ad concinnitatem aptius. Sed retinui *sapientissimo*, quia licet suspicari, sic dixisse Ciceronem accommodate ad populi et vulgarem de Lucullo opinionem, quae ei doctrinam et sapientiam summam tribuebat, non parem fortitudinem et scientiam rei militaris, quia militiam non attigerat: v. Cic. Acad. L. II. princ." Contra monuit Benecke: „Ego istam voluntatis insulsitatem

atque consilii elegantissimo oratori tribuere vehementer dubito. Quid quod Lucullus ex ipsa imperatoria virtute maximam sibi gloriam pepererat, adeo ut Cic. summis eum laudibus tolleret l. c. Verius igitur *sapientissimum hominem* intelligimus hominem prudentissimum et peritissimum, et sic vocatur etiam p. Mur. 9, 20. *Quid Murena interea? fortissimo et sapientissimo viro, summo imperatori, L. Lucullo, legatus fuit.*" Quod tamen idem vir doctus lectionem *sapienti*, quae nunc Parcensi quoque et Pal. IX. confirmata est, librariorum sedulitati, quibus curae fuisset orationis partes aequales reddere, deberi existimavit, et superlativi usum post positivum exemplis permultis constare dixit, id quidem vehementer improbandum est. Nam plerique loci Tulliani, quos fidei causa attulit, si libros meliores consulas, eius sententiae non suffragantur, sed vel maxime refragantur. Sic in or. de Leg. agr. II. §. 96. recte nunc editur ex Erf. *cum suis optimis atque uberrimis campis*; contra p. Mil. §. 74. ex eodem et Tegerns. et Saxon. *ab equite R., splendido et forti viro, T. Paconio.* In loco de Nat. D. I, 21, 58. (cf. etiam III, 27, 68., quem Davisius attulit, ubi tamen Heindorf. ex cod. Glog. scripsit: *de quo rectissime et verissime loquitur Atreus*) lectio saltem incerta est, et si Cic. vere scripsit „*de re obscura atque difficillima*," superlativus ex sententia et ex gradatione facilem excusationem habet. Locus denique de Divin. I, 22, 44. *in coelo contueri maximum ac mirificum facinus* propterea afferri non debebat, quod adiectivum *mirificus* iam per se ipsum ad superlativi vim accedit, quales loci plures inveniuntur, ut in Verr. IV. §. 64. *eximium ac pulcherrimum donum.* Auct. ad Herenn. IV. c. 8. *truculentissimum ac nefarium facinus*; eodem fortasse pertinet ibid. IV. c. 32. ult.: *ut perfecte et perpolitissime possint esse absolutae.* Alii quoque loci, in quibus dispares gradus coniuncti legebantur, nunc ope meliorum librorum correcti sunt, ut p. Sulla §. 90. et plures Verrinarum, v. Zumpt. p. 633. et 689. Restant ex locis Tullianis, quos excitavit Benecke, duo soli, in quibus ista inconcinnitas librorum consensu confirmari videtur, Acad. II, 41, 127. *haec nostra ut exigua et minima contemnimus*, et p. Cluent. §. 202. *virum plurimis mortalibus carum atque iucundissimum.* Sed si quis propter haec rara exempla auctoritatem librorum optimorum in loco, de quo agitur, negligendam esse affirmaverit, is mihi aut parum diligens in re critica exercenda aut suorum praeceptorum nimis tenax esse videatur. Accedit quod superlativus iste in libris deterioribus medius inter duo positivos legitur: quem si h. l. orator posuisset, calumniatori iustam reprehendendi occasionem dedisset, quod sapientiam Luculli ita laudasset, ut de ceteris eius virtutibus, quas hic proprie laudare debebat, aliquid saltem detrahere voluisse videretur.

dico ... instructas fuisse] Poterat vulgari sermonis Latini usu oratio sic continuari: *ut omnes intelligant ..., eius adventu copiae instructae*

erant; sed ut gravitatem verbis suis orator adderet, hic ita locutus est, ut recentiores loqui solent. Quare illud *dico* fortius existimandum est quam nostrum *ich sage*: vertas hoc loco: *so erkläre ich*.

eius adventu] Benecke disputatione magis subtili quam vera evincere studuit, h. l. praepositionem *in*, quae in aliquot veteribus editionibus invenitur, necessario recipiendam esse, negans in his substantivis verbalibus ablativum sine praepositione usurpari ad ipsum articulum temporis indicandum, nisi pronomine aliquo aut adiectivo addito. At ut huius ablativi ratio persaepe ea est, ut res non tantum tempore, sed etiam causa atque consecutione coniunctas indicet, ita haud exigua est locorum copia, in quibus nihil nisi ipse temporis articulus, quo quid fiebat, significatur, habentque tales ablativi non solum adiectivum vel pronomen (demonstrativum vel possessivum) adiunctum, sed etiam genitivum nominis vel pronominis; v. Cic. Verr. IV. §. 76. et 85. Caes. B. G. V, 54. *cuius frater adventu Caesaris in Galliam regnum obtinuerat*; cf. impr. Haase ad *Reisig. Schol. L. L.* p. 714. et Naegelsb. *lat. Stilistik* p. 189. Nec intelligo quod Benecke in principio longioris adnotationis suae scripsit: „Hunc ablativum Matthiaeus explicat: *cum is advenirct*, quae quidem ratio, etsi per se optima est, quam parum tamen hic accommodata sit, quivis sibi facile persuadebit, qui loci sententiam perspexerit." Equidem enim non video, quid verba illa aliud valere possint, nisi quod Matthiae significavit: *zur Zeit seiner Ankunft*.

maximas Mithridatis copias] cod. Verd. et unus Monac. *Mithridati*. „De hoc genitivo v. notas ad III. in Verr. c. 66. IV. c. 6. et alibi ad Verrinas." GAR. Ernesti sententiam, qui *Mithridati* pro dativo habuit, Benecke satis refutavit. De numero autem copiarum v. Prolegg. p. 16. not. 23. et 27.

instructas fuisse] „Verbum *fuisse* receptum a Grutero est e codd. Hitt. et Verd.; his accedit tertius Erf. Tum illud verbum vetus scholiastes habet leviter corruptum: est ipsum rectissimum; quod enim modo finito dicendum erat: *copiae M. instructae erant*, *urbs obsidebatur*, infinitivo fit: *instructas fuisse*, *obsessam esse*. Omittendi quae fuerit causa, patet maxime ex duobus codd. Oxx., in quibus additum est *deletas* (*fuisse d.*), ex quo deinde factum ab aliis *esse delętas*. Non ferebant in laudando Lucullo describi rerum statum; narrari aliquid gestum volebant, ut voluit etiam Heumannus. Sed obliti sunt idem fieri in proximo membro (*urbem obsessam esse*), tum demum subiici factum Luculli." Ex MADV. Opusc. p. 130. Cf. etiam Opusc. alt. p. 218. not. Recte iam Matthiae monuerat interpolationes loci inde exortas esse, quod, cum in sqq. clades regi illatae commemorentur, hic etiam clades regi ad Cyzicum inflictam primo loco memorari debuisse librarii existimavissent; sed Ciceronem, ut Luculli virtutem verbis magis ex-

tolleret, primo loco prosperum Mithridatis statum commemorasse, eique secundo loco Luculli victoriam adiunxisse.

urbemque Asiae clarissimam] Florus III, 5, 15: *Cyzicum, nobilis civitas, arce, moenibus, portu, turribus marmoreis, Asiaticae plagae litora illustrat.* De rebus autem ante Cyzicum gestis v. Drum. IV. p. 129. et Prolegg. p. 16.

§. 21. *quae ducibus Sertorianis* etc.] imprimis L. Vario, senatore Romano. Bis autem superata est, primum inter Tenedum et Achaeorum portum, deinde prope Lemnum; v. Prolegg. p. 17.

studio atque odio inflammata raperetur] Sic Coloniensis; Erf., Pal. IX., Verdensis: *studio inflammata r.*; codd. reliqui: *studio inflammato r.* „Quamvis *studium* dicere Sertorianos *inflammasse*, qui civilium discordiarum furore perciti ad reip. sedem adspirabant, aptius videri possit, tamen grave verbum adiectivo fit gravius, *studio inflammato*, ut Tusc. IV, 32. *sic flagitiosi* (sunt), *qui eas inflammato animo concupiscunt*: p. Sest. 6. *ad tribunatum contento studio cursuque veniamus*: Tusc. V, 24. *ad investigandam veritatem studio incitato* (sit necesse est). Cf. Wopk. L. Tull. I, 8. Vox autem *raperetur* gravissima est. In re non atroci, qualis est ambitio, Sall. Cat. 3, 3: *studio ad rem publ. latus sum.* Differunt haec non constructione, sed vehementia verborum, quam locus et res a Tullio postulabat: p. Cluent. 5. *inflammata ferri libidine*". Garat. 1. et 2. Adde quae ipse congessi ad or. p. Sestio §. 117. p. 269. Recte tamen lectionem optimorum librorum *inflammata* cum Steinmetzius, qui locum simillimum de Offic. II, 11, 38. *ad quas* (res) *plerique inflammati aviditate rapiuntur*, comparavit [quem ipsum Garat. quoque ad marg. adscripserat], tum Benecke satis firmarunt. Difficilius est dictu, quid de lectione unius Col. *studio atque odio* statuendum sit, quae a Klotzio et ab Orellio (in Praef. ed. min.) probata, a Madvigio spreta est. Atque Klotzius quidem propterea eam recepit, quod vv. *atque odio* ob similitudinem terminationis facile intercidere potuerint, sententiae optime conveniant, nulla denique ratione ex interpretatione aliqua profecta esse videantur. Quae ut vera sunt, ita haud inepte L. de Ian suspicatus est illa ex adnotatione marginali „al. *odio*" originem ducere potuisse. Utcumque est, nolui lectionem memorabilem, quae sententiae accommodatissima est, aspernari. Cf. Lucilii verba in Cic. Tusc. IV, 21. extr.: *usque adeo studio atque odio illius efferor ira.*

depressam] cf. p. Arch. §. 21. *nostra semper feretur et praedicabitur L. Lucullo dimicante cum interfectis ducibus depressa hostium classis et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis.*

multis proeliis] „praesertim ad Aesepum vel Granicum; v. App. Mithr. 75. Flor. III, 5. Plut. Luc. 11: λέγονται δ' ἐκ τοῦ παντὸς ἀκολούθων τε καὶ μαχίμων ὄχλου μυριάδες οὐ πολὺ δὴ τῶν τριάκοντα

λείπουσαι διαφθαρῆναι. Liv. Epit. 97. *L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, caesis hostium amplius quam sexaginta milibus.*" STEINM.

patefactumque ... Pontum] Cf. p. Arch. 9. *populus R. aperuit Lucullo imperante Pontum, et regiis quondam opibus et ipsa natura regionis vallatum.* Quod hic dicit: *ex omni aditu clausus.* MAN.

clausus fuisset] Sic recte Erf. et Pal. IX. pro *cl. esset*; v. Ben.

Sinopen] In Verr. I, 34, 87. *ad Sinopam* legitur, ubi v. Zumpt. et Haas. ad Reis. p. 67. not. 43. De re autem adnotavit Steinmetz falsum esse, quod Anonymus tradidit, opimas illas Ponti civitates a Lucullo deletas esse; nam Plut. Luc. c. 19. *Καλλίμαχος ὁ στρατηγός ... τότε ὑπὸ Λουκούλλου κατασ τρατηγηθείς ... προσβαλόντος αἰφνιδίως καὶ κατασχόντος οὐ πολὺ μέρος τοῦ τείχους, αὐτὸς ἐκλιπὼν τὴν πόλιν (Ἀμισὸν) ὑφῆψεν εἴτε φθονῶν ὠφεληθῆναι Ῥωμαίους εἴτε βραστώνην φυγῆς ἑαυτῷ μηχανώμενος.* et c. 23: *ἐπολιόρκει Σινώπην, μᾶλλον δὲ τοὺς κατέχοντας αὐτὴν βασιλικοὺς Κίλικας, οἳ πολλοὺς μὲν ἀνελόντες τῶν Σινωπέων, τὴν δὲ πόλιν ἐμπρήσαντες διὰ νυκτὸς ἔφυγον.* Et App. Mithr. 83. de Sinope: *Λούκουλλος δὲ τὴν πόλιν εὐθὺς ἐλευθέραν ἠφίει δι' ἐνύπνιον, καὶ Ἀμισὸν ἐπὶ τῇ Σινώπῃ συνῴκιζε κτλ.* Cf. etiam Drum. IV. p. 137 sqq.

ceterasque urbes Ponti et Cappadociae permultas] Haec verba Heumannus non recte explicat *ceteras urbes Ponti ac praeterea permultas Capp.* Etenim sic de Inv. II, 1: *is et ceteras complures tabulas pinxit.* BEN.

uno aditu adventuque] Sic Erf. Pal. IX. Salisb. Oxx. H et S, Paris. 1. et 9. apud Steinm. Ad hanc lectionem proxime accedit lectio Ascens. 1511. *auditu adventuque* et Venetae 1472. *audito adventuque.* Iam cum in aliis codd. copula plane omittatur, in aliis *aditu atque adventu* scriptum sit, Benecke suspicatus est voc. *adventu* ab interprete super *aditu* positum et deinde textui inculcatum esse. Mihi haec suspicio ob eam causam importuna videtur, quod *adventus* in codd. optt. eam copulam habet, quae h. l. aptissima est, et omnino vix ulla interpolationis vestigia, quae satis multa Benecke sibi detexisse visus est, in libris melioribus huius orationis apparent. Tantum autem abest, ut in sententia ipsa quidquam insit, quod istam suspicionem confirmet, ut adiectum *adventuque* et ipsa alliteratio (*aditu adventuque*) orationem egregie amplificet. De re autem v. Prolegg. p. 17. not. 32.

esse captas] „Observat Gruterus veteres editiones et multos codd. Mss. [immo omnes adhuc collati sic habent] pro *captas* exhibere *clausas.* Attendant, inquit, curiosiores: nam non est temeraria talis conspiratio libraria. Ego vero dicam Grutero, unde hic error. Scil. paulo ante praecesserat: *aditu clausus.* Cum igitur hic iterum occur-

rat vox *aditu*, librarius incidens in superius *aditu* repetiit *clausus*, ex quo alius fecit *clausas*: a quo alii descripserunt et ita errorem in plures codd. propagarunt." Heum. Lectio *esse captas* in Veneta a. 1483. primum apparere videtur; certe in edit. a. 1472., quam ipse excussi, et in edit. 1480. teste Garatonio codd. omnium scriptura invenitur. Steinmetzius autem monuit Anonymum *captas* in suo cod. habuisse videri, quum ad vv. *Sinopen atque Am.* haec adnotaverit: „*Sinope et Amisus opimae sunt civitates Ponti. Istas civitates expugnavit Lucullus et cepit, et quamvis tales erant istae civitates, tamen deletae sunt a Lucullo.*" At poterat ille ita scribere, etiam si aliam lectionem ob oculos habuit. Debebimus igitur acquiescere in causa depravationis ab Heumanno significata; nam quod Lud. de Ian acute coniecit, lectionem *clausas* fortasse ex primaria *reclusas* originem duxisse, mihi propterea non probatur, quod *recludere* in hac sententiae conformatione poeticum quendam colorem inferre nec ad vv. *aditu adventuque* (i. e. uno impetu) satis quadrare videtur.

patrio atque avito] nam a Mithridate I. hic erat sextus. Weiske.

ad alios se reges] ad Tigranem: et postquam cum Tigrane victus est, ad regem Parthorum legatos misit, auxilia postulantes. Sylv.

ad alias gentes] Florus III, 5, 21. *Itaque conversus ad proximas gentes totum paene orientem ac septentrionem ruina sua involvit. Iberi, Caspii, Albani et utraeque sollicitantur Armeniae* etc.

integris vectigalibus] Multis populis et regibus opes et pecuniam Lucullo conferentibus, nulla prorsus ex aerario publico drachma suscepta ipse Lucullus suis sumptibus bellum conficiebat; v. Plut. Luc. c. 29. Agricola.

satis opinor haec esse laudis] Sic Erf. et Pal. IX.; vulgo *hoc*, quod Orelli (2) retinuit. „Pronomen ad ista omnia, quae de rebus gestis Luculli orator dixit, refertur." Ben.

atque ita, Quirites] „Sensus hic est: atque ita laudatum esse opinor Lucullum, Quirites, ut hoc vos intelligatis, a nullo ... eum similiter esse laudatum." Orelli. De variis corruptelis, quas huius loci scriptura in libris mss. experta est, v. Beck. et Beneck.

ut [*hoc*] *vos intelligatis*] „Cur *vos*? an emphasis inest? Concederem, si oratio esset aut in senatu aut in iudicio habita. Puto natum esse ex temere repetito *hoc*." Weiske. Mihi *vos* rectissimum videtur; orator enim: Si non, inquit, amici Luculli, qui me eius laudibus obtrectare dictitant, at vos certe, quorum integrum est iudicium, facile intelligitis etc. Contra incertum est, num *hoc*, quo facile carere possumus, genuinum sit, quoniam ex quinque codd. familiae melioris, quorum lectionem cognitam habemus, Erf. et Pal. IX. soli voculam cum libris deterioribus servarunt. Similiter in or. p. Sulla §. 2. s. f.

optimus Pal. IX. unus habet: *sic ego sentio*, ceteri omnes: *sic hoc ego sentio.*

istorum] Catullum et Hortensium praecipue significat. MAN.

qui huic obtrectant legi] Lucullo faventes, cuius gloriam Pompeius, confecto Mithridatico bello, imminuit. MAN. Quanto magis autem adversarii res a Lucullo gestas extollebant, tanto minus esse bellum, quod reliquum erat, populo R. persuadere studebant. Quod si non periculosum esse probarent, facilius se sperabant legem dissuasuros esse, quae Pompeio potestatem extraordinariam nulla causa cogente committeret.

CAPUT IX.

§. 22. *Primum ex suo regno*] „Incongruum videtur exemplum, quod imperatori feminam comparavit; sed ex omni parte quadrare monstratur primum ex loco, quod Mithridates Ponticus fuit, quae patria Medeae est; ex fato, quod, ut illa parricidium fecit, sic et iste auctore Sallustio et fratrem et sororem occidit, ad postremum comparans exitium *)." SCHOL.

sic Mithr. profugit] „Particulam *sic* auctoritate unius Erf. textu eieci. Comparatio enim cum in sqq. declaretur qua in re potissimum vertatur, aptissime ibi Tullius particulam *sic* praemisit, quae si iam praecessisset, ineptissime iteraretur. Itaque nihil verisimilius, quam *sic* ex sqq. oculorum aberratione huc tractum esse. Tota autem Medeae comparatio et Mithridatis in eo consistit, quod uterque rationem quandam iniverunt, qua celeritas eorum, qui persequerentur, retardaretur. Nam quod Scholiastes de parricidio Mithridatis, quo cum Medea conferretur, hic somniavit, non opus est ut refellam." EX BEN. Bene tamen monuit Scholiastes comparationem ob eam quoque causam aptissimam esse, quod Medea et ipsa Pontica fuit. Quod autem *sic* in Erf. et Pal. IX. omissum est, ceterorum criticorum iudicium mihi probatur, qui omnes librarii negligentia id factum esse existimarunt. Hac enim particula omissa oratio quasi manca atque hiulca apparet; nec obstat, quod eadem infra iteratur. Nam Medeae fuga compluribus verbis descripta necesse erat ut particula comparativa repeteretur.

Medea illa] Cf. Cic. de Nat. D. III, 26., quo in libro hi versus ex vetere poeta recitantur:

---

*) In extremis mendum subesse suspicor, quod tollere nescio. Pro *ex fato* Orelli haud improbabiliter coniecit: *ex facto.*

postquam pater
appropinquat, iamque paene ut comprehendatur parat,
puerum interea obtruncat membraque articulatim dividit,
perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
ut, dum nati dissipatos artus captaret parens,
ipsa interea effugeret, illum ut maeror tardaret sequi,
sibi salutem ut familiari pareret parricidio.

Cetera lege apud Ovid. Metam. VII. Horom. Hos versus oratori ob oculos versatos esse imprimis apparet ex vv. *illum ut maeror tardaret sequi*, quae fere ad verbum repetiit. Totam denique periodum a Scholiasta Lucani ad X, 464. (p. 798. ed. Web.) citari notavit Garat. in Cur. sec.

fratris] Absyrti; *parens* Aeetes.

in iis locis, qua] sic in or. p. Caec. §. 44. *locum se, qua effugerent, demonstrasse*; ibid. §. 21. *ad omnes introitus, qua adiri poterat*; v. Iordan. p. 178. et Madv. ad Cic. de Finn. IV. §. 30. p. 532.

eorum collectio dispersa] „Quum Goerenzius ad Cic. de Finn. p. 326. coniecisset esse scribendum *eorum collectio dispersorum* [qua scriptura etiam latinitas violatur; nam si Tullius, quod Orelli recte monuit, ita scribere voluisset, *eorum* non addidisset], alii hypallagen in auxilium vocassent, Moebius iure contendit recte dici *collectionem dispersam*, ut mirer post eum tamen fuisse, qui per hypallagen illud his verbis posse dici putaret quod requirebat Goerenzius. At id neque potuit dici istis verbis neque dicendum fuit h. l., ubi quum illud iam dictum esset, dissipata fuisse ac dispersa membra, hoc potissimum dicendum fuit, ista membra disperse fuisse colligenda. Itaque recte probaverat Moebius Gesneri rationem, qui haec verba [in Chrestom. Cic. c. 45. p. 161.] ita explicavit, ut diceret istam membrorum collectionem diversis locis fuisse instituendam, atque hanc ob causam dici dispersam. Recte denique comparavit Moebius Caes. B. G. VIII, 7, 7. *pabulatione autem, quae propter anni tempus quum exigua tum disiecta esset*, ubi *pabulatio disiecta* eodem modo dicitur, quo a Tullio *collectio dispersa*." Klotz ad Cic. Cat. mai. p. 102. Propterea autem orator *collectio dispersa* dicere maluit quam *collectio dispersorum*, quod ita species longioris morae audientium animis magis subiicitur.

sic Mithridates fugiens etc.] v. Prolegg. p. 17. not. 33. „Simili fere modo Alaricus, Gothorum rex, a Stilichone victus, hostium insectationes retardavit. [Cf. tamen Claudian. de bello Get. v. 613 sqq.] Tryphon, Syriae rex, ut scribit Frontinus II, 13., victus per totum iter fugiens pecuniam sparsit: quam cum Antiochi equites colligerent, ipse effugit." Omph.

ex tota Asia direptas] Invidiose hoc dicit, ut animos populi R.

hac commemoratione vulneratos inflammet. LENIC. Iniuria Lambinus maluit *dereptas*; v., si tanti est, Ernest. in Clavi et Beneck. ad h. l.

ita illum in persequendi studio etc.] *illum*, Aeetam: *hos*, Luculli milites. HOT. Cum in Erf. sit scriptura „*illum a tam pers. studio*," quam Pal. quoque IX. et margo Cratandri habet, Benecke non multum abfuisse scribit, quin *a* reciperet, si modo depravatum illud *tam* quid sibi vellet, melius perspectum habuisset. Nam vix negari posse, illam scripturam multo aptiorem esse atque elegantiorem (?), neque talem, quae ab librariis ducere originem existimari debeat, coll. ep. ad Fam. V, 17. *a scribendo retardarunt* et or. p. Caec. §. 77. *a praesentis laude tardaret*. At ut concedamus Tullium ita scribere potuisse (add. *morari ab itinere* ap. Liv. 23, 28, 9., ubi v. Fabr.), tamen improbandum videtur, quod Orelli (2) ex uno Parcensi *a* in verba oratoris recepit. Quod enim de origine mendi in Erf. scripsit: „*a tam* ortum puto ex annotatione „„*a* vel *in*."" Cum *vel* in codd. scribatur litt. *l* cum lineola transversa; ex *lin* scriba fecit *tam*:" id vereor ut multis probetur. Mihi verisimilius videtur, scripturam illam singularem ex glossa marginali „*Aectam* sive *Aetam*" ad *illum* ascripta originem duxisse; nam apud doctos saeculi XVI. pater ille Medeae Aetes vel Aetas audire solet. Quodsi haec est origo mendi in Erf. et Pal. IX., nemini iam mirum erit, quod in alio cod. eiusdem familiae *tam* abiectum et sola praepositio *a* servata est.

§. 23. *in illo timore et fuga*] „Haerent hic Hotomanus [?], Gulielmius, Gruterus, *terrore*, *tempore* [ut est in Erf. et Pal. IX.; sed lectio *timore* cum reliquis codd., tum Scholiastae lemmate confirmatur] *ex fuga* subiicientes. At Sall. Iug. 55. *quo fuga atque formido latius cresceret*. Liv. 10, 14, 20. Cic. p. domo 7, 17. Liv. 10, 14, 20. 22, 59, 8. 25, 6, 13. 26, 2, 13." I. FR. GRONOV. ad Liv. XXVI, 44, 5. Addit Benecke or. p. Scaur. §. 9. *cum audisset Arinem cum illa sua metus et fugae simulatione se Romam contulisse*.

excepit] At initio Mithridates a Tigrane ne in conspectum quidem admissus erat; v. Drum. II. p. 141 sq.

plures etiam gentes] Plut. in Luc. 26. numerat Medos, Adiabenos, Albanos, Iberos et qui circa Araxen sine rege sunt. HOT.

metus iniectus iis nationibus] Recte adnotavit Benecke scripturam *his nat.* falsam esse; verba enim *iis nat.* non ad nomen praecedens *plures gentes* referenda esse, sed cum enunciatione relativa, quae sequitur, cohaerere. De re autem v. Drum. IV. p. 423. not. 56.

neque lacessendas bello neque tentandas] „*Tentare* minus est quam *lacessere*: itaque in negatione postponitur." SYLV. „Minus est *tentare vicinam gentem* quam *bello lacessere*. Hoc posterius est *ei bellum inferre*, illud est *illatis ei nonnullis incommodis experiri*, *quo id ferat animo*, sive *belli occasionem ei praebere*. In or. agr. II. c. 7. dicens noster *leviter ali-*

quem tentare quo id animo ferre possit, luculentum se praebet huius loci interpretem." Heum. Benecke miratur, quod Matthiaeus hanc Heumanni adnotationem plane falsam recoquere potuerit, et ipse haec de discrimine duorum verborum praecipit: „Cum aliquem *bello lacessere* dicimur, id agimus, ut ille variis provocatus iniuriis adversus nos in bellum descendat, atque ita nos quasi coacti ad resistendum satis idoneam belli gerendi causam habere videamur. Cf. ad Fam. XII, 20. de Orat. II, 56, 230., supra 6, 14. *si propter socios nulla ipsi iniuria lacessiti . . . bellum gesserunt*, et 2, 4. Contra *bello tentare* nihil aliud nisi bello aliquem aggredi significat; v. Drak. ad Liv. VII, 23, 5." Beneckei sententiam L. de lan p. 81 sq. bene sic refutavit: „Die Ansicht Heumann's liegt der Wahrheit offenbar weit näher. Bei dem ersteren Theile seiner Erklärung scheint Ben. unser Ausdruck „*zum Kriege reizen*" allzu sehr vorgeschwebt zu haben, wofür die Lateiner sagen: *pugnam* s. *bellum lacessere*; s. Heyn. ad Aen. X, 10. Oud. ad B. G. IV, 34, 2. Das *bello lacessere* (s. Oud. ad B. G. VI, 5, 5.) enthält aber sicherlich den Begriff des wirklichen oder scheinbaren Beginns des Krieges von Seite dessen, der dazu reizt, d. h. den Gegner zwingt, auf den Krieg einzugehen. Bei dem zweiten Theile hat sich B. durch Drak. zu Liv. VI, 23. irre führen lassen, wo nicht *bello*, sondern *ultimo periculo tentare* und *castra tentare* erklärt wird. In der vorliegenden Stelle ist es offenbar auf einen Uebergang vom Gröfseren zum Geringeren abgesehen, und also eine Erklärung, die auf eine Steigerung in den Begriffen hinführen würde, an und für sich zu mifsbilligen. Die richtigste Erklärung ist die Doederlein's Syn. V, 264., nach der *bello* nicht zu *tentare* herabzunehmen, sondern diefs auf die friedlichen Versuche Roms zu beziehen ist, sich mit anderen Völkern in Verhältnifs zu setzen. Nur fragt es sich, ob *tentare* nicht noch allgemeiner zu fassen „die Gesinnung eines erforschen," wozu dann die von Ben. als unähnlich verworfene Parallele aus Cic. de leg. agr. II, 7, 16. ganz gut passen würde." Vix dubium esse potest, quin *bello lacessere* sit „armis illatis aliquem ad bellandum provocare;" cf. Herzog. ad Caes. B. G. VI, 5. et Seyff. ad Lael. p. 306. Quodsi *bello* etiam ad *tentandas* referendum sit, necesse est ut inter utrumque verbum aliquid intersit; quod quale sit, difficile est intellectu, nisi statuas, *qui bello lacessit* eum esse, qui armis ultro illatis ferociter ad arma repellenda provocet; contra *qui bello tentat* eum, qui leviter irritando voluntatem suam ostendat cum altero vires suas experiundi. Sed verisimilius est, *bello* ad *tentandas* non esse referendum. Hoc inde colligas, primum quod *bello tentare aliquem* est locutio, cuius ego quidem plane simile exemplum nondum inveni (differt enim quod in Tac. Ann. II, 79. legitur: *provinciam bello tentare*), cum in tali re potius exspectes *fortitudinem* vel *vires alicuius tentare*; deinde *bello* eam in

enuntiato sedem habet, quae verisimilius reddat, *tentandas* per se accipiendum quam cum *bello* coniungendum esse; denique ut *bello tentare* in usu fuerit, tamen existimare nolim, duas locutiones tam diversas fuisse, ut particulis *neque — neque* seiungendae viderentur. Nec tamen Doederleini interpretatio mihi probatur. Nam de tentatione hostili, non de arte quadam subdola, quae animum pacatum prae se ferat, hic agi ex universa sententia facile intelligitur. Potius est *tentare nationem*, ut iam Heumannus recte significavit, experiri quo animo iniuriam accipiat feratque (Germanice dicas: *mit einem anbinden*); cf. Liv. IV, 5: *animos vestros illi tentabunt semper, vires non experientur.* Velut si Romani fanum Comanorum diripuissent, non bello ipso nationes illas lacessivissent, sed causam belli intulissent, tentantes, num tam gravem iniuriam patienter ferrent. Similiter de verbo Freundius iudicasse videtur, qui *tentare* h. l. vertit „*aufregen*," coll. or. Catil. I, 10, 27. et p. Rab. perd. 1, 2.

gravis atque vehemens opinio] Est *gravis op.*, quae animum premat atque oneret, sic inhaerens, ut eam abiicere nequeas; *vehemens*, quae fulminis instar animum percutiat gravissimeque concitet. Non est igitur, ut quidam vertit, „*ein gefährlicher und leidenschaftlicher Wahn*, sed „*ein tief ergreifender und erschütternder Wahn.*" Cf. etiam Naegelsb. lat. Stil. p. 236. Hac autem opinione Mithridates ipse animos illarum nationum imbuisse videtur, ut eas quam maxime contra Romanos incitaret.

quae animos gentium pervaserat] Sic Erf. et Pal. IX. soli; codd. reliqui: *per animos*. „Praepositionem propterea delendam censeo, quod v. *pervadere*, sicubi translato significatu usurpatur, cum simplici accusativo videtur coniungi. Valet hoc de aliis etiam similis significationis verbis, quae proprium quum habent significatum, addita praepositione usurpantur, cum vero translate dicuntur, solum accusativum asciscunt. Eiusmodi est *adire ad aliquem* et *adire aliquem*." WUNDER p. LXV. „Quod cod. Erf. omittit *per*, hoc temere existimo praeferri a Wundero. Remittam virum doctissimum, ne longus sim, ad Cort. ad Sall. Cat. 15. fin. et de Livio ad Drak. ad Praef. §. 11. Ipsum *pervadere* cum praepositione offert Cic. in Verr. V, 2, 6. de N. D. II, 57, 145.; *invadere* Tusc. II, 1, 4." BAKE in Bibl. crit. n. V, 2. p. 510. At recte contradixit Klotzius in Iahn. Ann. n. XXII. p. 152: „Bake's Vertheidigung von *per* kümmert uns nicht; wir bemerken blofs, dafs die übertragene Bedeutung von *pervadere* eben sowohl, als die Autorität der befsten Handschrift für den blofsen Accusativ spricht. Ein richtiges Gefühl hiefs die Lateiner wohl *pervadere per agros* neben *perv. agros* im eigentlichen Sinne sagen, dagegen nur *perv. animos* im übertragenen Sinne." Cf. etiam Beneck. ad h. l., qui provocat ad exempla a Drak. ad Liv. V, 18, 10.

congesta, in quibus est hoc Quintil. VIII, 2, 21: *pervasitque iam multos ista persuasio.* In proprio tamen significatu Cicero haud scio an nusquam praepositionem omiserit; nam in uno loco, qui affertur ex orat. Sullana §. 53., ex cod. Tegerns. corrigendum est: *quas in oras maxime quasi morbus quidam illius furoris pervaserat*, ut est infra §. 44. *oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama pervaserit?*

fani locupl. et religiosissimi] „*relig.* i. e. sanctissimi; v. Verr. I. c. 17. et 18. Significari videtur τὸ τῆς Ἐννοῦς ἱερόν, ὃ ἐκεῖνοι (Καππάδοκες) Κόμανα ὀνομάζουσιν. — Τὰ δὲ ἱερὰ ταῦτα δοκεῖ Ὀρέστης μετὰ τῆς ἀδελφῆς Ἰφιγενείας κομίσαι δεῦρο ἀπὸ τῆς Ταυρικῆς Σκυθίας, τὰ τῆς Ταυροπόλου Ἀρτέμιδος. Strab. XII, 2, §. 3. p. 535. v. Dion. Cass. 35. c. 11. Hirt. de b. Alex. c. 66. [*venit Comana, vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia Bellonae templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos eius deae maiestate, imperio, potentia secundus a rege consensu gentis illius habeatur.*] Huius opinionis causa intelligitur ex App. Mithr. 64., qui de Murena a Sulla relicto scribit: *Μουρήνας μὲν διὰ Καππαδοκίας αὐτίκα ἐσβαλὼν ἐς Κόμανα, κώμην ὑπὸ τῷ Μιθριδάτῃ μεγίστην, σεβάσμιον ἱερὸν καὶ πλούσιον ἔχουσαν ... ἐλεηλάτει, καὶ οὐδὲ τῶν ἱερῶν χρημάτων ἀποσχόμενος, ἐχείμαζεν ἐν Καππαδοκίᾳ.*" Steinm. Cum duo fuerint Comana, altera Pontica, altera in Cappadocia sita, dubitant interpretes, utrum fanum sit intelligendum. Ac Manutius quidem putat de fano Pontico Ciceronem loqui, cum dicat *in eas oras*, tamquam hostiles et barbaras; nam Cappadociam Ariobarzani regi socio atque amico paruisse. Eiusdem sententiae est Mannertus in Geogr. Asiae min. I. p. 477. Contra censet Benecke, si omnino Cic. illud Bellonae templum significet, Comana certe Cappadociae hic intelligenda esse, ut extra omnem controversiam positum sit loco Dionis 35, 11: *τὰ δὲ δὴ Κόμανα τῆς τε νῦν Καππαδοκίας ἐστί, καὶ ἐδόκει τό τε τῆς Ἀρτέμιδος τὸ Ταυρικὸν βρέτας καὶ τὸ γένος τὸ Ἀγαμεμνόνειον δεῦρο ἀεὶ ἔχειν. Καὶ ὅπως μὲν ἐς αὐτοὺς ταῦτα ἀφίκετο ἢ ὅπως διέμεινεν, οὐ δύναμαι τὸ σαφὲς πολλῶν λεγομένων εὑρεῖν· ὃ δ' ἀκριβῶς ἐπίσταμαι, φράσω. Δύο αὗται πόλεις ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ ὁμώνυμοι οὖτε πάνυ πόῤῥω ἀπ' ἀλλήλων εἰσί, καὶ τῶν αὐτῶν περιέχουσι**). *Καὶ γὰρ μυθολογοῦσι κτλ.* Quid ex hoc loco ad quaestionem dirimendam colligi possit, equidem divinare non possum. Nam dilucide Dio significat duo Comana suo tempore provinciae Cappadociae fuisse. Quamquam autem Murena thesauros fani Pontici attigisse videtur (dicitur enim per Cappadociam profectus Comana invasisse), tamen ego quoque Comana Cappadociae ab oratore significari

---

*) Male Benecke coniecit: *πέρι αὐχοῦσι.* Vertas: *atque eadem* (scil. sacra) *colunt.*

existimo. Dicit enim tum demum, cum Lucullus Tigrani bellum intulisset, etiam plures nationes propter illam opinionem contra Romanos incitatas esse. Iam cum Lucullus anno sequenti, postquam Pontus totus subactus est, contra Tigranem profectus sit, mirum me Hercule foret, si tum demum nationes illae timere coepissent, ne fanum Ponticum diriperetur. Accedit quod templum Comanorum Cappadociorum etiam religiosius fuisse videtur quam Ponticorum; certe tradit Strabo XII, 3. §. 32. p. 557. templum Ponticum eidem deae dedicatum sacraque ad similitudinem templi Cappadocii instituta fuisse, unde colligas Comana Cappadociae Ponticorum quasi metropolim fuisse.

terrore ac metu] „Servius ad Aen. XI, 357. inter utrumque voc. hoc interesse statuit, ut *terror* sit, qui inferatur, *metus*, quem habeant timentes." E Ben.

urbem ex Tigrani regno] „Tigranocerta, quam urbem militibus diripiendam (thesauris regiis exceptis) Lucullus concessit; v. Plut. Luc. 29. Propterea sperandum fuerat fore ut exercitus pergeret bellum conficere. Neque enim videtur, quod Hotom. suspicatus est, pungere Cic. Lucullum, quod bellum suae utilitatis causa traxerit." Beck.

nimia longinquitate etc.] Vera causa, quominus Lucullus bellum conficeret, erat militum seditio (v. Prolegg. p. 18. et Drum. IV. p. 154 sq.), quam orator turpitudinis vitandae causa — nam turpe est imperatori ab exercitu deseri neque honestum fuit nomini Romano — dissimulavit. Quamvis enim Lucullus artis militaris atque imperatoriae peritus esset, tamen non is erat imperator, qui militum animos allicere posset; v. memorabilem locum Dionis 35, 16.

§. 24. *processio*] Lectio aliquot edd. veterum *processus* est interpolatio, ex substantivo contrario *reditus* nata. Nam ubi de processione militari (*Vorrücken*) sermo est, *processus* non videtur in usu fuisse.

et suam manum iam confirmarat] Graevius malebat: *et suum animum i. c.*, ut iam saeculo XVI. quidam teste Sylvio legere voluerant. „Non est lectio certissima sollicitanda. Rex dicitur suas copias instaurasse, animum iis et vires addidisse, novum bellum instruxisse. Quali animo esset ipse, dicere hic non oportet, et facile intelligitur. De illo Florus III, 5, 20: *animus malis augebatur; itaque conversus ad proximas gentes* etc." Gar.

et eorum, qui se ex ipsius regno collegerant, et magnis adventiciis auxiliis multorum regum et nationum iuvabatur] „Ostendere hic locus potest, quam incaute lectionum auctoritas saepe examinetur. Edebatur enim: *et magnis adventiciis mult. r. et n. copiis iuvab.*; verum *copiis*, quod in nullo, ne pessimo quidem codice est, patet additum esse ad defectum substantivi, quod in omnibus vulgaribus codd. omittitur, explendum. Iam hoc substantivum (*auxiliis*) habent omnium optimi 4 codd., et aptissimum et tale, quod post *adventiciis* propter similem exitum ex-

cidere facillime posset." E Madv. Opusc. p. 130. „Quod Ernestius [cum Garatonio] *auxiliis* reiecit, omnia auxilia contendens *adventicia* esse, hoc ita verum esse contendo, ut, nisi oppositio aliqua fiat, *advent. aux.* recte dici posse negem. Quod egregie docet locus iam a Garat. occupatus, in Verr. IV, 37, 81: *P. Africani eiusmodi fortunam esse mortui, ut eius honos ab his, qui ex eadem familia sunt, defendatur, neque ullum adventicium auxilium requiratur.* Add. de Fin. V, 21, 59." E Ben. His expositis de veritate lectionis *auxiliis* hodie viri docti fere consentiunt; sed maior est controversia, quae adhuc suum iudicem desiderat, de verbis quae antecedunt. Benecke enim putat vv. *et eorum qui se ... collegerant*, ab aliena manu addita esse, indicatura, quibus hominibus Mithridates suam manum confirmaverit. „Id ita esse," inquit, „manifestum reddit cod. Col. scriptura: *et suam manum iam confirmarat eorum opera, qui ad eum ex ipsius regno concesserant*, quae ab vulg. lectione ita discedit, ut duplicem interpolationem ad hunc locum exstitisse evincat. Hanc vero Col. scripturam ne quis genuinam putet, ipsum voc. *opera* obstat, quod vel maxime manum interpolatricem redoleat. Deinde offendo in elocutione *se colligere*, quae quantumvis licet sermoni se Latino insinuet, plerumque tamen sensu translato adhiberi usus voluit. [At v. Auct. de bello Afric. c. 70, 3. et cf. Frid. Schneiderum in Iahn. Ann. Vol. 44. p. 444., cui Cicero, cum h. l. *se colligere* pro *colligi* diceret, voluntariam copiarum collectionem indicare voluisse videtur.] Quod vero Matthiaeus et ante *eorum* delevit, ut *manus eorum* esset, quae constaret ex iis, qui se collegissent, id si non parum Latinum, certe ita tamen durum est, ut ferri nullo pacto possit. [Probavit tamen Madvigius in edit. II. Matthiaei coniecturam, codice Colon. utcumque confirmatam.] Quamquam nec vulgatum verborum ordinem vere Tullianum putaverim. Verbis vero illis insiticiis eiectis omnia sibi optime respondebunt. —" In Beneckei sententiam concedit Orelli (2), quoniam vulgata non possit nisi admodum contorte explicari: „confirmarat et eos quos ante secum habuerat, et eos qui denuo se ad eum adiunxerant." — Quominus vv. *et eorum* ad antecedens *manum* referantur, prohibet cum antithesis parum apta (*suam manum* et *eorum manum*), tum ipsa verbi *confirmarat* collocatio. Iam cum Beneckei ratio nimis audax videatur neque Matthiaei coniectura propterea mihi probetur, quod Tullium sic locuturum fuisse non credo, operae pretium erit saltem periculum fecisse vulgatae tuendae. Cum Cic. dicit Mithridatem suam manum confirmasse, illam significat, quacum in Armenia pugnaverat. Non solum horum animos, iteratis cladibus a Lucullo in Armenia fractos, iam ad dimicandum confirmarat, cum Pontum iterum invasit, sed etiam novis copiis augeri coeperat. (Haec est enim vis imperfecti *iuvabatur*.) Postquam enim res Romanorum in Armenia affligi coeptae erant, hac rerum conver-

sione audita et multi ex ipsius regno ad eum confluebant, et reges nationesque socia arma cum eo coniungebant, ut in dies numerus quoque eius militum augeretur, praeterquam quod animi eorum, quos in Armenia secum habuerat, iam denuo confirmati ac redintegrati erant. Illud autem vix quemquam improbaturum esse credo, quod *auxilia* ad *eorum* refero, cum aptius videri possit, si Cic. dixisset: *et copiis eorum qui* etc. *et adventiciis auxiliis iuvabatur.* Cum enim illi milites non iam in Armenia cum rege pugnaverint, sed tum demum, cum spes eius revirescere coepissent, ei operam suam obtulerint, vere et proprie *auxilia* vocari poterant. Particula denique *et* ante *eorum* eum locum obtinet, ut simul orationem continuare et novam partitionem (*auxiliis et eorum et adventiciis*) instituere videatur, quamquam non necesse est, ut hoc quoque statuatur. — Periculum feci vulgatae contra lectionem memorabilem Coloniensis utcumque defendendae: iam iudicent peritiores.

iam hoc fere sic fieri solere accepimus] „Regalis fortuna quamdiu floret imperio, laborat invidia; defecta miserationem meretur." SCHOL. De verborum autem continuatione, in qua particula *iam* progressio ad aliam rem significatur, Steinmetz apte contulit or. p. Cluent. c. 16. *iam hoc fere scitis omnes, quantam vim habeat* etc. Perperam de loco Handius in Turs. III. p. 129. iudicavit, deceptus prava lectione: *hoc iam fere* etc.

ut regum afflictae fortunae] Hoc est quod in Partit. orat. 57. *nihil est tam miserabile quam ex beato miser.* HOT.

ut his nomen regale magnum et sanctum esse videatur] *Ut*, pro quo editio luntina *quod* inculcavit, pro *ita ut* dictum esse et rem significare, quae ex ante dictis consequatur, iam Sylvius recte monuit. Sed aliam dubitationem Benecke de pron. *iis* (vel *his*) movit. Cum enim sententia ei universalis videretur, pronomini nullum prorsus locum esse affirmavit, eumque secutus Orelli (2) *iis* ut insiticium circumclusit. At vereor ut hoc satis caute factum sit. Si enim pronomen inducas, sententia eam speciem habet, quasi orator ipse iudicium faciat, non alios facientes inducat. Nemo autem facile concesserit oratori Romano cum populo agenti iudicium tam laudabile de nomine regali facere convenisse. Vertas autem: *woraus man zu der Folgerung berechtigt ist, dafs diesen Leuten der Königsname als grofs und heilig gilt.* Pro *iis* autem scripsi cum codd. *his*, quod pronomen ad postremos, quos orator nominavit (*qui vivunt in regno*), referendum h. l. videtur ferri posse. De re denique conferas praeter Cic. p. Deiot. §. 40. et Sallustii fragm. p. 1007. ed. Cort. impr. Curt. V, 28, 2: *in illis gentibus regum eximia maiestas est: ad nomen quoque barbari conveniunt.* ibid. X, 11, 3. *nominis* (regii), *quod gentes, quae sub regibus sunt, inter deos colunt.* Suet. Caes. c. 6. etc. Proprie autem huc pertinet Dionis locus 35, 9: *κἂν τούτῳ καὶ τῶν χωρίων τὰ πλείω διὰ ταχέων ἀνεκτή-*

σατο (*Μιθριδάτης*)· οἱ γὰρ ἄνθρωποι ἐκείνου τε εὔνοιαν ἔκ τε τοῦ ὁμοφύλου καὶ ἐκ τῆς πατρίου βασιλείας καὶ τῶν Ῥωμαίων μῖσος διά τε τὸ ὀθνεῖον καὶ διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἐφεστηκότων σφίσι κακουχεῖσθαι ἔχοντες, προσεχώρησάν τε αὐτῷ κτλ.

§. 25. *Itaque tantum victus*] enthymema est ex pugnantibus. Sylv.

numquam est ausus] Nos dicimus: *wie er nie gewagt hätte zu hoffen.* Cf. Weissenb. Gramm. §. 178. not. 2. et adn. ad Sest. §. 22. p. 123.

in exercitum nostrum] „a Lucullo discedente relictum, legatis commendatum, ut Mithridati iam victo, si quid conaretur, obsisterent." Man. „*nostrum* Erf., omnes Monn., 6 Oxx. Sic supra §. 24. *nostcr autem exercitus.* Cf. §. 23. 8, 21. 11, 30. 12, 32." E Ben.

sicut poetae solent] „Cn. Naevii bellum Punicum primum et Q. Ennii annales videtur potissimum significare." Or. „Cic. will den alten Dichtern, welche die vaterländische Geschichte zur Grundlage ihrer Dichtungen machten, folgen, und, gleichsam als halte er seine Rede zur Verherrlichung der Thaten jener Feldherrn, die Schattenseiten unberührt lassen. Wie viel Glauben mufste ihm also das hochherzige Volk der Römer geben, wenn er gleichwohl den Krieg noch nicht für beseitigt erklärt und behauptet, dafs nur Cn. Pomp. seiner Meister werden könne!" Klotz.

praeterire calamitatem] Cic. de Finn. I. §. 57: *est autem situm in nobis, ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus et secunda iucunde ac suaviter meminerimus.* Lenic. Significantur autem clades M. Fabii et C. Triarii; v. Prolegg. p. 18. et Drum. IV. p. 155 sqq.

ad aures Luculli imperatoris] „E vestigiis codicis Erf. legendum videtur: *ad aures imperatoris*: est enim in illo cod. *ad aures Luculli imperatoris* [vulgo: *ad aures L. Luculli*]. Iam patet illud voc. nomini proprio neminem interpretandi causa additurum fuisse, contra, quum *imperatoris* scriptum fuisset, fuisse cur quis nomen superscriberet; idque additamentum in bono cod., ut saepe factum est, cum vera lectione coniunctum est, in deterioribus eam expulit. Ac sane Cic., qui de Lucullo nihil detrahere videri vult, in hac calamitate narranda eius nomine abstinuit, quod statim apte ponit, sed ita, ut in vulg. scriptura repetitio offendat. Ipsa quoque sententiae ratio postulabat, ut in magnitudine incommodi exprimenda notione generali uteretur, non nomine proprio." E Madv. Quamquam haec argumenta admodum speciosa sunt, tamen Klotzium lectionem Erfurt., quam etiam Pal. IX. et Parc. confirmant, recte sic defendisse existimo. „Obgleich wir aus der ganzen Rede wissen, dafs L. Lucullus den Oberbefehl damals hatte, wenn er auch nicht in Person die Truppen in jener Schlacht befehligte, so mufs uns doch der Redner diefs hier noch in's Gedächtnifs rufen, weil erst dadurch sein Beweis für die Bedeutsamkeit jener

Niederlage in die Augen fällt; er sagt also: *ad aures Luc. imperatoris*, d. h. zu den Ohren des L., der doch Obergeneral war und als solcher die erste officielle Nachricht erhalten mufste. Wer konnte hier *ad aures L. Luculli* beibehalten, ohne aus der Erf. Handschr. den eigentlichen Point *imperatoris* noch hinzuzufügen, oder wohl gar diese Lesart als ein Glossem erklären?"

non ex proelio nuntius] „ὑπερβολικῶς; nam infra expulsum dicit exercitum Ro., non omnino deletum." Man. „Solemnis haec formula veteribus scriptoribus, qua maxime ad ingentem cladem significandam utuntur. Plura huius generis congessi ad Iust. I, 8, 12: *in qua victoria illud etiam memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantae cladis superfuit.* Cf. Drak. ad Liv. IV, 10, 5. Freinsh. ad Flor. III, 11, 10." Ben. Nollem vir doctus huius loci sententiam ad formulae illius rationem revocasset. Neque enim orator aperte dicit nullum nuntium ex illo proelio superfuisse, sed tantam fuisse calamitatis vim, ut rumor eius, incendii instar pervagatus, celerius quam nuntius ad Luculli aures perferretur. Locum autem imitatus est Cl. Mamertinus in Paneg. I. c. 5, 4: *Ita cuncti Chaibones Erulique cuncti tanta internecione caesi interfectique sunt, ut exstinctos eos relictis domi coniugibus ac matribus non profugus aliquis e proelio, sed victoriae tuae gloria nuntiaret.*

§. 26. *in illo ipso malo*] Sic h. l. codd. optimi pro vulg. ordine *in ipso illo m.* Cf. impr. Madv. Opusc. p. 130 sq. et ad Cic. de Finn. p. 26. et Bak. ad Cic. Legg. p. 417.

qui ... iis incommodis mederi fortasse potuisset] Haunius p. 20. haud inepte suspicatur coll. Plut. Luc. c. 35. his verbis significari, Lucullum ipsum aliquam spem habuisse, fore ut iterum novis copiis instructus bello Mithridatico praeficeretur.

v. iussu coactus] abrogato a vobis imperio. Man.

quod ... putavistis] „Affert ex Msto Colon. ep. 97. Modius: *qui putavistis*, probatque notam illam elegantiam, quae in his verbis esset: *vestro iussu qui* etc." E Gar. Bene fecerunt critici, quod lectionem per se optimam, quippe uno cod. testatam, sequi noluerunt: cuius auctoritati tum fortasse plus tribuendum esset, si plenam eius collationem haberemus: nunc vero in tali re codd. melius notos sequi praestat.

imperi diuturnitati] „De ea Mam. Aemilius dictator, cum de minuenda censura cum populo ageret, apud Liv. IV, 24. sic inquit: *maximam libertatis populi R. custodiam esse, si magna imperia diuturna non essent, et temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non posset.*" Ex Hotom. Addit Steinm. Cic. de Rep. II, 12, 23. Sed recte adnotavit Klotz. eas leges iam dudum migratas, neque Lucullum propter diuturnitatem imperii, sed propter partium studium hominum factiosorum et seditiones in ipsius exercitu ortas revocatum esse.

vetere exercitu] Sic recte ex usu Tulliano Erf. et Pal. IX. pro *veteri*, ut statim post codd. omnes *vetere exercitu*; v. Beneck. ad h. l. et Haas. ad Reis. Schol. p. 90. n. 76. Eadem forma in or. p. Sull. §. 49. ult. ex optimo Tegerns. restituenda est.

partem militum] „Guilielmius divinat *partim militum* ... *partim Glabrioni* etc., quod ultimum illud *partim* invenisset in Hittorp., de quo loquendi genere v. Aul. Gell. X, 13." Grut. „De hoc diximus ad c. 7. certiore loco. Hic neque unus satis est codex, neque constaret *partim* adverbium esse, ut vult Gellius, sive potius adverbii speciem induere, cum pro antiquo accusativo accipi commode posset; v. Bos. ad Nep. Dat. c. 10. *magnas praedas cepit, quarum partim suis dispertit* etc. Cic. ipse in Pis. 21. *cum partim eius praedae profundae libidines devorassent, partim nova ... luxuries* etc. Liv. 26, 46. *partim copiarum ad tumulum expugnandum mittit, partim ipse ad arcem ducit.* Sic *navim* et *navem* etc. Permiscuit ista quidem Gronovius III, 2. et illa, de quibus c. 7. egimus: an vero sint deiungenda, non laboro magnopere; v. ad c. 10. de Prov. Cons. Eleganter certe Guilielmius." E Gar. 1. et 2.

stipendiis confecti] „Vett. libri quidem *confecti*, sed quid est *confectus stipendiis*? Nimirum *confectus stip.* est, qui exhaustus est multis stip., sive longae militiae et multorum annorum laboribus, ut *confectus vulneribus, ardore, inedia* apud Tacitum, *lacrimis, maerore* apud Tullium. *Confecisse stipendia* est explevisse stip., ut Tac. loquitur. *Confectis stipendiis* s. expletis dicuntur esse veterani, emeriti. Non est interpolanda vulgatarum editt. scriptura." Graev. „Edidi cum Graevio *stip. confectis*, quod et res postulat, etsi sine auctoritate librorum veterum. Primus sic dedit Aldus, quem secuti sunt Victorius et alii. Gruterus *confesti* revocavit, i. e. fracti, debilitati, sed ei *stipendiis* non convenit; nam *stipendia* proprie non *conficiunt*, sed labor militiae et similia." Ex Ern. „Lectionem librorum *confecti* firmare videtur Anonymus adnotans (ad *dimisit*): *quasi imbellem.*" E Steinm. Benecke in loco tractando sibi ipse non constitit. Primum enim commendat librorum lectionem his de causis: quod locutio ipsa *stip. conficere* dubia sit; quod loci ratio non ablativum qualitatis, sed genitivum requirat, id quod longa disputatione comprobare studuit; quod denique lectio *confecti* per se ipsa non sit absona. Cum enim labor aliaque incommoda stipendia comitari soleant, quid impedimento esse, quominus ipsis stipendiis miles confectus dicatur, praesertim cum longinqua ille militia fatigatus reditum maturum exoptaverit. Sed re iterum deliberata lectionem a se recte defensam ipse improbavit, quod Lucullus, si milites stipendiis confectos habuisset, nihil proficere potuisset; eoque inclinabat, ut Tullium scripsisse suspicaretur: *qui iam stipendii confecti erant.* At haec coniectura omni probabilitate caret, quia numerus sin-

gularis hoc certe loco a latinitate abhorret, in quo de stipendiis complurium hominum sermo est. Non magis placet lectio nullo cod. testata *stip. confectis*, quam ex recentioribus solus Madvigius retinuit. Nam quod *stipendia emerita* (v. Gron. lectt. Plaut. p. 164.), *expleta* (Tac. Ann. III, 33. XIV, 27.), *impleta* (Liv. Epit. 98.) dicuntur, inde non continuo sequitur etiam *stip. confecta* in usu fuisse. Nec video, quid contra librorum lectionem iure dici possit. Quod enim Benecke dixit Lucullum cum militibus confectis nihil profecturum fuisse, oblitus est oratorem de consulto rem in maius auxisse; cum enim partem militum stipendiis confectam dicit, duplex genus significat, et eorum, qui stipendia sua iam expleverant itaque expleverant, ut per corporis valetudinem inter veteranos merere non possent, et eorum, qui cum nondum emerita stipendia haberent, continuis laboribus ita fracti atque exhausti erant, ut ante exactum militiae tempus dimittendi essent. Freundius in Lexico s. v. *stipendium* apte comparavit Liv. 27, 9, 2. *fremitus enim inter Latinos sociosque in conciliis ortus: decimum annum delectibus, stipendiis exhaustos esse.* add. Liv. 42, 33, 3. *militares homines et stipendia iusta, et corpora et aetate et assiduis laboribus confecta habere.* et Tac. Ann. I, 35. Denique moneo rem ipsam ab Appiano Mithr. c. 90. aliter traditam esse.

sed ea vos coniectura perspicite, quantum ... putetis] „Locum sic legendum et interpungendum putavi: *sed ea vos c. perspicitis: quantum* etc. Graevius correxit *perspicite* ex Erf. Verd. etc., ut referretur hoc ad sequentia. Sed quomodo tum stare potest *ea*, quod manifeste ad antecedentia pertinet, sicut ipsum *coniecturae* verbum? Nec arbitror bene dici: *perspicite quantum putetis.*" ERN. Hac Ernesti dubitatione commotus Beckius scribere maluit: *sed ea vos c. perspicitis: quantum i. b. factum putatis.* Ernesti enim etiam dubitaverat, num locus plane integer esset, ratus ante *quantum* aliquid excidisse, vel locum vitiosum esse, idque vitium lenissima correctione *putatis* tollendum existimaverat. Garatoni autem in Cur. sec. aut Ernesti coniecturam recipiendam, aut pron. *ea*, quod cum *coniectura* non possit iungi, delendum putavit, ut locus sic scribatur: *sed vos coniect. perspicite, quantum ... putetis.* Steinmetzium quoque locus vexavit: „nam *perspicite*," inquit, „quod Graevius recepit, mihi cum omni huic loco, tum praecedenti pron. *vos* minime convenire videtur; cf. p. Cluent. 14. *Multa praetereo consulto; vos tamen ... existimare debebitis.* Pronomen *ea*, quod Weiske glossema putavit, abest a Par. 1., in quo *futurum* legitur pro *factum.*" Bene tamen fecit Steinm., quod improbavit scripturam *putatis*, lectionem librorum optt. ex dicendi genere explicans, de quo supra ad 4, 11. dictum est. Lectionem autem *ea ... perspicite* Benecke, Madvig, Klotz aliique reduxerunt, ex quibus Benecke haec adnotavit: „Pron. *ea* primo quidem aspectu offendit, et cum proprie tantummodo ad

unum illud, *quantum factum putetis*, pertineat, certe numerum singularem exspectamus. Verum cum singulas causas, quibus, quantum illud bellum factum esset, dicit perspici posse, subiungat, Tullium verisimile est illas quoque pronomine numeri pluralis amplexum esse simulque populi considerationi subiecisse." Klotzius denique, cui lectio *perspicitis* etiam regulas logicas violare videtur, hanc loci interpretationem in Praef. p. LIV. dedit: „*Vieles übergehe ich mit Fleiſs; aber durch eine Folgerung daraus* [?] *möget ihr einsehen, für wie bedeutend ihr den Krieg zu halten habt* u. s. w." Equidem locum sine causa vexatum sic explico: Multa praetereo consulto, ex quibus cognoscatis, quantum illud bellum factum sit: sed malo vos ipsi ea, quae praeterea afferre poteram, coniectura perspiciatis, quam ex me audire velitis, quantum scil. illud bellum factum putetis. Cf. in Verr. V. §. 64. *quid eius sit, vos coniectura assequi debetis*, ubi item *assequimini* dici poterat. Dixit autem orator *perspicite*, non *videte* (nam in eo quoque nonnulli offenderunt, ut censor Lipsiensis a. 1832. p. 1390.), quod qui causas in epilogo coacervatas reputabat, bellum periculosum esse coniectando plane intelligere poterat.

quantum illud bellum factum] i. e. quam magnum factum, quantopere auctum. Ex Lamb.

integrae gentes] *integrae* dicuntur nondum bello lacessitae, ut *agitatae* sunt Ponticae et Armenicae. Beck.

novus imperator noster] non belli peritus, ut Lucullus, qui septem iam annos in Asia bellum gesserat. Man. Valet autem *imp. noster* h. l. non ὁ ἡμέτερος στρατηγός, sed ἡμέτερος στρατηγός, sive *ein Feldherr von uns*, ut item est infra 16, 46. et 22, 64.

CAPUT X.

§. 27. *Satis mihi multa*] Quae dixit, memorat, et quae dicturus est, proponit: ut quae dicta sunt, haereant firmius, et ad sequentia praeparentur auditores, ut sint attentiores. Ea autem transitio est. Sylv.

quare esset hoc bellum] Sic rectius Erf. et Pal. IX. pro vulg. ordine *quare hoc b. esset*; cf. Stuerenb. ad Arch. §. 1. Madv. Opusc. alt. p. 269. et ad Cic. de Finn. p. 91. De imperfecto autem coniunctivi *esset* v. Zumpt. Gramm. §. 515., contra quem quod Bake ad Cic. Legg. p. 645. monuit, leviter dictum existimo.

dicendum esse videatur] „Valerius Probus p. 1491: *Trochaeus et paeon tertius faciunt illam structuram Tullio peculiarem: esse videatur.* v. Quintil. IX, 4, 73. Dial. de Orat. 23. Idem pleonasmus legitur infra §. 42. et 59." Steinm. Cf. Iordan. ad or. p. Caec. p. 195. Ex simili causa pleonasticum dicendi genus in verbis *putandi* (v. ad 4, 11.)

originem duxisse videtur, ut in illis quae statim sequuntur: *quemnam ... praeficiendum putaretis*; numerosior est enim atque gravior oratio, quam si dixisset: *quisnam ... praeficiendus esset.*

utinam virorum fortium ... copiam tantam haberetis] Eadem argumentandi ratione Cassius Dio 36, 10. Gabinium in rogatione de bello piratico suadenda utentem facit: *Βουλοίμην μὲν γὰρ ἂν πολλοὺς ἡμῖν ἀγαθοὺς ἄνδρας εἶναι, καί, εἴ γε καὶ εὔξασθαι δεῖ, εὐξαίμην ἄν.*

eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam] Cf. ad Fam. III, 11., ubi Pompeium vocat *omnium saeculorum et gentium principem.* add. p. Red. ad Quir. c. 7. p. R. in Sen. c. 3. HEUM. Alias Cic. dicere solet: *hi homines, qui nunc sunt*, ut de Legg. III, 13, 29., quem locum a temeraria Bakii coniectura vindicavi in Annal. Heidelb. 1843. p. 437. et 451.

antiquitatis memoriam] i. e. *die im Gedächtniſs lebende Vorzeit*, sive gloriam veterum virorum, quorum hodie memoria exstat. Lusit autem orator in simili terminatione: *gloriam* et *memoriam.*

virtute superarit] „Sic recte Graevius et alii pro *superavit.* Nam *cum sit unus Cn. P. qui* brevius dictum est pro: *cum sit unus Cn. P. talis, ut non modo* etc. Sed probato indicativo haec, *qui superavit*, in parenthesi essent accipienda; illa autem, *cum sit unus*, non haberent quo referrentur." WEISKE.

§. 28. *Ego enim sic existimo*] „Prima divisio fuit: primum dicendum est de genere belli, tunc de magnitudine, dein de imperatore. Nunc divisionem facit, quid deboat habere imperator. Omnes imperatores quattuor debent ornari virtutibus. Primum debet esse in bellis peritus, ut scientia omnia pericula venientia superet; deinde debet esse fortis; nihil enim valet peritia, nisi accessit virtus: deinde strenuus in bello debet esse: deinde felicissimus. Cic. ultimum posuit, quod est [maxime] necessarium. Lucullus in istis omnibus [eminebat]: fuit peritissimus, fuit fortis, sed infelix." SCHOL. Cf. etiam quae de his quattuor virtutibus Manutius perspicue, historiae testimoniis allatis, disseruit.

in summo imperatore quattuor has res] Ob easdem virtutes iam Gabinius Cn. Pompeium in rogatione sua commendaverat; v. Dion. 36, 10: *Βουλοίμην μὲν γὰρ ἂν πολλοὺς ἡμῖν ἀγαθοὺς ἄνδρας εἶναι ... ἐπεὶ δ' οὔτ' εὐχῆς τὸ πρᾶγμα τοῦτό ἐστιν οὔτ' αὐτόματόν τῳ παραγίγνεται, ἀλλὰ δεῖ καὶ φῦναί τινα πρὸς αὐτὸ ἐπιτηδείως καὶ μαθεῖν τὰ πρόσφορα καὶ ἀσκῆσαι τὰ προσήκοντα, καὶ παρὰ πάντα ἀγαθῇ τύχῃ χρῆσθαι, ἅπερ που σπανιώτατα ἂν τῷ αὐτῷ ἀνδρὶ συμβαίη, χρὴ πάντας ὑμᾶς ὁμοθυμαδόν, ὅταν τις τοιοῦτος εὑρεθῇ, καὶ σπουδάζειν αὐτὸν καὶ καταχρῆσθαι αὐτῷ, κἂν μὴ βούληται.* Quam *virtutem* Cic. in imperatore inesse vult, eandem Dio non re, sed verbis discrepans ita significavit: *δεῖ φῦναι πρὸς αὐτὸ ἐπιτηδείως.* —

Ceterum universam generis quaestionem, quam h. l. Cic. instituere coepit, artium scriptores θέσιν appellabant; v. Cic. Orat. §. 45 sq. ibique Goeller. p. 140 sq.

qui e ludo atque e pueritiae disciplinis] „*Pueritiae disciplina* refertur ad *militiae disciplinam*. Itaque non debebat a Graevio corrigi e paucis mss. *disciplinis*, ut intelligerentur artes, quae discantur a pueris, et deberet addi praepositio: *atque a pueritiae disc.*; nec enim dicimus *proficisci e disciplinis* aut *e litteris*." Ern. „Scripturam a Graevio ex optt. codd. restitutam unice veram esse puto. Verba *ludus* et *exercitus* designant locum, *pueritiae disciplinae* et *militiae disc.* rem, in qua Pompeius versabatur. Iam vero cum multae artes sint, quibus aetas puerilis in ludo impertiri soleat, rectissime *disciplinae* dicuntur, ut p. Cael. 30, 72.; cum vero disciplina militaris proprie non multis variisque in rebus vertatur, verissime ei attribuitur *disciplina*, non *disciplinae*. Neque Tullius praepositionem *ab* voc. *disciplinis* addere debuit. Nam e *ludo atque p. disc. proficisci* nihil aliud significat, quam proficisci e ludo, in quo pueri variis disciplinis erudiri soleant." Ex Ben. Si hanc interpretationem, quae ferri posse videtur, probes, utique statuendum est ad *disciplinas* praepositionem *ab* cognatae significationis supplendam esse; sed malim *disciplinas* interpretari de locis, in quibus pueri artibus imbuebantur (*Unterrichtsanstalten*), quam eandem translationem in ipso vocab. *ludus* usu receptam videmus; cf. p. Sulla §. 89. *huic misero notiora sunt itinera iudiciorum et fori, quam campi et disciplinarum.* Si haec est recta interpretatio, vix dubitandum est, quin vera sit scriptura cod. Colon. et Verd. „*e ludo atque e puer. disciplinis*," quam recipiendam existimavi. Aliter tamen Naegelsbach (*Lat. Stilistik* p. 33.) locum intellexit, qui *disciplinas* vertit: *Jugendunterricht*. — Tetigit verba etiam Haunius p. 8. not. 4., qui suspicatus est Ciceronem acerbum verborum lusum, quo Vindius quidam in Pompeium invectus est, in eius laudem vertisse; v. Plut. v. Pomp. c. 6. ὅθεν ἐκίνει (Πομπήϊος) τοὺς Πικηνοὺς ἀποπειρώμενος, οἱ δ' ὑπήκουον αὐτῷ προθύμως καὶ τοῖς παρὰ Κάρβωνος ἤκουσιν οὐ προσεῖχον. Οὐινδίου δέ τινος εἰπόντος, ὅτι δημαγωγὸς αὐτοῖς ἐκ παιδαγωγίου παραπεπήδηκεν ὁ Πομπήϊος, οὕτως ἠγανάκτησαν, ὥστε εὐθὺς ἀνελεῖν προσπεσόντες τὸν Οὐίνδιον.

ad patris exercitum ... profectus est] annos XVII natus bello sociali; v. Prolegg. p. 8. not. 1.

miles in exercitu fuit summi imperatoris] item patris, tumultu Cinnano; v. Prolegg. p. 4. not. 4. Scripturam autem optimorum librorum in lemmate appositam, pro qua deteriores habent „*miles fuit summi imp.*," Benecke recte Ciceroni vindicavit, cum Wunderus p. LXXIII. ei fidem denegasset.

summi imperatoris] Sic recte audit Cn. Pompeius Strabo; Asculo enim capto a. 89. de Picentibus triumphavit; v. *Kiene, der röm. Bundesgenossen-Krieg*, p. 208 sqq.

maximi ipse exercitus imperator] quem Sullae adduxit; v. Prolegg. p. 4. not. 5. et 6. Ceterum iam Hotomanus apte comparavit Auct. de bello Afric. c. 22. *M. Cato interim, qui Uticae praeerat, Cn. Pompeium filium multis verbis assidueque obiurgare non desistebat. Tuus, inquit, pater, istuc aetatis cum esset, et animadvertisset rem publ. ab audacibus scleratisque civibus oppressam ..., gloria et animi magnitudine elatus, privatus atque adolescentulus paterni exercitus reliquiis collectis paene oppressam funditusque deletam Italiam urbemque Romanam in libertatem vindicavit; idemque Siciliam, Africam, Numidiam, Mauritaniam mirabili celeritate armis recepit. Quibus ex rebus sibi eam dignitatem, quae est per gentes clarissima notissimaque, conciliavit, adolescentulusque atque eques Rom. triumphavit.*

qui saepius cum hoste conflixit etc.] Cf. p. Balbo 4, 9: *Quid enim abest huic homini?* (Pompeio) ... *qui pueritiae tempus extremum principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum: cuius plerique aequales minus saepe castra viderunt, quam hic triumphavit: qui tot habet triumphos, quot orae sunt partesque terrarum, tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum.*

quam ceteri legerunt] „Constat Lucullum usque ad tempora consulatus expertem fuisse bellorum, post in consulatu historiis studuisse, ut bellica instituta *) cognosceret. Hoc in illo dialogo, qui inscribitur Lucullus, Cic. docet, unde et in Hortensio Lucullus historiam laudavit. Bene ergo: *plura bella gessit*, et adtendit Lucullum: *quam ceteri legere.*" SCHOL. Non possum ab animo meo impetrare, ut credam his verbis Lucullum oblique perstringi; tam illiberalis enim summi viri cavillatio a Ciceronis mente utique alienissima erat. In dictione oratoria non magis de certa persona cogitandum est, quam in verbis quae sequuntur: *qui plures provincias confecit, quam alii concupiverunt*: quamquam ibi quoque Scholiastes adnotavit: *ut dicit Salustius, Lucullus pecuniam Quinctio dedit, ne illi succederetur.*

provincias confecit] i. e. nostram in potestatem redegit [planeque composuit]. Sic ad Att. IV, 17, 3. *confecta Britannia, obsidibus acceptis.* Liv. 40. c. 28. et c. 35. EX HEUM.

non alienis praeceptis] Idem de se praedicavit Marius in or. ad populum, Sal. Iug. 85, 13: *Comparate nunc, Quirites, cum illorum*

*) Sic Orelli et iam ante eum Madvig in Emendatt. ad Cic. Legg. et Acad. I. p. 123. scholiastae verba corrupta „*ut bella destituta cogn.*" emendarunt, frustra dissentiente Fr. Schneidero in Zeitschr. f. Alt.-Wiss. 1845. Suppl.-Heft I. p. 21.

superbia me hominem novum. Quae illi audire et legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi; quae illi litteris, ea egomet militando didici.

suis imperiis] Recte adnotaverunt interpretes a Cicerone hic iactationem illam significari, cum Pompeius in recognitione equitum censori interroganti, num omnia legitima stipendia meruisset, responderet: Πάσας ἐστράτευμαι, καὶ πάσας ὑπ' ἐμαυτῷ αὐτοκράτορι, ut tradidit Plut. in Pomp. Add. Symmachi laudes in Gratianum Aug. c. 8. p. 85. ed. Nieb.

non offensionibus belli] propter Lucullum, qui in Ponto perdidit militem. Schol.

non stipendiis] „quibus nihil efficitur, ut ex verbis contrariis *triumphis* apparet, *in müfsigen Feldzügen.*" Morrius. Oblitus est Moebius, quod Cic. de C. illo Mario in or. p. Balbo §. 47. dixit: *dicat* (Marius) *... se stipendiis, se legationibus bellicis eruditum.* Iam magnum fuisset, si Pompeii adolescentia ad scientiam rei militaris stipendiis erudita esset: etiam maius fuit, quod triumphis erudita est.

triumphis] Triumphaverat adhuc eques Ro. ex Africa de Hiarba, Numidiae rege, et ex Hispania debellatis hostibus reip., Sertorianis ducibus. Man. Cf. Prolegg. p. 5. not. 16. et p. 7. not. 25.

est erudita] „Haec est vera et germana scriptura ex antiquissimo cod. eruta. Quare repudianda vulg. *est traducta*, ut supposita et adulterina. Cf. p. Font. c. 15. *non litteris homines ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis et victoriis eruditos.*" Ex Lamb.

fortuna rei publ.] adversa, quae ista bella excitavit. Bloch. Non omittendum putavi propter falsam Moebii explicationem, quam Crusius repetiit: „*fort. rei publ.*] pro: res publica fortunae, felicitatis suae causa."

civile] adversus Cinnam et Carbonem: *Africanum*, adversus Cn. Domitium et Hiarbam: *Transalpinum*, quo victis Gallis transitum in Hispaniam sibi patefecit.

mixtum ex civitatibus atque ex bellicos. nationibus] „*civitatibus*, quae a populo R. ad Sertorium defecerant." Man. „*Civitatibus* hic ferri non posse videtur. Nam si per *civitates* intelligit Hispanicas et Lusitanicas civitates, cur dicit illud bellum mixtum fuisse ex civitatibus et bellic. gentibus, cum hae civitates ad eas ipsas bell. gentes pertinerent, sive cum hae civitates et hae gentes essent unius eiusdemque regionis et populi? Credo Ciceronem scripsisse: *mixtum ex civibus atque* etc. Hoc *civibus* postea in *civilibus* [ut in Colon. scriptum fuisse traditur] degeneravit, unde refinxerunt *civitatibus*. Sertorianus autem exercitus conflatus erat ex multis civibus Romanis, et ex Hispanis et Lusitanis. *Civiles gentes* posse dici cives Romanos credat ludaeus Apella, non ego." [Guilielmius enim *civilibus* coniecisse dicitur, nisi error fuit Gruteri; v. adnot. crit.] Graevius. Hanc Graevii coniecturam Ernesti

admittendam negat; nam propter paucos illos cives Ro. bellum non potuisse dici mixtum fuisse e civibus et nationibus bell., addendum fuisse *Romanis*. Differre autem *civitates* et *nationes*: nam non omnes nationes civitatem constituere, ut barbaras, quae sine legibus et imperio agant. Contra Blochius in Exc. I. p. 250 sq. et Benecke probare conati sunt, verba *mixtum — nationibus* ex interpretamento inculcata esse, idque iisdem fere uterque argumentis usi. Primum enim suspiciosum esse, quod uni bello eique ne ultimo quidem eorum, quae commemorentur, eiusmodi aliquid additum sit, quod additamentum et orationis concinnitatem evertat et propterea supervacaneum sit, quod verbis seqq. „*varia et diversa genera bellorum*," qualia fuerint illa bella, satis declaretur. Deinde pravam esse adiectivi *bellicosissimis* collocationem, quod Tullius pro sua consuetudine aut ante *civitatibus* aut post *nationibus* collocaturus, aut denique *civitatibus* aliquod adiectivum additurus fuerit. Addit Benecke notionem verbi *mixtum* talem esse, ut hic necessario nomen requiratur, quo plane dissimile significetur: id quod de *civitatibus* et *nationibus* inter se oppositis dici non possit. Blochius praeterea negat se intelligere, quid sit bellum ex *civit.* et *nat.* mixtum. Num illud, in quo pugnet exercitus ex utroque genere mixtus? at hanc inauditam esse metonymian *belli* pro *exercitu bellante*. Non minorem esse difficultatem voc. *civitatibus*, quod durissime explicetur de populis rem publ. rite constitutam habentibus, vel de urbibus, quae more Romano institutae a Romanis defecerint. — Quodsi interrogamus, quid critici recentissimi de loco vexato statuerint, tres praestantissimos in tres diversas partes abiisse videmus. Klotzius enim lectionem *civitatibus* retinuit, sed quomodo explicaret, reticuit; Madvigius cum Graevio *civibus* scripsit, Orelli [2] denique lectionem cod. Parcensis recepit: *mixtum ex incitatis atque bellic. nationibus*, hac adnotatione subiecta: „i. e. quod varie gerebatur, hic finiebatur, illic rursus incipiebatur ab incitatis et bellicosa nationibus Hispaniae." At tale quidem bellum *mixtum* dici non potuit, ut non dicam eiusmodi additamento concinnitatem reliquarum orationis partium prorsus tolli, in quibus bella ex diversitate hostium aut generum armorum (bella terrestria et maritima) distinguuntur. Quid sit *bellum mixtum*, facile cognoscitur ex Tac. Hist. I, 2: *trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta*: et IV, 22. *mixta belli civilis externique facie*. Est enim tale, in quo cives Rom. vires suas cum externae nationis coniunxerunt. Neque illud dubitationem movere debuit, quod orator soli bello Hispaniensi aliquid addendum putavit. Cetera enim bella, quae nominantur, ipso nomine propriam suam naturam prae se ferunt, non item Hispaniense, quod non cum uno hominum genere gerendum erat. Sed quod a Blochio et Beneckeo de positura adiectivi *bellicos.* et de nomine *civitatibus*, quo nescio quo pacto Sertoriani significari potuerint,

dictum est, id neque mihi temere monitum videtur. Procul tamen abest a me interpolationis suspicio; in eam potius inclino sententiam, ut in codd. lectione mendum subesse suspicer. Iam priusquam lectionem codicis Parc. cognossem, mihi in mentem venerat pro *civitatibus* fortasse legendum esse: *civibus incitatis*, cuius coniecturae a me iam in Zimmerm. Diar. Antiqu. 1838. p. 160. prolatae ne nunc quidem poenitet; certe loco iterum atque iterum considerato nihil inveni, quod sententiae magis accommodatum videretur. Cum autem codex Parc. habeat „*ex incitatis atque bell. nat.*," inventum saltem non omni codicum auctoritate destitutum est. Aliam denique loci expediendi viam ingressus est Lud. de Ian, cuius sententia cum paucis verbis repeti non possit, lecturos monitos volo, ut ipsum l. c. p. 79. adeant.

servile, navale bellum] *servile* contra Spartaci reliquias; *navale* contra piratas. „Probe codex Lambini aut etiam plures, quibus est usus: *servile, navale, varia et diversa* etc. Neque aliter antea Hervagius. [In Hervagiana a. 1534. est: *navale bellum.*] Saltem cum utraque Ven. et Naug. etc. interpungo: *navale bellum, varia* etc. Edd. vett. *et navale.*" Garat. Recte editores recentiores neque Lambinum secuti sunt, qui *bellum*, quod optime suum locum tenet, sustulit, neque Graevium, qui post *navale bellum* plenius esse interpungendum existimavit.

CAPUT XI.

§. 29. *Iam vero*] Cap. 11—14. M. Seyffert eleganter, ut solet, in sermonem Germanicum transtulit in Palaestra Cicer. p. 310 sqq.

oratio par] ut Orat. 36, 123: *erit rebus ipsis par et aequalis oratio.* Bloch. Est illud Graecorum ἐξισοῦν τῷ λόγῳ τὰς πράξεις.

neque enim illae sunt solae virtutes imp.] Non est sententia: „neque enim illae solae virtutes imperatoriae insunt in Pompeio," ut vulgo haec vv. explicantur, sed intelligas: virtutes illae imperatoriae, quae vulgo existimantur, non sunt solae, sed ad laudem imperatoris consummandam aliis praeterea opus est. Quod autem sequi debebat: *sed etiam aliae*, oratione ad virtutes vulgares celebrandas deflectente demum §. 36. ab oratore subiungitur. Ceterum conferas de virtutibus imperatoriis egregium locum Xenophontis in Memor. Socr. III, 1. §. 6.

labor in negotiis] „*Labor* h. l. non est *functio gravioris operis* (Tusc. II, 15.), sed animi illa sive facultas sive contentio, qua labore defungi ac molestias perferre valet. Atque ita differt a seq. *industria*, qua quis perseverat in labore." Bloch. Est nostrum: *angestrengte Thätigkeit.* Cf. Phil. VIII. §. 31: *Huius industriam maxime quidem vellem ut imitarentur ii quos oportebat: secundo autem loco, ne alterius labori inviderent.* ibid. §. 30.; infra §. 40. *non denique* (devocavit) *labor ipse ad quietem.*

in negotiis] Nescio in quam editionem primum lectio vulgata *in negotio*, quam nullus liber manuscr. habet, irrepsit; ex iis editt., quas ipse inspexi, primum inveni in Lambiniana a. 1584. Recte Beckius: „*Negotia* melius respondent *periculis*. Et quod per *negotium* (quando *otio* opponitur) exprimitur, id inest verbis *in agendo*." Ceterum conferas cum toto loco insignem in Verr. V, 10, 25.

quae tanta sunt] „Cave rescribas *tantae* — *quantae*. Hoc enim non refertur ad *virtutes imp.*, sed ad universa, quae proxime commemorantur. Germanice: *welches alles bei ihm so grofs war*. Sic 13, 36: *quae qualia sint in Cn. Pompeio consideremus*." Heum.

in hoc uno] Non gravitatis causa *uno* adiectum est, ut Moebius cum Weiskio perperam putavit, sed in eo ipso inest argutia dictionis hyperbolicae, quod in *uno* illa tanta fuisse dicuntur, quanta in *omnibus reliquis* non fuerunt.

§. 30. *Testis est Italia*] Vere Drumann IV. p. 424: „Eine starke Zumuthung an das Volk, auch darin eine Empfehlung zu finden, dafs er gegen seine Mitbürger und überdiefs gegen die Volkspartei kämpfte, dafs Italien nach Sulla's eigenem Zeugnisse durch seinen muthigen Beistand von ihr befreit wurde; es soll nur an die durch mannichfache Kriege erweiterten Kenntnisse und Erfahrungen denken, oder auch nur bei der Aufzählung der vielen Feldzüge erstaunen; denn Cic. fügt nicht einmal hinzu, was allein die Erwähnung der bürgerlichen Unruhen rechtfertigen konnte, dafs Pompejus Siege über Römer den leichteren über Barbaren verbürgten."

ille ipse victor L. Sulla] Sic de Legg. II, 22, 56: *C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla victor*. Utroque loco Bake p. 560. *Sulla Victor* describi iubet, quippe cui *Victor* cognomen fuisse videatur. At id quidem neque inscriptionibus confirmatur, neque ex locis, quos homo doctus appellavit, consectarium est.

subsidio] Sic recte codd. accurate collati; Pompeius enim exercitum trium legionum a se conscriptum Sullae adduxit. Prave editt. aliquot vett. *consilio*. Sed illud potius Tullium significasse, quam ut hominem adolescentulum a consilio laudare vellet, iam Hotomanus recte animadvertit.

liberatam] a dominatione Marianarum partium. Beck.

testis est Sicilia] v. Prolegg. pag. 4.

consili celeritate] Hanc verborum collocationem, in qua notio primaria suum locum obtinet, Erf. et Pal. IX. soli habent, quorum auctoritas Auli Gellii testimonio confirmatur.

explicavit] „Aulus Gellius l. c.: *Cic. explicavit dicere maluit quam explicuit, quod esse iam usitatius coeperat: — At si explicuit dicerct, imperfecto et debili numero verborum sonus clauderet.* — Florus I, 17, 5. *Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo*

explicavit: ubi v. Freinsh. et Graev." Steinm. Translatio de plaga desumpta, qua hostes universam insulam quasi circamdederant, illustratur loco or. Verr. V. §. 151: *Si mehercule ... ex his te laqueis exueris ac te aliqua via ac ratione explicaris, in illas tibi maiores plagas incidendum est* etc.

testis est Africa] v. Prolegg. pag. 5.

sanguine redundavit] v. Prolegg. pag. 5. not. 11.

testis est Gallia] v. Prolegg. pag. 6. not. 22.

internicione] Sic cum libris optimis (non *interitione* aut *interemptione*) scribendum esse hodie res confessa est; v. impr. Garat. ad h. l. Ac revocavi scripturam *internicio*, firmatam illam analogia voc. *pernicies*. Sic enim cum optimi libri h. l. scriptum habent (v. var. lect.; in Erf. est *internitione*, in Pal. IX. *internicione*), tum facillime scripturae diversitates explicantur. Cf. impr. Schneid. ad Caes. B. G. I, 13, 5. et II, 28, 1. In Taciti quoque Ann. II, 21. monstrum lectionis *internitionenem* suadere videtur, ut non *internecionem*, sed *internicionem* restituatur. De Livio, cuius codices easdem scripturae discrepantias exhibent, v. Alschefski ad 9, 26, 2. et 23, 12, 15. et Drak. ad 36, 34, 2.

testis est Hispania] v. Prolegg. pag. 7. not. 23.

iterum Italia] civili bello primum, deinde servili. Man.

ab hoc auxilium absente expetivit] De his verbis et iis quae proxime sequuntur v. Prolegg. p. 7. not. 27.

exspectatione eius] De hac Erf. et Pal. IX. lectione, pro qua plerique codd. *exsp. Pompeii* habent, Wunderus p. LXIV. bene monuit interpretes numquam pron. illud in locum *Pompei* substituturos fuisse, quos certum sit potius nomina propria explicandi causa saepissime addidisse.

§. 31. *Testes nunc vero iam*] Sic Erf., Col., Pal. IX.; vulgo *testes vero iam*, quod Madvigius retinuit. At quam egregie partic. *nunc* loco accommodata sit, sententia ipsa satis declarat. „Commemoratis enim," inquit Benecke, „rebus a Pompeio aliquot annis ante gestis nunc ad recens tempus conversus Tullius ea explicare adgreditur, quae ille non multo ante gesserat." Ceterum si accurate illas particulas Germanice vertere velis, ita dicas: *erst gar (vollends) jetzt endlich sind Zeugen* etc. v. quae Fr. Haase in Zimm. Diar. Antiqu. 1838. p. 273 sq. egregie exposuit.

atque omnes exterae gentes ac nationes] Memorabilis est scriptura speciosa Colonienses: *atque omnes terrae gentes nationes*, quae si a correctore profecta est, certe haud imperitum prodit.

cum universa tum in singulis oris] cf. Flor. III, 6, 7. „Graevius excerpta cod. Pithoeani secutus *oris* delevit, quod de oris in praecedentibus egerit Cic., hic vero loquatur de maribus. Mihi omnium Parr.,

Bavv., Erf., Pall. etc. auctoritas temere repudianda non videbatur, praesertim cum sinus atque portus in oris sint." STEISM.

referto praedonum mari] Sic item p. Rab. Post. §. 29. *quod mare refertum fore praedonum putaret.* Solet autem *refertus*, si res adiunctae sunt, cum ablativo, si personae, cum genitivo coniungi: illic enim participio sua vis constat; sin personae adiunctae sunt, universa plenitatis notio praevalet.

navigaret] „Etiamsi codd. omnes habeant *navigaret*, tamen *navigaretur* verissimum esse Heumannus contendit. Causam non addidit. Mihi tum parum aequabilis oratio visa est." BECK in Add. p. 496. Tamen retinuit Schuetz *navigaretur*, explicans: *cum navigandum esset.* At eadem est sententia in lectione librorum, quam sic intelligas: *cum navigare cogeretur*; cf. Seyfferti Pal. Cic. p. 81 sq. Sed neutrum orator scribere voluit, ne, ut Beckius recte monuit, membrorum aequabilitatem (*committeret — navigaret*) turbaret.

tam turpe, tam vetus] *tam turpe* v. 12, 83; *tam vetus*, quippe ortum XX annis ante, Cn. Octavio et L. Cinna coss. Universam autem historiam belli Drumannus IV. p. 393 sqq. diligentissime conscripsit.

aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore] „Verborum ambiguitas et insolentia non excusatur numerosa inversione et concinnitate dicti. Nam *omnes imperat.* num sunt qui ubique fuerunt aut esse possunt, an Romani tantum? an inter hos, qui vixerunt illo ipso tempore? Profecto ingrata est haec obscuritas. Deinde cur *uno anno*? cur non *duobus* aut breviori longiorive spatio? quia *unus* imperator in dicto istuc refertur. Tum *omnibus annis*: totiusne aeternitatis? immo „vitae suae"; ita sunt qui interpretentur; ineptissime profecto. Omnes potius annos, per quos illud bellum duravit, intelligi voluit auctor. Sed erroris culpam aliquam ipse sustinet, quia non statim cuivis in mentem venit, et quia scitam sequens figuram *omnes imperatores* huc referri voluit." WEISKE. His miris scrupulis Blochius opposuit: „Concinne auribus talia dantur, nec cum Weiskio anxie quaerendum, qui sint *omnes* illi anni atque imperatores. Intelliguntur facile *anni*, quibus gestum bellum est [quod imperite Moebius repetiit], et *imperatores*, qui praefici ei potuerunt." Poterant, opinor, Weiskii dubitationes verius redargui, si quidem in tali argutia oratoria, qua aures audientium, non mentes legentium plectantur, refutatione opus est. Verum ut verba oratoris ad vivum reseces, tamen ad singulas Weiskii interrogationes in promptu est responsio. Primum enim, cum dicebat Tullius magnum fuisse, si bellum piraticum *ab omnibus imperatoribus uno anno* conficeretur, nimirum non cogitavit de omnibus, qui ubique fuerunt aut esse possunt, nec de Romanis aliis nisi iis, qui illo ipso tempore vixerunt. Nec poterat alios significare nisi Romanos, cum contra dignitatem populi R. futurum fuerit in bello,

quo ipse petebatur, ope aliena indigere. Dicit igitur: si populus R. omnes suos imperatores, quotquot habebat, ad bellum illud misisset, vix tamen exspectandum erat fore ut uno anno conficeretur. Deinde Weiske rogat: cur *uno anno*, non duobus aut breviore longioreve spatio? Respondeo, quia, si longius spatium orator nominasset, eius oratio et omnem fidem excessisset et antitheti rationem evertisset; verum nec brevius dicere voluit, cum significare vellet, omnes imperatores ne longiore quidem spatio, quam quo Pompeius unum bellum confecit, illud confecturos fuisse. Cum denique orator dixit: *quis unquam arbitr. tantum bellum omnibus annis ab uno imper. confici posse?* satis inepte Weiske omnes annos, per quos illud bellum duraverit, intelligi vult. Loquitur enim orator de bello, cuius exitus, si ab uno imperatore gereretur, nullus sperari poterat. Restat igitur, ut anni unius imperatoris intelligantur et orator dicat: Si unus alius imperator per totum vitae spatium, per quod quidem cum imperio esse posset, cum piratis bellasset, tamen bellum illud vix ad exitum perduxisset. — Simile commutationis exemplum infra habetur §. 67: *ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam esse locupletem, quae istis pacata esse videatur?* Cf. Auct. ad Herenn. IV, 28, 39.

§. 32. *a praedonibus liberam*] Post *liber* et *liberare* Cic. solet ablativum sine praepositione ponere; v. Fr. Schneiderum in Iahn. Ann. Vol. 43. p. 399. et cf. Fabr. ad Liv. 23, 37, 10. p. 138. Pal. IX. solus habet: *et predonibus l.* i. e. *ex praedonibus l.*

vectigal vobis tutum] Piratae cum multas civitates ceperunt, etiam vectigalia annua prohibebant. Schol.

captas urbes sociorum] quadraginta, ut scribit Plut. v. Pomp. 24. Hot. Cf. etiam App. Mithr. 92. Dion. 36, 4 sq.

CAPUT XII.

§. 32. *Fuit hoc ... proprium populi R.*] Bene Seyffert ad Lael. §. 37: *es war ein charakteristisches Merkmal, charakterisirte das R. Volk.*

propugnaculis imperi] „Ernesti censet etiam h. l. (cf. p. Font. c. 1.) *propugnacula* esse colonias institutas in exteris nationibus bello subactis, quibus et victae gentes in officio continerentur, et vicinorum hostium impetus defenderetur. Alias etiam classes et exercitus *propugnacula* dici, sed aut simpliciter aut cum regionis nomine, ut Verr. III, 80. Verum non patitur huius loci ratio colonias intelligi. Nam ut hoc non urgeam, videri verba *et propagn. imp.* non magis ad *sociorum fort.* quam ad *sua tecta* pertinere, apparet certe *prop. imp.* respondere verbis *exercitus nostri* in sequ. loco." Beck.

sociis ego nostris] „*Nostris* pro vulg. *vestris* cum Erf. scripsi; in seqq. tamen tutius videbatur, vulg. scripturam *exerc. nostri* retinere."

Ex Ben. Ego quidem in utroque loco Erf. et Pal. IX. sequendos putavi. Talis est enim sententia, ut oratorem in uno enuntiato diversis pronominibus uti potuisse negare non possis. Explico autem *exere. vestri* „exercitus a vobis, i. e. a potenti populo R. missi."

mare clausum] Sic proprie mare vocabatur, quo tempore navigatio quiescebat; v. Veget. de re milit. V, 9. *A Novembri mense crebris tempestatibus navigia conturbat Vergiliarum hiemalis occasus. Ex die igitur III. Id. Nov. usque in diem VI. Id. Mart. maria clauduntur.*

numquam a Brundisio] „Quare nominatim *Brundisio*? quia per hosce annos, quibus adversus piratas et Mithridatem bellum gestum est, exercitus populi R. Brundisio transmittebant; v. infra §. 35. Piratas maritimam oram circa Brundisium invasisse scribit Appianus Mithr. c. 93." Ex Hor. Praepositionem, quae cum urbis nomini adiecta ex vetere atque communi grammaticorum praecepto minus convenire videretur, in libris aliquot deterioribus omissa est, recte plerique editores receperunt. Ut enim taceam, praeceptum illud ab Ellendtio in dissertatione „De praepositionis *a* cum nominibus urbium iunctae apud Livium maxime usu" (Regiomontii 1843. 4.) hodie fere explosum esse, iam propterea h. l. usus praepositionis offendere non debuit, quod sermo est de exercitu, ubi non proprie urbs, sed locus in universum significatur, unde naves profectae sunt; v. Weissenb. Gramm. L. L. §. 245. et Ellendt. l. c. pag. 4. Accedit quod Livius quidem in verbis *traiiciendi, transmittendi* (v. 32, 9. 38, 16.), *transeundi* similibusque urbium nominibus fere ubique praepositionem adiunxit; v. Ellendt. p. 8. Contra infra §. 35., ubi in plerisque libris „*ut a Brund. profectus est*" legitur, propter auctoritatem librorum optt. (Erf. Col. Verd. Pal. IX.) *ut Brundisio prof. est* scribendum est. Ciceronem enim et *proficisci Athenis* et *ab Athenis* similiaque variasse, ita ut saepe nulla orationis variatae causa compareat, idem Ellendtius p. 3. permultis exemplis demonstravit. De scripturae denique discrepantia inter *Brundisium* et *Brundusium* (Erf. habet *Brundisio*, contra Pal. IX. *Brundusio*) v. impr. Fea ad Horat. Sat. I, 5, 104., quamquam ibi Orelli ex suis codd. *Brundusium* praetulit. Sed legitur *Brundisium* in Inscript. ap. Orell. nro. 134. et 4431. eandemque formam exhibet optimus Mediceus in Tac. Ann. II, 30. III, 1. IV, 27. et alter Med. in Hist. II, 83.

nisi hieme summa] „i. e. media, ἀκμαζούσῃ, inter novam et praecipitem s. affectam. Sic *hiems summa* Verr. IV, 40, 86." Weiske. Addit Steinmetz ad Fam. XIII, 60, 2. et de re Dion. Cass. 36, 4: ἦγόν τε καὶ ἔφερον πρώτους μὲν καὶ μάλιστα τοὺς πλέοντας· οὐδὲ γὰρ τὴν χειμερινὴν ὥραν ἀσφαλῆ αὐτοῖς παρεῖχον.

venirent] i. e. venire volebant, iter ad vos ingressi. Heum.

legati p. R. redempti] Legatum quendam oppressum a piratis pretio uxor liberavit. Schol. Verumne sit quod tradidit scholiastes, non

liquet; nam de tali redemptione a ceteris scriptoribus, qui exstant, nihil traditum est. Ac possis suspicari, legatos illos, quos orator redemptos esse conqueritur, non nuntios senatus aut populi fuisse, sed legatos illos militares, quorum opera atque consilio proconsules et propraetores peregre utebantur. Cum enim duo praetores a praedonibus captos esse constet, cum iis legatos quoque ex cohorte praetoria in praedonum manus pervenisse probabile est. Iam cum queratur orator homines provinciales Romam proficiscentes a piratis captos esse, studio contrarium contrario opponendi captus legatorum illorum, quos cum praetoribus captos suspicamur, ita mentionem facit, ut nulli alii nisi a senatu populove ad exteras nationes missi intelligi possint. Confirmatur autem suspicio nostra loco inferiore §. 53. *cum populi R. legati, quaestores praetoresque capiebantur*, et scholiastae adnotatione ad vv. *duodecim secures*, in qua tamen nomen proprium vitiatum est: *Milicus consul captus cum legatis suis et cum insignibus imperii venumdatus est.*

duodecim secures] Plut. v. Pomp. 24: ἦρπασαν δέ ποτε καὶ στρατηγοὺς δύο Σεξτίλιον καὶ Βελλῖνον ἐν ταῖς περιπορφύροις καὶ τοὺς ὑπηρέτας ἅμα καὶ ῥαβδοφόρους ᾤχοντο σὺν αὐτοῖς ἐκείνοις ἔχοντες. Praeibant autem praetoribus extra urbem seni lictores, in urbe bini, cum ante legem Plaetoriam item seni fuissent; v. praeter Beckeri Antiq. R. II, 2. p. 188 sqq. Huschkium ad Auctorem incert. de Magistr. et Sacerd. P. R. p. 72 sqq. Eadem autem metonymia usus est Valerius Maximus I, 1: *Laudabile duodecim fascium religiosum obsequium: laudabilior quattuor et viginti in consimili re obedientia.*

§. 33. *Cnidum aut Colophonem aut Samum*] Plut. v. Pomp. c. 24., ubi quadringenta oppida a praedonibus capta esse scribit, tradit inter templa, quae piratae diripuerunt, Apollinis quoque Clarii, prope Colophonem situm, et Iunonis Samiae fuisse. Appianus autem scribit Mithr. 63. Samum „Σύλλα παρόντος" (in Asia scil.) a piratis captam esse.

vestros portus] Caietae, Miseni, Ostiae. Hor.

quibus vitam et spiritum ducitis] Frumentum enim ex Asia, Africa, Sicilia, Sardinia eo comportabatur. Ex Hor.

in praedonum fuisse potestatem] Aulus Gellius I, 7: *Idem autem ille amicus noster in eiusdem M. Tullii Ciceronis oratione, quae est de imperio Cn. Pompeii, ita scriptum esse a Cicerone dicebat, atque ipse ita lectitabat: quum vestros portus ... in praedonum fuisse potestatem sciatis. Neque soloecismum esse aiebat in potestatem fuisse, ut vulgus semidoctum putat, sed ratione dictum certa et proba contendebat, qua et Graeci ita uterentur: et Plautus verborum Latinorum elegantissimus in Amphitryone dixit: numero mihi in mentem fuit, non, ut dici solitum est: in mente. Sed enim praeter Plautum, cuius*

ille in praesens exemplo usus est, multam nos quoque apud veteres scriptores loquutionum talium copiam offendimus, atque his vulgo adnotamentis inspersimus. Ut rationem istam missam faciamus et auctoritates, sonus tamen et positura ipsa verborum satis declarant id potius ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων modulamentisque orationis M. Tullii convenisse, ut, quoniam utrumvis dici Latine posset, potestatem dicere mallet, non potestate. Illud enim sic compositum iucundius ad aurem completiusque, insuavius hoc imperfectiusque est, si modo ita explorata aure homo sit, non surda nec iacenti. Codices orationis cum lectione Gellii non conspirant. Teste enim Steinmetzio *potestatem* in uno exstat Parisiensi eoque recentissimo, neque habet Monacensis nisi unus (d), ut ambigas, verumne sit, quod scripsit Lambinus, se *potestatem* in suis libris veteribus invenisse. Si veteres editiones intellexit, verum dixit; sed in eas lectio illa ex A. Gellio videtur illata esse. Quae cum ita sint, non est mirum, quod inter viros doctos magna est controversia, utra lectio sit Tulliana. Ac Benecke quidem negat Gellii verbis confici, a Cic. *in potestatem* scriptum esse. Illis enim ipsis apertissime ostendi, Gellii aevo receptum fuisse *in potestate*; illum tamen Gellii amicum atque antiquiorum formularum captatorem contendisse, a Cic. scriptum esse *in potestatem*, ipsumque ita lectitasse. Similiter Klotzius quoque, qui etiam acerbius in bonum illum grammaticum invectus est, in Praef. I. p. LV. iudicavit. At cum vix negandum sit *in potestatem* in cod. vetustissimo, ad cuius aetatem nostrorum nullus adspirat, vere inventum esse, cum haec ipsa formula *in potestatem esse* usu quasi comprobata fuisse videatur, eamque ab usu Tulliano non alienam fuisse certis locis (v. Verr. V, 38, 98. de Legg. III, 17, 37. Phil. XII, 2, 4. et III, 4, 8.) constet, cum denique in magna talium formularum copia, quae usu sermonis Latini receptae erant (v. testimonia priorum in Hand. Turs. III. p. 344—351. coll. Haasio in Zimm. Diar. Antiq. 1838. p. 264. et Weissenb. Gramm. L. L. §. 281. not. 7.), librarii propensiores fuerint ad modum vulgarem restituendum quam ad insolentiorem inferendum: equidem auctoritatem Gellii doctique eius amici non contemnendam ratus lectionem a recentissimis criticis fere neglectam denuo restituendam putavi. Neque tamen infitior Zumptium, criticum cautissimum, aliter sensisse ad Verr. p. 308. verumque mihi quoque iudicium videri, quod idem in eodem libro p. 983. de Gellio fecit.

celeberrimum] i. e. maxime a mercatoribus frequentatum. Sylv.

inspectante praetore] „Ignotum praetoris nomen. Sed hic praetor Caietae quid ageret, cum praetores in magistratu discedere non solerent, divinare non possum: missum tamen a senatu suspicor, ut piratas a Caietano litore arceret. Quod factum non est, et ad eius praetoris contumeliam *inspectante praet.* dicitur." Man. Hotomano auctore multi interpretes scripserunt hic fortasse M. Antonium significari.

Quem cum Cic. demum in verbis quae sequuntur (*eius ipsius liberos* etc.) aperte describat, coniectura ista omni probabilitate caret. Accedit quod gradatione ipsa (*eius ipsius*) satis indicatur praetorem illum ab Antonio diversum fuisse.

eius ipsius liberos] Plut. v. Pomp. 24. ἦλω δὲ καὶ θυγάτηρ Ἀντωνίου, θριαμβικοῦ ἀνδρός, εἰς ἀγρὸν βαδίζουσα, καὶ πολλῶν χρημάτων ἀπελυτρώθη. Videtur autem haec Antonia filia M. Antonii oratoris, non filii eius, Cretici, fuisse, quoniam Plutarchus eam filiam viri triumphalis vocavit; nam patrem quoque Antonii Cretici contra piratas pugnavisse a rerum scriptoribus traditum est; v. Drum. I. p. 61. not. 21. et 27.

liberos] „Sic veteres, licet de uno tantum, loquebantur; v. p. Cluent. 11, 31. 12, 34. de Prov. cons. 14, 35. Phil. I, 1, 2." Ex Man. Alia exempla numeri pluralis rhetorici v. ad or. p. Sestio p. 145. 175. 227.

Ostiense incommodum] Hac ipsa de re Dio 36, 5. sic scribit: Προχωρούντων δὲ αὐτοῖς τούτων καὶ ἐς τὴν ἤπειρον ἀνέβαινον καὶ πολλὰ καὶ ἐκείνους τοὺς μηδὲ χρωμένους τῇ θαλάσσῃ ἐλύπουν, καὶ ταῦτα οὐ τὴν ἔξω συμμαχίδα αὐτῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν Ἰταλίαν αὐτὴν ἐποίουν. Τά τε γὰρ κέρδη τὰ αὐτόθεν μείζω σχήσειν καὶ πάντας τοὺς λοιποὺς ἐπὶ πλέον ἐκφοβήσειν, ἂν μηδὲ ἐκείνης ἀπέχωνται, νομίζοντες ἔς τε τὰς ἄλλας τὰς ταύτῃ πόλεις καὶ ἐς αὐτὰ τὰ Ὄστια ἐξέπλεον, καὶ τάς τε ναῦς ἔκαιον καὶ πάνθ' ἥρπαζον. Καὶ τέλος, ὡς οὐδεμία σφῶν ἐπιστροφὴ ἐγίγνετο, τάς τε διατριβὰς ἐν τῇ γῇ ἐποιοῦντο καὶ τοὺς ἀνθρώπους, ὅσους μὴ διώλλυσαν, τά τε σκῦλα, ὅσα ἐλάμβανον, ἀδεῶς ὥς γε καὶ ἐν οἰκείᾳ διετίθεντο. Haec Dio. Ostiae porro situm et Tiberis cursus ab urbe Roma usque in mare descriptionem nemo, quod sciam, elegantius concinnavit Procopio de bell. Gotth. lib. I. [c. 26. Vol. II. p. 124. Dind.]. Hotom.

consul populi R.] Vitat omisso nomine contumeliam. Man.

capta atque oppressa est] „Sic Pall. omnes; at Col. *deprehensa est*, ex quo facit Guilielm. *depressa est*, ut et Modius Ep. 97." Graut. „Poesis *deprehensa* retinere, si plures codd. suffragarentur. Nam *deprehendi* dicuntur, qui improvisi subito obruuntur et occupantur; v. Flor. II, 12, 7. Liv. 38, 21, 7. etc." E Graev. „Novi equidem huiusmodi exempla, v. impr. Caes. B. C. III, 101. *duae sunt deprehensae triremes.* Ita enim plerique ibi codd., aliqui tamen *depressae*, quod mallet Oudend. Ipsum vide, qui Guilielmii et Modii coniecturam de hoc Tullii loco magis adiuvat, quam suum de Caesaris loco iudicium. Sane ista in codd. confunduntur, ut supra c. 8. pro *depressam* Barb. habet *deprehensam*. Cum vero naves ab hostibus aliae *capi* soleant, aliae *deprimi*, optime classis haec *capta atque depressa* diceretur, non ut utrumque singulis navibus evenerit, sed ut partim *capta* fuerit, partim *depressa*. Contra

capta atque deprehensa ὑστερολογία est: verum et ea Latinis est usitata, v. ad c. 11. p. Cluent., et mihi vulgatam defendenti reformidanda non est. Vulgata enim non modo longe tutior mihi videtur, sed etiam melior. Vox *oppressa* tum improvisum adventum, tum ipsam quoque cladem eamque citam egregie significat. Quid huic loco aptius? v. Gron. et Drak. ad Liv. 30, 10." Ex GARAT. Moebius secutus est Heumannum, qui hysterologiam in verbis inesse ratus *opprimere classem* explicuit: „subito et improviso in eam invadere." Contra Weiske classem *captam* dici putabat, quatenus pars navium in praedonum potestatem venisset, *oppressam*, quatenus reliquae vel deletae essent vel magna clade acceptae. Sed rectius videtur, quod Benecke statuit, duo illa verba ita iuncta esse, ut posteriore prius amplificetur et synonymorum congerie res in maius augeatur, id quod iam O. M. Muellerus in censura edit. Moebianae coll. or. p. Sest. §. 35. (*urbem captam atque oppressam*) significaverat. Ex locis autem, quos ad Sestianam p. 146. excitavimus (add. Verr. II, 19, 46.), apparet, sicubi *captus atque oppressus* coniuncta inveniuntur, *oppressus* secundum locum obtinere solere, cuius rei causam in maiore huius verbi granditate positam esse existimo.

lucem afferre reip.] v. Seyff. ad Cic. Lael. p. 188. et infra ad §. 41.

ut vos, qui ... videbatis, ii nunc ... audiatis] Omittunt *ii* Erf., Pal. IX., Parc., Mon. b. (i. e. Salisb.), quod mihi verisimilius videtur ante litteram *n* negligentia intercidisse, quam quod Orellio (2) visum est, in ceteris libris ex geminatione litterarum *is* et *n* ortum esse. Saltem vix negari poterit, aptissime h. l. subiectum *vos* pronomine demonstr. repeti, quo iterato, quam diversa fuerit prior et posterior subiecti conditio, audientium animis magis subiicitur. Sic infra §. 55. *nos ... ii poteramus* et *nos ... iidem carebamus.* add. §. 40. Cf. adn. ad or. p. Sest. p. 183. et 199.

intra Oceani ostium] Audacter et eleganter sic appellat fretum Herculeum. WEISKE. Dictionis insolentia quaesivit orator argutam *ἀντίθεσιν*, quoniam in sententia contraria *ostium Tiberinum* nominaverat.

§. 34. *praetercunda non sunt*] „In his verbis metabasis sive antiptosis quaedam est, cuius varia sunt genera ab doctis viris observata; v. Gron. ad Senec. de Benef. IV, 32. et adn. ad or. p. domo c. 54. GAR. 1. et 2. „Est genus attractionis quam vocant pro *praetercundum non est.* Sic de Orat. II, 60. in.: *in quibus hominum mores ita effinguntur, ut quales sint intelligantur.* ib. II, 30. extr. Orat. §. 68. ad Fam. I, 7. de Nat. D. II. §. 71. Lael. 16. in. E MATTH. Add. Beneck. ad h. l. Krueg. de Attr. p. 442 sqq. Haas. ad Reis. p. 330. Ellendt. ad Cic. de Orat. II. p. 233. Ceterum cum vv. *quamquam videtis* ita interiecta sint, ut ab his quoque enuntiatum relativum pendere possit, pe-

culgaris orationis forma scriptorem ipsa invitasse videtur, ut frequens illud attractionis genus admitteret.

quis enim umquam] cum solus esset et expedite res suas gerere posset, non impeditus magna mole classis. Weiske.

tam brevi tempore ... quam celeriter] Est liberior comparandi forma, cuius similis est locus, quem Madvigius in Opusc. p. 373. comparavit, div. in Caec. §. 41. *cum illius temporis mihi venit in mentem, quo die* etc.

tanti belli impetus navigavit] „Graevius addidit ex Erf. Verd. et aliis *tanti*. Non bene. Nam non intelligitur *bellum* h. l. ita, ut saepe ante, ubi de magnitudine belli dixit, e quo haec glossa nata est in libris, sed de apparatu bellico et administratione belli. *Impetus belli* est forma poetica e Graecis ducta a Latinis. Saepe imprimis Lucretius hac forma usus est, ut *impetus coeli* pro *coelo* V, 201. Ipse Cic. etiam de N. D. II, 38. *impetum coeli moveri* dicit; v. Clav. in h. v. Et tota forma, *belli imp. navigavit*, poetica est. Sensus est: quanta celeritate Pompeius bellum et quam strenue gesserit, sine respectu ad magnitudinem, ut patet e subiecta demonstratione." Ern. „*Belli imp. navigavit* poetarum more dictum; sic Flor. II, 2, 17. *Regulo duce iam in Africam navigabat bellum*; v. Freinsh. in Ind. ad Flor. Ennius ap. Macrob. Sat. VI, 1. *labitur uncta carina, volat super impetus undas*" [add. Catull. 4, 3. *impetus trabis*]. Steinm. Benecke lectionem optt. librorum *tanti belli* satis firmavit, coll. §. 31. *hoc tantum bellum* et §. 35. *ita tantum bellum*, in quibus locis item piraticum intelligitur; sed neque ille errorem plurimorum interpretum, qui illa metaphora celeritatem classis Pompeianae significare existimant, redarguere conatus est. Rectius iudicavit Weiske, quem nemo interpretum posteriorum audire voluit, quamquam nec ipse rem omnino expedivit, quod post eum Haunius p. 38. fecit. Atque ille quidem: „In eo," inquit, „non est audiendus Ern., quod dixit tantum ad celeritatem Pompeii respici, non ad magnitudinem belli. Imo impetus in hac periphrasi est rei moles ac magnitudo, celeritatem per se impediens. Cf. ad Catil. III. §. 28." Cum dixit orator *belli impetum celeriter navigasse*, non tantum significare voluit, classem ad bellum instructam, sua illam mole tardius incedentem, quam navigia privatorum possunt, celeriter navigasse, sed etiam eam classem, cui omnia impedimenta, quibus cursus eius ab hostibus retardaretur, amovenda essent. Nunc tandem intelligitur, quanta vis insit in adiecto *tanti*, quo indicatur multa et magna fuisse impedimenta, quae classis illius cursui moram afferrent. Neque igitur Germanice vertas: *der Sturm des Krieges*, quoniam tempestatem celeriter invehi mirum esse non potest, sed: *der Angriff, der Andrang des Krieges*, sive imagine detracta: *eine so bedeutende Kriegsflotte, die häufig zum Angriff zu schreiten hatte.* De forma autem orationis Haunius

haec monuit: „Poetisch ist blofs die Personification von *impetus* zu *navigavit*, die aber dem *quis* entgegen nöthig ist, weil nicht Pompejus überall war, sondern der nach seinem Operationsplane überall gemachte *impetus*." Hac audaciore dicendi ratione ne quis offendatur, comparo Cic. Verr. IV. §. 130. *cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porro in Pontum invecta sint.* — Tac. Agric. 25. *cum simul terra, simul mari bellum impelleretur.* Ac videas omnino quae Madvigius in Opusc. alt. p. 5. de metaphoris insolentioribus apud Ciceronem obviis disputavit.

qui nondum tempestivo ad navigandum mari] „Tota haec transpositio debetur Hitt. et Verd. [add. Erf. et Pal. IX.; vulgo vv. *nondum ... mari* post *Sard. cum classe venit* leguntur]: at istos librorum corruptores rideamus albis dentibus, qui in Sardinia iam mari vixdum navigabili fuisse mentiuntur: quando ergo in Africa? quando in Sicilia? hieme summa scilicet." Guilielmius. „Quomodo vulgata defendi possit, non video. Bellum Pompeius *extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit*, ut ait infra Tullius. Mari ad Siciliam, Africam et Sardiniam perlustrato diebus omnino XL (App. Mithr. 95. Plut. Pomp. 26.) Romam revertit, ibique paucos dies commoratus Brundusium venit atque inde in Ciliciam celerrime transmisit. Ergo etiamsi *extrema hieme* Siciliam adierit, satis tempestive deinde navigavit. Sed verius est *ineunte vere*, mari nondum tuto, eum navigare coepisse, eoque referendum videtur eius apud Plut. ἀπόφθεγμα ed. Lond. p. 86." [Tom. I. p. 810. extr. ed. Wytt. = p. 204. C.] Garat.

inde Sardiniam venit] „Non est quod sollicitemus [cum Hotomano] *inde Sard.* Nam haec ellipsis nonnumquam et reperitur in nominibus regionum et insularum, ut Iust. 6, 1. *Cypri exsulabat*; 20, 4. *Aegyptum primo, mox Babyloniam profectus*, et mox *inde regressus Cretam et Lacedaemona* etc. Sic paulo post Coloniensis: *usque Pamphyliam*, quod merito probat Guilielmius." Ex Grakv. Recte Weissenbornius, ut alios omittam, in Iahn. Ann. N. Vol. 43. p. 316. (a. 1845.) contra Madvigium (Bemerkk. über verschiedene Punkte der latein. Sprachl. p. 23.) haec monuit: „Madvig behauptet, nur fremde Ländernamen würden nach der Analogie der Städtenamen construirt, als ob nicht Caesar B. G. 3, 7. *Illyricum*, 3, 41. *Macedoniam*, Sall. Jug. 28. *Siciliam*, Liv. 10, 37. *Etruriam*, um andere nicht zu nennen, sicher stände, weshalb auch kein Grund ist bei Cic. *Sardiniam venit* zu verdächtigen, und als ob dieser Gebrauch nicht vielmehr in der ursprünglich freieren Anwendung der Casus ohne Präposition, die sich in anderen Sprachen und selbst bei den lat. Dichtern erhalten hat, seinen Grund hätte." Cf. etiam Handii Turs. III. p. 300 sq.

§. 35. *duabus Hispaniis et Gallia Transalpina ... confirmata*] Codd. plerique: *Gallia Cisalpina.* „Pal. III. Hitt. Erf. [add. Pal. IX.] *Trans-*

alpina: recte, inquit Guilelmius, et quod propinquior Hispaniis, et quod nuper ab ipso Pompeio devicta." Grut. „Falsum est Galliam Transalp. a Pomp. victam esse; nam Narbonensis diu ante fuit subiugata, reliquam vero pacavit Iulius Caesar." Graev. „Num idcirco Transalpinam provinciam Pompeius munire non potuit? Ego vero utramque Galliam censeo communisse: *τὴν Λιγυστικήν τε καὶ Κελτικὴν θάλασσαν*, ut ait App. Mithr. 95. sive, ut Latine Florus III, 6, 9., *Ligusticum sinum et Gallicum*: totum vero ab altera parte Hadriaticum. Quid ergo? Coniicio ex hac ipsa varietate tam *Cisalpinam* quam *Transalpinam* manasse ab interprete: ut Cic. scripserit: *et Gallia — confirmata*, vel, si mavis, *Galliis — confirmatis*." E Gar. Garatonii iudicium secuti Benecke, Madv., Orelli aliique *Transalpina* uncis circumscripserunt: nec tamen inscite Ianius lectionem *G. Transalp.* defendere conatus est. Primum enim Ciceronem, cum *Hispanias* nominarit, si nihil adiicere voluisset, *Gallias* quoque dicturum fuisse; deinde Galliam Cisalpinam a Pompeio firmatam esse iam illis verbis significari: *Italiae duo maria maximis classibus ... adornavit.* Verba denique ex Floro allata non ita coniuncta esse, ut ex Garatonii relatione videantur, sed illum scripsisse: *Gratilius Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit*: duo igitur maria separatim ab illo scriptore nominari.

confirmata] „Scripturam unius Colon. *confirmatis* probare noluerim vel propterea, quia ablativi numeri plur. antecedunt; praeterea ipsa illa scriptura emendatrices interpretis manus videtur redolere." E Bes.

in Achaiam omnemque Graeciam] „Complectitur nomine *omnis Graeciae* et Graecos in ora Asiae minoris." Bloch. Quominus Graeci Asiam incolentes intelligantur, illud obstat, quod navibus in oram maris Illyrici et in Achaiam omnemque Graeciam missis alterum Italiae mare praesidiis firmissimis adornatum dicitur; neque Pompeius, priusquam ipse Brundisio proficisceretur, in ullam partem orientalem maris, quod medium vocant, naves videtur misisse; v. quae Drumannus IV. p. 407. not. 40 sq. scite observavit. Putares potius Ciceronem, cum diceret *Achaiam omnemque Graeciam*, praeter regiones, quibus Achaia provincia Romana constabat, illas quoque terras insulasque intellexisse, quae veteris Graeciae occidentalis fuerant atque omnino ab hominibus lingua Graeca utentibus in illo terrarum tractu incolebantur, coll. Strab. XVII. p. 1198. *ἑβδόμην δὲ (στρατηγίαν) Ἀχαΐαν μέχρι Θετταλίας καὶ Αἰτωλῶν καὶ Ἀκαρνάνων καί τινων Ἠπειρωτικῶν ἐθνῶν, ὅσα τῇ Μακεδονίᾳ προσέῤῥιστο.* At rectius, opinor, statuas propterea Ciceronem *omnemque Graeciam* addidisse, quod illo tempore nondum tota Graecia provincia Romana habebatur, in cuius formam iam a. 146. a. Chr. redactam esse plerique historici recentiores opinantur, quem errorem primus C. F. Hermannus in Antiq. Graec. I. §. 190, 3. p. 437. ed. III. notavit.

adornavit] „pro simplici *ornavit*, i. e. instruxit, ut *decemviros ornat apparitoribus* de Leg. agr. II, 13. Nam quae cum h. l. comparant Gesner in Thes. et Forcell. *adornare bellum* (Liv. X, 38.), *naves* (Caes. B. C. I, 26.), ablativum adiunctum non habent." Matth.

ut Brundisio profectus est] v. ad §. 32. pag. 157.

undequinquagesimo die] Liv. Epit. 99. *intra quadragesimum diem.* Hor. „Ita quidem Florus III, 6, 15., sed hoc videtur in eius erroribus numerandum. Ad omne belli tempus, opinor, id transtulit, quod erat unius primaeque Pompeianae excursionis, ut supra idoneis auctoribus comprobavimus, quibuscum ipsa Livii Epit. 99. facile componitur. Ait enim: *intra XL. diem toto mari eos expulit*: hoc primum fecit Pompeius per legatos, oras ipse circumiens: *belloque cum iis in Cilicia confecto* etc. hoc est, quod *IL. die* factum dicit Tullius. Brevitas, quae in Epit. adhibetur, fraudi permultis fuit. Ne te moveat quod ait: *toto mari*; brevi enim alii piratarum capti, alii profugerunt in Ciliciam, ad quos opprimendos classem postremo contulit Pompeius. Lucanus Pompeium ita gloriantem de hoc bello facit II, 576. *Qui cum signa tuli toto fulgentia ponto, Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem, Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit, Angustaque domum terrarum in sede poposcit.* V. quoque infra." Garat. 1. et 2. Cum Livii Epit. consentiunt Plut. Pomp. 26. et Zonaras X, 3., ut Benecke adnotavit, ex quorum relatione apparet Pompeium intra XL dies mare Tuscum, Libycum, Sardoum, Corsicum Siculumque a piratis repurgasse, ac deinde Romam revertisse, ubi Piso consul per invidiam iramque eius apparatus impedire conabatur. Quos conatus cum irritos reddidisset omniaque quae opus habebat accepisset, tum demum Brundisium contendit, et inde classe sua in Ciliciam profectus est. Quod denique apud Florum l. c. est: „*Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod XL. die parta est? an felicitatem* etc.," recte Steinmetzius contra Garatonium monuit, id a scriptore non ad omne belli tempus translatum esse, sed, ut ex §. 12. ibid. satis appareat, ad Pompeii excursionem in Ciliciam, originem fontemque belli. Cf. etiam Drum. IV. p. 410. n. 62.

capti interfectique] „App. 96. λῃσταὶ δ' ἀνῃρέθησαν ἐν ταῖς μάχαις ἀμφὶ τοὺς μυρίους. Plut. c. 27. omnibus pepercisse Pompeium scribit additque c. 28: αὐτοὺς δὲ δισμυρίων πλείονας γενομένους ἀνεῖλεῖν μὲν οὐδ' ἐβουλεύσατο. v. infra c. 15." Steinm. Cf. Drum. IV. p. 412.

Cretensibus] v. Prolegg. pag. 11.

usque in Pamphyliam] Cum additum sit *usque*, crederes Pamphyliam ab insula Creta remotissimam fuisse, cum tamen ex proximis illius insulae terris esset. Sed talia facile condonaveris oratori apud populum verba facienti, cuius magna pars fortasse ne nomen quidem Pamphyliae fando audierat, nedum cognitum haberet, magno an exiguo

spatio a Creta distaret. Etiam maior est hyperbole, qua infra §. 46. orator usus est: *quod Cretensium legati ... ad Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt.*

legatos deprecatoresque] i. e. legatos deprecaturos, ut p. Flacco §. 100. *provinciae, quae pro huius periculis legatos laudatoresque misit.*

media aestate confecit] Plut. Pomp. 28. *Κατελύθη μὲν οὖν ὁ πόλεμος, καὶ τὰ πανταχοῦ ληστήρια τῆς θαλάσσης ἐξέπεσον οὐκ ἐν πλείονι χρόνῳ τριῶν μηνῶν.* App. Mithr. c. 96. *ὧδε μὲν ὁ ληστρικὸς πόλεμος, χαλεπώτατος ἔσεσθαι νομισθεὶς, ὀλιγήμερος ἐγένετο τῷ Πομπηΐῳ.* „Tanto accuratior est Plutarchus Appiano, quanto ei magis cum Tullio convenit. Si enim addas XL illos dies, de quibus diximus, his XLIX, tres habebis ipsos a Plut. memoratos menses. Quodsi Cic., cui non erat certe huius belli minuenda celeritas, tempus id longius facere videatur, cum dicat: *ineunte vere suscepit, media aestate confecit*, quis iam Floro habeat fidem? Sane intervallum aliquod cum Tullio Plutarchus inter duas Pompeii expeditiones recte constituit, tresque illos menses videtur a navium deductione ad pugnam prope Coracesium numerasse." Ex Garat. Cf. Drum. IV. p. 412 sq.

CAPUT XIII.

§. 36. *Quid ceterae*] togatae vel, ut ita loquar, domesticae, quae quidem non minus quam bellandi virtus in bono imperatore requiruntur. Lenic.

quas paulo ante commemorare coeperam] „Coepit c. 11, 23. *neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae* etc. Quamquam interposita virtutum illarum narratione mentionem earum, quae ad mores pertinent, hucusque distulit." Man. *Coeperam* apte vertit Seyffertus: *die ich erwähnen wollte.*

quantae atque quam multae sunt] Removi cum Schwarzio ad Tursell. p. 1087. signum interrogationis, cum sit exclamatio. Item falsum est, quod Moebius supra interpunxit: *quid? cetera* etc., ut Matthiae ad or. p. Rosc. Am. §. 92. demonstravit.

quaerenda est] i. e. postulanda, requirenda. Matth.

multae sunt artes eximiae] „i. e. virtutes, ut de Finn. II, 34., ubi *maximas artes* appellat, et contra *inertes*, nulla virtute praeditos: *Sed lustremus*, inquit, *animo non has maximas artes, quibus qui carebant inertes a maioribus nominabantur.*" Hot. H. l. vertas *Eigenschaften.* Cf. impr. Curt. III, 6, 20. *quis ille* (Alexander) *vel ingenii dotibus vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus esset, effecerat*: ibique Muetzellium.

quanta facilitate] Alii libri *felicitate*, quod perspicue falsum est, cum de virtutibus loquatur: facilitatis nomine comitatem et humanitatem Pompeii significat. HOT.

quanto ingenio] i. e. quanto consilio, quanta dicendi gravitate et copia. SYLV. Cf. infra §. 42.

qualia sint in Cn. Pomp.] Aliquot libri *quanta*. „Non hic quaeritur, quantae fuerint hae res in Pompeio; summa enim, ut continuo addit, omnia fuerunt; sed potius, quales fuerint." BEN.

sed ea magis etc.] i. e. sed ita ea consideremus, ut potius cum aliis comparemus, quam per se ipsa spectemus. „Sunt enim," ut Lenicerus bene adnotavit, „duo ut docendi ita cognoscendi modi: nam aut per sese res consideratur, et nominatur γνῶσις ἁπλῆ, aut ex aliorum contentione, qualis quantaque sit, perspicitur, quae ἡ κατὰ σύγκρισιν καὶ συζήτησιν γνῶσις nominata est."

§. 37. *Quem enim imperatorem*] Scholiastae Glabrio significari videtur.

ullo in numero putare] Sic Erf., Col., Pal. IX., Parc.; omnes reliqui: *aliquo in numero*. Lectionem deteriorum librorum Benecke sic defendere conatus est: „Tenendum est pron. *ullus* in his similibusque dictionibus ita usurpari, ut in universum et omnino rem esse negetur; *aliquis* autem poni, ubi quadam gravitate ab omnique parte negemus, et ne illud quidem esse concedamus, quod esse quodammodo concedi possit. Quodsi Tullius scripsisset *ullo in n.*, hoc dixisset: *talem imp. omnino nullo in numero putari posse*: sin vero, quod vix dubitari potest, scripsit *aliquo in n.*, non solum id omnino negat, sed etiam omnes rationes excludit, quibus aliquo tamen in numero putari posse liceat iudicari, et sententia haec est: *talem imp. nullo in numero, ne minimo quidem, putare possumus.*" Addit deinde vir doctus multa exempla, sed nulla alia nisi in quibus post praepositionem *sine* aut *ullus* aut *aliquis* sequitur, qua in re diversa videtur miscuisse. Ac laborat omnino tota eius disputatio duplici, ni fallor, errore. Primum enim Benecke in eo peccavit, quod in loco, in quo utrumvis, et *aliquo* et *ullo in num.*, videtur dici potuisse, libris optimis neglectis deteriores praetulit, quorum lectio iam propterea posthabenda est, quod, cum *in aliquo numero, loco, statu esse* vel *haberi* similiaque saepissime legantur, contra *in ullo numero putari* propter ipsam locutionis potestatem raro locum habuerit (v. exempla ab Ellendtio ad Cic. de Orat. Vol. II. p. 366 sq. congesta), frequentior potius dictio quam rarior interpolationis suspicionem movere debebat. Deinde vereor ut probari possit quod inter duas lectiones interesse praecepit. Si enim dicimus: „*Quem imperatorem possumus aliquo in numero putare?*" significamus, talem hominem non omnino illum quidem ex imperatorum numero eximendum, sed vix imperatorem inferioris loci iudicandum esse. (*Welchen Feldherrn können wir nur eini-*

germafsen als einen solchen zählen, ihm nur einige Geltung einräumen?) Contra si *ullo in n.* in hac sententia dicitur, omnino negatur talem hominem in imperatorum numerum esse referendum, estque sententia: *Welchen Feldherrn können wir irgend als solchen zählen, ihm auch nur die geringste Geltung beimessen?*

cuius in exercitu centuriatus veneant etc.] „Non arbitror haec in Lucullum conferri, quem haud multo ante magnifice laudavit, et Lucullus ante aliquot annos contra Mithridatem profectus est. Hic autem, quem Cic. describit, paulo ante profectus videtur; subiungit enim: *quid hunc hominem magnum et amplum de rep. cogitare, qui ... in quaestu reliquerit?* Eodemque pertinet quod statim sequitur: *vestra admurmuratio facit, Quir., ut agnoscere videamini, qui haec fecerint.* Sed multo apertius c. 22, 65. *Difficile est dictu, Quir., quanto in odio simus* etc. Potius igitur indicari crediderim Acilium Glabrionem, cui partem militum, successori suo, a Lucullo iam esse traditam supra c. 9. dixit." Man. „Falso Anonymus et plerique interpretes ea quae sequuntur in Lucullum dicta putant; obstant enim expressa Plutarchi verba, qui c. 29. scribit: *τὸν Λούκουλλον θαυμάζεσθαι, ὅτι δραχμὴν μίαν ἐκ τοῦ δημοσίου ταμιείου μὴ λαβὼν αὐτὸν ἐξ αὑτοῦ διώκει τὸν πόλεμον.* et 33: *ἡνίων δ' αὐτοὺς (τοὺς στρατιώτας) καὶ οἱ λοιποὶ χειμῶνες. Ἡ γὰρ ἐν τῇ πολεμίᾳ διεχείμαζον ἢ παρὰ τοῖς συμμάχοις ὑπαιθροι σκηνοῦντες, εἰς δὲ πόλιν Ἑλληνίδα καὶ φίλην οὐδ' ἅπαξ εἰςῆλθε μετὰ στρατοπέδου Λούκουλλος.*" Steinm. „Tangitur h. l. certe Glabrio, quia et praesens tempus adhibetur *veneant.* Sed cum sequatur *pecuniam ... diviserit* et *propter avar. ... reliq.*, alterum pertinet ad Lucullum retinendae provinciae, alterum ad Glabrionem obtinendae cupidum. Sed utrum utri conveniat nescimus." Weiske. Quamquam orator tam universe loquitur, ut quae crimina obiicit, ea in omnes imperatores, qui proximis annis superioribus in provincias exierunt, convenire potuerint, tamen vix negari poterit, quaedam ab eo in hoc capite proferri, quae saltem ab equitibus et Fimbrianis Lucullo crimini dabantur; v. Drum. IV. p. 154. et p. 425. not. 66. Imprimis si verba §. 38. *neque enim potest exercitum is continere imperator* sqq. reputaveris, facile credas multos, qui tum illa audiebant, de Lucullo cogitasse; nam scimus et milites eius sacramentum exuisse, et cum ex provincia decessisset, ei a C. Memmio crimen repetundarum intentum esse, quo triumphus ei denegaretur; v. Plut. Luc. 37.

veneant atque venierint] Plerumque in tali sententia perfectum praeponitur; nec tamen desunt exempla huius rarioris verborum collocationis, ut in Verr. IV. §. 132. *nullas* (iniurias) *Graeci homines gravius ferunt ac tulerunt* etc.

quid hunc hominem ... cogitare] „Subaudi *posse putamus?* [immo: *putare possumus.*] Durior ellipsis atque insolentior." Hsum. Benecke

graviter hanc explicationem reprehendit, atque ex eodem ignorantiae fonte omnes illas librariorum hariolationes fluxisse existimat, qui orationem vitiosam opinati frustra refingere vellent. Ipsi satis expedita videtur, si quis meminerit infinitivum a Latinis usurpari, ubi quadam animi commotione aliquid atque indignatione per interrogationem dicant. Poterat in re notissima exemplorum copia supersedere, quibus mihi quidem neutiquam comprobatum videtur, in hac quoque oratione sedata infinitivum illum indignationis agnoscendum esse. Cf. etiam L. de Ian. I. c. p. 82. Neque video tantam in oratione licentiam aut insolentiam, quantam Heumannus sibi reperisse visus est. Ut enim taceam oratorum verba ad faciles audientium aures, non ad fastidiosa legentium iudicia composita esse, oratoris licentia non ita magna videbitur, si cogitaveris verba „*quem imperatorem possumus ullo in numero putare?*" ita dicta esse, ut facile *esse* ad *ullo in n.* suppleas, quo suppleto iam duae interrogationes eiusdem structurae a vv. *possumus putare* suspensae apparent. Verum ne hoc quidem refugio opus videtur, nisi illa quoque condemnare velis, quae leguntur in Verr. V. §. 23: *Primum insimulatio est repentina capitalis atque invidiosi criminis: statuite, quanti hoc putetis et quam multos redemisse.* Cf. etiam adn. ad or. Sull. §. 91. p. 161 sq.

magnum aut amplum de rep. cogitare] *Steinm.* apte comparavit Dem. Olynth. III. p. 37. ἔστι δ' οὐδέποτ', οἶμαι, μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας. Contrarium est in or. Catil. III, 2, 5. *qui omnia de republ. praeclara atque egregia sentirent.* Cf. Seyff. ad Lael. p. 228.

pecuniam ex aerario depromptam] „Imperatoribus in provinciam ituris pecunia SCto ex aerario attribuebatur, quam quaestores aerarii adnumerabant; v. Verr. I, 13, 34. Haec pecunia *attributa* dicebatur, ut Varro V. §. 181. demonstrat." HOT.

propter cupiditatem provinciae] „scil. retinendae. Etenim iam Schol. vetus vv. *magistratibus diviserit* recte refert eo, ut magistratus impedirent, ne decedere exacto anno de provincia iuberetur, atque adeo ipsi succederetur. Non enim ideo magistratibus divisit pecuniam ad bellum gerendum acceptam, ut ipsi decerneretur provincia (ut Heum. accepit), cum, nisi eam iam habuisset, pecuniam attributam accipere non potuisset." BECK.

magistratibus] consulibus, tribunis aliisque, qui plurimum vel in senatu vel apud populum valebant. BLOCH.

Romae in quaestu reliquerit] scil. apud argentarios. „Idem obiicit Pisoni c. 35. *Nonne HS centies et octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis ascripseras, ex aerario tibi attributum Romae in quaestu reliquisti?*" MAN. Cf. de Offic. II. §. 77.

vestra admurmuratio] ut Xen. Hell. II, 3, 50. *καὶ ἡ βουλὴ ὅλη ἐγένετο ἐνμενῶς ἐκθορυβήσασα.* Ceterum de hac populi consuetudine admurmuratione et clamoribus suam voluntatem significandi Hotemanus adnotationem suam ad Verr. Act. I, 15. conferri iubet.

nomino neminem etc.] Graevius apte comparavit Phaedr. Fab. III. Praef. v. 45 sqq. *Suspicione si quis errabit sua Et rapiet ad se, quod erit commune omnium, Stulte nudabit animi conscientiam.*

§. 38. *nostri exercitus ferant*] i. e. *afferant*, ut scriptum legitur in cod. Col., quam lectionem, cum vulgata quibusdam ambigue dicta videretur, quod et *afferant* et *perferant* significare posset, praeferendam putabat Modius in ep. 97. At unum codicem non esse audiendum ostendit Reitzius de Ambig. p. 215., quem Garatoni appellavit, rectequ monuit Moserus nullam esse ambiguitatem, si memineris ex *quocumque* ad *ferant* demonstrativum *eo* repetendum esse.

itinera, quae ... fecerint, recordamini] Sic Erf., Pal. IX., unus Menas.; reliqui *fecerunt*. „Nulla causa est, quamobrem coniunctivum probemus. Non enim haec pendent ex v. *recordamini*, sed explicationi substantivi *itinera* inserviunt. Aliter esset, si Tullius scripsisset: *quae itinera fecerint, recordamini.*" E Ben. Quamquam coniunctivus non est necessarius, optime tamen locum habet, si cogitaris *itinera* non sine vi sententiae interroganti praepositum et per attractionem verbo *recordamini* accommodatum esse. Accedit quod concitatior illa oratio, ex qua *quae* pro interrogativo *qualia* positum est, toti sententiae maxime convenit.

recordamini: tum ... statuetis] De hac orationis forma v. adnot. ad Sullanam §. 5. p. 56. Similiter conqueritur orator in ep. ad Qu. Fr. I, 1. §. 33: *non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, cum audierim in Italia querelas civium.*

hibernis sociorum civitates esse deletas] „Sic in Pis. c. 35. *Nonne, hiberna cum legato praefectoque tuo tradidisses, evertisti miseras funditus civitates?* et infra §. 46." Steinm.

qui se ipse non continet] De lectione *ipse*, pro qua in codd. deterioribus *ipsum* invenitur, nolo longas disputationes hominum doctorum repetere, quas Benecke p. 230 sqq. congessit, quibus addas Bakii sententiam in Bibl. crit. nova V, 2. p. 510. Equidem satis habeo ad ea provocasse, quae nuper Seyffert ad *Cic. Lael.* p. 24 sq. et Naegelsbach *Lat. Stilistik* p. 177 sq. disputaverunt. Ad sententiam iam Sylvius apte comparavit Cic. ep. ad Q. Fr. I, 1, 2. *quid est enim negotii, continere eos, quibus praesis, si te ipse contineas?* Add. de Rep. I. §. 52.

§. 39. *Hic miramur*] v. Hand. Turs. III. p. 80.

cuius legiones sic in Asiam pervenerint] Sic recte Erf. Pal. IX. aliique codd. (v. Madv. Opusc. p. 114.) pro vulg. *pervenerunt*. Con-

iunctivus necessarius est, cum verbis *cuius ... pervenerint* causa reddatur, cur non sit mirandum, quod Pompeius tantum ceteris excellat. Sic Wunderus p. LXXI. de coniunctivi ratione iudicavit, a quo Benecke ita dissentit, ut coniunctivum propterea positum censeat, quod tota haec enuntiatio ad animum hominum mirantium referatur. Sed facile intelligas hanc explicationem ab illa Wunderi magis verbis quam re discrepare, cum omnes enuntiationes relativae, quae causales videntur, ad illam rationem, quam Benecke indicavit, revocandae esse videantur. Quod denique Bake lectionem *pervenerunt* in Bibl. cr. n. V. p. 511. ita defendit, ut post *ceteris* interrogationis signum ponendum esse iuberet, vereor ut ipse hodie probet, nec quemquam comprobaturum esse existimo, qui totam periodum clara voce sibi recitare voluerit.

ut non modo manus etc.] i. e. ut non modo nihil rapuisse, sed ne pedem quidem, ubi non licebat, posuisse dicatur. HOT. Vv. *vestigium* etc. sic explicare malim: milites Pompeiani non modo nihil rapuerunt, sed ne itineribus quidem eorum, quod in magno exercitu vix poterat caveri, hominum pacatorum agris quidquam detrimenti allatum est.

hiemis enim, non avaritiae perfugium] „*Hiemis perf.* est, quo hiemis vitandae causa confugimus, ut *perfugium portusque supplicii* p. Caec. §. 100.; *avaritiae perf.*, quo avaritia ad se explendam confugit. Sic καταφυγή apud Eurip. v. Schaef. ad Orest. 442. Pors." MATTH. Notandus est error Ellendtii, qui loco ipso non iterum inspecto in Comment. ad Cic. de Orat. p. 152. scripsit *avaritiae perfugium* esse, quo quis se adversus avaros s. ab avaris tutetur. Sed talia haud pauca in illo commentario, ceterum bonae frugis plenissimo, inveniuntur. Quod denique diversi genitivi inter se oppositi sunt, apte comparaveris Hom. Iliad. IV, 137: μίτρης θ', ἣν ἐφόρει, ἕρυμα χροός, ἕρκος ἀκόντων.

CAPUT XIV.

§. 40. *Qua sit temperantia*] „*Qualis s. t.* legunt 8 Oxx., Pall. plerique et alii Gruteriani, 2 Francii et Dresd., atque edd. pr., revocavitque in ordinem Ern. Nam quod vulgo olim legebatur, *quali*, a Naugerio inventum est probatumque Camerario. Cod. Col. *quae*, quod et ipsum docet hic nominativum lectum esse. Modius et Grut. maluerunt *qua*." BECK. A Beneck. et Klotz. lectio *qualis* recepta est, sed ita ut ille de eius veritate dubitaret, a Madvigio *quali*, ab Orellio denique ex cod. Parc. *qua*, quod Weiskio quoque maxime ex more Tulliano visum est; sed dissentit Klotz. in Iahn. A. N. Vol. 22. p. 153: „Cicero will hier nicht den Grad noch Gehalt, sondern mehr die Art und Weise seiner Enthaltsamkeit zeigen. An dem Nominativ darf Niemand Anstofs nehmen." At cum, si nominativum ponas, pronomen *eius* magnopere

desideretur, satius duxi lectionem *qua*, quae se ipsa commendat, postquam nunc in cod. quoque melioris familiae inventa est, recipere.

cursum inventum] „i. e. quanam arte tanta celeritas reperta est? quae res tantae celeritati causam praebuit?" Ex Hor. „Exquisitius genus loquendi turbavit librarios, ut *initum* corrigerent, etiam Lambinum, ut *natum* daret. Est e Graeca consuetudine in verbo εὑρίσκειν, pro *parare, consequi*." Ean. Comparaverunt or. p. Sull. §. 83. *memoria per me inventae salutis.* Terent. Phorm. III, 3, 1. *unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam miser.* Sal. Iug. 70, 2. *ex quo illi gloria opesque inventae.* Cf. etiam Gron. Diatr. ad Stat. 1, 7. (I. p. 83. ed. Hand.), ad quem Garat. in Cur. sec. provocavit.

in ultimas terras] Sic infra §. 46. et Sal. Cat. c. 16. *in Italia nullus exercitus, Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat.* Quid quod Cicero in or. p. Flacco §. 63. Massiliam *in ultimis terris* cinctam *Gallorum gentibus* dixit!

pertulerunt] Pal. IX.: *detulerunt*, cum marg. ed. Crat.

avaritia] quo vitio et Plutarchus et alii eum liberant. E Man.

devocavit] Codd. deteriores *revocavit.* „V. Davis. ad Caes. B. G. VI, 7., qui hoc ipso loco usus est ad verbi elegantiam vimque notandam, de qua Heinsius quoque et Burm. ad Ovid. Met. V, 102. Sententiam illustrat Victorius Var. Lectt. VII, 8. [qui comparavit cum h. l. Xenoph. Hellen. V, 8, 22. et Cic. p. Arch. §. 12.]" E Gar.

nobilitas urbis] Athenas, opinor, significat, quo ingressum Pompeium Plut. v. Pomp. 27. scribit rem sacram fecisse et habita contione continuo decessisse. Hor. Imitatus est locum Claudius Mamertinus in Paneg. II. c. 4. (I. p. 146. ed. Iaeg.): *Ex istis ergo causis stirpis vestrae ... illa veniunt ..., quod diutius in iisdem manere vestigiis dedignamini, quod vos continuo rerum cursu gerendarum non modo amoenitas locorum aut nobilitas urbium, sed ne ipsa quidem victoriarum vestrarum laetitia remoratur.*

postremo signa et tabulas] Cf. locum similem in ep. ad Q. Fr. I, 1, 8.

signa ... ea] v. supra ad §. 33. pag. 161.

§. 41. *in iis locis*] Sic lectionem vulgatam *in his locis* Madvig. et Beneck. correxerunt. Pal. IX. solus habet: *in istis locis.*

de caelo delapsum] Sic ad Q. Fr. 1, 1. §. 9. *Nam Graeci quidem sic te ita viventem intuebuntur, ut quèndam ex annalium memoria aut etiam de caelo divinum hominem esse in provinciam delapsum putent.*

homines Romanos] „Eadem ratione dicuntur *homines Graeci, h. Latini, h. adolescentes* et similia. Verum has dictiones nusquam Latini usurpabant, nisi ubi ipsam indolem ac naturam gentis vel hominum potissimum respicerent." E Ben. Cf. etiam Kritz. in Zimm. Schulz. 1830. p. 125 sq.

hac quondam continentia] Codd. deteriores *abstinentia*; at v. Wund. Var. Lectt. p. LXIX. Beneck. ad h. l. Doed. Syn. II. p. 211.

quod iam ... videbatur] i. e. videri coeperat.

nunc imperi vestri splendor illis gentibus lucem afferre coepit] i. e. laetiorem rerum statum, ut supra §. 33. *tantamne unius hominis incredibilis ... virtus tam brevi tempore lucem afferre reip. potuit* etc. et Phil. XIII. §. 44. *Plancum participem? cuius memorabilis ac divina virtus lucem affert reip.* Immerito hac lectione codd. optimorum (Taur. Erf. Pal. IX. Col.) spreta Bake in Bibl. crit. n. V. p. 510. et Benecke vulgatam (*illis gentibus lucet*) retinuerunt. Quorum ille: „Est gradatio in Cic. verbis: *incipiunt credere* de temporibus praeteritis, *splendor lucet* de praesentibus, *intelligunt* in manifesta argumentatione." Quod autem Benecke negavit sibi umquam persuaderi posse, quemquam Romanum locutione *splendor lucem affert* usum esse, cum inter *splendor* et *lux* ea differentia sit, ut *lux* quidem *splendorem afferre* recte dicatur, *splendor lucem afferre* minime dici possit, si quidem luce allata splendor demum exoriri soleat, id quidem aliis, qui translationis vim recte perspexerint, non ita aegre persuadebitur. Hoc enim dicit, si libros praestantissimos audias, optimus dicendi magister: Nunc splendor imperii Ro. ex luce sua maxima atque amplissima exteris quoque nationibus aliquid lucis impertire coepit, sive detracta imagine: nunc gentes illae sentire incipiunt, sub felicissimi imperii Ro. tutela suas quoque res non posse non laetiores fieri.

iam vero ita faciles aditus etc.] Si propositus earum artium ordo, quae praeter bellandi virtutem in summo imperatore sunt quaerendae, servandus est, non hic *facilitatis*, verum *fidei* laudandae locus erat. MAN. *Aditus* autem intelligas de copia adeundi: v. Fabr. ad Liv. 24, 5. p. 198. et add. Tac. Ann. II, 2. *prompti aditus*. De re cf. locum similem ep. ad Q. Fr. I, 1. §. 25. et 32.

infimis par] Heum. apte comparavit Corn. Nep. Attic. 3. *Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur.*

§. 42. *quantum consilio*] „*Consilium* hic appellat, quod c. 13, 36. *ingenium*; gravitas enim et copia dicendi ab ingenio maxime proficiscitur. Sed quia sine consilio atque prudentia nihil fit, ideo *consilium* vocavit ad maiorem Pompeii laudem; ingenium enim naturae bonum est, non voluntatis et industriae." MAN. Est h. l. *consilium* quod nos dicimus: *staatsmännische Einsicht.*

dicendi gravitate et copia] „At Velleius II, 29, 3. *eloquentia medium* vocat; et ipse Tullius in Bruto 68, 239: *Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus, maiorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum maioris gloriae cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat; actio vero eius habebat et in voce magnum splendorem et in motu summam dignitatem.* Verum Plut. Pomp.

c. 1. τούτῳ δὲ πολλαὶ (αἰτίαι) τοῦ ἀγαπᾶσθαι· σωφροσύνη περὶ δίαιταν, ἄσκησις ἐν ὅπλοις, πιθανότης λόγου κτλ. et Quinct. XI, 1, 36: *Pompeius abunde disertus rerum suarum narrator.*" Ben. Cf. Ellendt. ad Brut. l. c. p. 409. ed. II. et Drum. IV. p. 550.

vos, Quirites] „Col. *vos quoque*, quod placet Modio ep. 69., nisi potius quod putet *vos quoque Quirites* etc." Gaut. „Male quidem: nec particula *quoque* huic loco convenit, in quam vox *Quirites* compendio male intellecto facillime potuit depravari." Ben.

hoc ipso ex loco] Codd. deteriores: *hoc ipso in loco*; at v. §§. 3. 21. 52. 70.

cognovistis] „Sic scribendum duxi ex Erf. et Mon. c. f., quod quodam modo codd. confirmant, in quibus corrupte *cognoscitis* scribitur. Breviorem autem formam quemadmodum aliis locis, ut p. Quinct. §. 89. et p. Rosc. Am. §. 119., lubentissime praefero, ita pleniorem ubique in fine sententiae recipiendam puto, ut infra §. 68." Ex Ben. *Cognovistis* hic et infra §. 68. tuentur Erf. et Pal. IX.; contra habet Tegerns. §. 68. *cognostis*.

hostes omnes omnium generum] „Hanc lectionem optimorum codd. recepi, quam Orellius [in edit. I.] perversam iudicat. Equidem non video, cur necessario hic piratae significandi fuerint [qui significantur ex lect. codd. deteriorum: *hostes omnium gentium*] ac non sociis universe hostes contrarii ponendi, et amplificandi causa hostes omnes omnium generum; omnes enim Pompeii fidem experti erant et secuti, ut Cretenses, non soli piratae." Madvig. Quanto sit haec lectio vulgata praestabilior, facile est intellectu. Indicatur enim in Pompeio, quamquam cum variis hostibus pugnaverat, nunquam tamen fidem desideratam esse. Quod eo maiori laudi ei ducendum erat, quod non tantum cum gentibus exteris ei res fuit, sed etiam bella civilia administravit, quo in certamine tam effrenatae cupiditates esse solent, ut saepe omnis fides conculcetur. Accedit quod in lectione vulgata falsam habemus argumentationem. Nam si Pompeius piratis fidem servavit, nondum erat, cur socii quoque eam magnam existimarent: quod enim illos clementer tractavit, magis consilio quam fide fecisse putandus est. Ceterum *gentium* et *generum* etiam in or. p. Font. c. 2. confusa leguntur, ut notavit Garat. in marg.

sanctissimam iudicarint] „quia se illi tradiderunt, hostile nihil timentes." Man. Malim simplicius explicare: quicunque fidei eius se commiserunt, sanctissimam experti iudicarunt, gratisque id animis agnoscunt.

humanitate iam tanta est] Benecke particulam *iam* delendam censet, offensus eius collocatione, „quae nescio an nusquam, hac certe significatione, nisi in ipso initio sententiae poni consueverit." Mihi propterea *iam* postpositum videtur, quod hic in ultimo membro fere in

vim particulae *denique* transiit, et sic *humanitas fidei* cum maiore vi opponitur. De re autem v. Cass. Dion. 36, 20: *Πολλῇ δὲ καὶ τῇ φιλανθρωπίᾳ τῇ πρὸς τοὺς ὁμολογοῦντάς οἱ (ἐχρῆτο), ὥστε καὶ ἀπὸ τοῦ τοιούτου παμπόλλους προσποιήσασθαι. Οἱ γὰρ ἄνθρωποι ταῖς τε δυνάμεσιν ἡττώμενοι καὶ τῆς χρηστότητος πειρώμενοι προθυμότατα αὐτῷ προσεχώρουν.*

Et quisquam dubitabit] Sic infra §. 45. et §. 55. (*et iis temporibus non pudebat* etc.). De hac interrogationis forma, quae mirantis est vel indignantis, cf. Hand. Turs. II. p. 492. et impr. Wagnerum ad Virg. Aen. I, 48. in adnot. crit. p. 75 sq. De re autem v. Drum. IV. p. 426. not. 69.

transmittendum sit] i. e. deferendum. Hoc verbo fortasse usus est, habita absentis Pompeii ratione, cui quasi mitti bellum oportet. MAN. Immo dictum est ut supra §. 1. Eaque causa fuisse videtur, cur orator vocabulo rariore uteretur, quod sermo est de bello, quod ab altero imperatore ad alterum deferendum erat.

CAPUT XV.

§. 43. *Et quoniam auctoritas quoque* etc.] „Die Gegner verlangten keine Beweise für das Ansehen des Pompejus; sie kannten es nur zu sehr, sondern für die Unschädlichkeit eines Gesetzes, welches dasselbe durch neue und gröfsere Vollmachten vermehren sollte." DRUMANN Vol. IV. p. 426. Quod vero in libris deterioribus *quoque* post *in bellis* legitur, de ea re v. Wund. V. Lectt. p. LXVIII. et Madv. Opusc. p. 182.

ea re] Sic Taur. et Erf. „Alii *ea in re*. Neutrum placet; lego *ea*, scil. *auctoritate*." HEUM. *Ea re* est nostrum „*in dieser Beziehung*."

ut aut contemnant aut metuant] Est *contemnere* h. l. non metuere, *καταφρονεῖν τινος* sive *θαῤῥεῖν τινα* (ut Dem. Olynth. III. §. 7.); cf. Cic. Legg. II, 17, 43. *quidquid agerent modo timentes, vicissim contemnentes religiones.* Q. Cic. de petit. consul. 3, 10. *Hic se sic habet, ut magis timeat, etiam si quierit, quam ut contemnat, si quid commoverit.* Rhet. ad Alex. c. 7. §. 3. *οἷον ἐὰν τύχωσί τινες καταφρονήσαντές τινα ἢ δείσαντες.*

opinione non minus et fama] Sic Taur. et Col., nisi quod hic *ac fama* habet; reliqui: *opinione non minus famae.* „Colon. *ac fama*, quod rectum putat Guilielmius: aut enim, inquit, suspicionibus aut rumoribus hominum temere credimus." E GRUT. „Benecke recte Matthiaei rationem, qui lectionem vulgatam *opinione n. m. famae* (i. e. opinione hominis, quae fama de eo sparsa nititur) exemplis similibus tueri conatus est, impugnavit: nam primum in illa ratione genitivi substantiva alio interiecto vocabulo non facile seiungi; deinde locum, quem par-

ticulae *non minus* teneant, pstendere, si Tullius *famae* scripsisset, eum pro sua elegantia orationem ita conformaturum fuisse, ut etiam alius genitivus pari ratione a voce *ratione* suspensus sequeretur. Apte autem contulit Steinmetzius Caes. B. C. I, 82. *contra opinionem famamque omnium.* p. Flacc. c. 6. *communi fama atque sermone.* de N. D. II, 37. ad Q. Fr. I, 1, 8. Add. Cic. Phil. V, 10. *bellum civile opinione plerumque et fama gubernatur.* ad Fam. XII, 4, 2. *nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum atque fama.* Caes. B. C. III, 36. et 56. Prob. ad Verg. Buc. 7, 61. *Pindarus initio Alcidem nominatum, postea Herculem dicit, ab Hera ..., quod eius imperiis opinionem famamque virtutis sit consecutus.*

ratione certa commoveri] Sententia similis est p. Scauro c. 7. *quamquam in istis omnibus rebus, praesertim apud homines barbaros, opinio plus valet saepe quam res ipsa.* Steinm.

tam praeclara iudicia fecistis] summis ad eum honoribus imperiisque delatis; cf. §. 2. *ex vestro iudicio* etc. et §. 46. a. f. *magnis vestris iudiciis* etc.

§. 44. *illius diei*] quo legem de Pompeio contra piratas mittendo A. Gabinius trib. pl. tulit. Man.

ex quibus hic locus conspici potest] Sic p. Mil. in.: *quos undique intuentes, unde aliqua pars fori aspici potest ... videtis.* Lamb.

unum sibi ... depoposcit] Ad eam rem pertinent quae ex oratione, qua Q. Catulus legem Gabiniam dissuasit, Cassius Dio attulit l. 36. c. 18 sq.

commune omnium gentium bellum] Piratas item Cic. in Verr. V. §. 76. *communes hostes gentium nationumque omnium* appellat; add. ibid. IV, 9, 21. de Off. III. §. 107. Flor. III, 6, 1. etc.

ut plura non dicam] „Beneckius ad h. l. docet *ne dicam* usurpari, si quid gravius dicere nos posse indicemus, sed id dicere nolle: verbis *ut non dicam* significari, quod dici [quodam modo] possit, nos dicere nolle, quamvis [immo: cum] id necessarium non sit, atque ea, quae dicimus, ad praesens consilium ac propositum satisfaciant. At illud, quod his contrarium est, videtur verum esse. *Ne plura dicam* qui dicit, tenet in animo id, quod dicit et quod potius est, reliqua omittens; sed vv. *ut plura non dicam* significant, ut ea, quae plura sint, sive plura, quae in promptu sunt, non dicam. Illis verbis exprimitur nos nolle dicere, quae fortasse afferri possint, sed aut non necessaria aut non comparanda cum dictis sint: his autem, nos nolle dicere ea, quae alia conditione dici debeant. Intelligo: *ut consulto praeteream.* In hunc modum Cic. p. Mur. §. 32. *quem L. Sulla ... pugnax et acer et non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, bello invectum totam in Asiam cum pace dimisit.* ad Fam. V, 16, 4. *ut ea non dicam, quae saepissime legi et audivi.*" Hand. in Turscll. IV. p. 52. In Handii dis-

putatione eam perspicuitatem requiro, quae in his rebus subdifficilibus fere necessaria est. Iniecitque nonnulla, quae non possum non falsa iudicare. Quod enim quaerit, quid foret „*ne plura dicam*," propterea alienum erat, quod in tali sententiae conformatione *ne dicam* omnino dici non poterat: sequitur nec illam quaestionem moveri debuisse, utra duarum illarum locutionum esset significantior; suapte enim natura tam diversae sunt, ut locus vix cogitari possit, quo alterum pro altero dici potuerit. Sed ut aperiam, quid ego sentiam, qui dicit *ne dicam*, negat se dicere velle, quod dicere possit, sed ob eam causam nolit, ne nimium aut de se aut in alium dicere videatur. Cf. Weissenb. Gramm. §. 190. not. 4., qui inter alia attulit Liv. 39, 28: *pro hoc studio meo erga vos, ne dicam merito* etc., i. e. dico *studio*, ne dicam *merito*, quod meo iure possim, sed nolo, ne nimium dicendo vestras aures offendam. p. Deiot. §. 2. *Crudelem Castorem, ne dicam sceleratum et impium* etc., i. e. crudelem nomino, ne, si sceleratum dicam, quo nomine sane dignus est, nimis vehemens in hominem videar. Apparet in tali sententia semper inesse correctionem, cum is qui ita loquitur affirmet se alterum pro altero dicere potuisse, unde sequitur *ne dicam* non posse prius inferri, quam alterum dictum est. Ab hac dicendi ratione locutio *ut hoc illudve non dicam* prorsus diversa est, si et sententiam et locum, quo talis locutio inferri solet, spectes. Ut enim in illa sententia est prohibitiva, sic in hac concessiva, quam potestatem ex significatione modi profectam esse Madvigius ad Cic. de Finn. p. 266. recte monuit. Qui enim ita loquitur, significat se praetermittere, quod non necessarium videatur, cum res quam demonstraturus sit etiam ita vera sit apparitura, ut (i. e. etiam si) alterum quod dicere possit omittat. Cf. in Verr. IV. §. 45. *Tu dignior, Verres, quam Calidius? qui, ut non conferam* etc., i. e. ut conferre omittam. ibid. V. §. 179. Liv. V, 43. *Hanc iactari magis causam quam veram esse, ut ego non dicam, apparere vobis, Quirites, puto* etc. Hoc unum duae locutiones commune habent, quod in utraque nos saepe „*um nicht zu sagen*" promiscue dicere possumus.

quantum auctoritas valeat in bello] Sic primum scriptum est in edit. Iuntina; codices noti habent: *quantum huius auctor.*, praeter codicem Victorianum, cuius lectiones margini edit. Bononiensis a. 1499. ascriptas Benecke publicavit: de qua re monendum est me usu cognovisse, has ipsas lectiones persaepe cum lectionibus Iuntinae conspirare. „Ut bene vidit Ern. et iam ante eum Heumann., *huius* est vitiosum. Nam non est oppositio inter vv. *aliorum* et *huius*, sed *aliorum exempla* opponuntur *Pompeii exemplo*, ut doceatur, quantum omnino *auctoritas ducis* valeat." BECK. Lectionem librorum nostra aetate nemo defendere conatus est praeter Klotzium, qui in Iahn. Ann. N. Vol. 22. p. 153. haec scripsit: „Läfst man *huius* aus, so geht die Rede zwar

richtig fort, da dann *auctoritas* im Allgemeinen steht; aber auch *huius* ist nicht falsch, ja wegen der Schärfung des *aliorum* und besonders wegen des innern Gedankens ganz im Geiste Cicero's: — *Damit ich also nicht weitläufiger werde, noch durch Beispiele anderer bestätige, wieviel dieses Mannes Ansehen im Kriege gelten müsse, so sollen von eben diesem Pompejus* etc. Hier ist *huius auctor.* ea auctoritas, quam hic habet et adfert ad bellum, und um zu zeigen, wie hoch man also das Ansehen, in dessen Besitze jetzt Cn. Pomp. war, anzuschlagen habe, will er von demselben auch die Beispiele selbst herholen, nämlich wo sich anderwärts schon der Einfluſs des persönlichen Ansehens im Kriege bei ihm bewährt habe." At mihi quidem homo acutissimus non persuasit cum legibus logicis argumentationem convenire, qualis est haec: *ut non aliorum exemplis confirmem, quantum Pompei auctoritas valeat in bello, a Pompeio huius quoque rei exempla sumantur.* Concederem fortasse, quamquam probare non possem, si tale quid scriptum legeretur: *ut non aliorum exemplis confirmem, quantum Pompei auctoritas in hoc novo bello sit valitura, a Pompeio* etc. Quod enim Klotzius vv. *quantum valeat* sic vertit: „*wieviel gelten müsse*," addito necessitatis verbo aliquid immiscuit, quod vereor ut orator significare voluerit. — In corrupto *huius* fort. *ducis* latet.

qui quo die] „Haec vv. possunt exponi „*quo die is*" ex affinibus, quae notavi ad Verr. Act. I. c. 9. et p. Caec. c. 26. aliisque quae collegit Wopk. Lectt. Tull. II, 13. Sed non est necesse: nota enim mutatio syntaxeos." Gar. Vide, quem citavit Benecke, Krueg. de Attract. p. 236 sq.

vilitas annonae] „*Annonae* non erat in Ms. Modii; inde ille deleri volebat: male. Non sensit perire concinnitatem ex aequalitate ac similitudine membrorum: *vilitas annonae — caritas rei frumentariae.*" Ern. De re v. Prolegg. pag. 10. n. 38.

vix ex summa ubertate] Coloniensis *vix in summa ub.*, quod Modius vulgatae praetulit et mihi quoque, etsi non ignoro quo vulgata defendi possit, praeferendum videtur cum ob sententiam, tum quod verbis *ex summa inopia* praecedentibus facilis erat librariorum vel error vel corrigendi voluntas.

§. 45. *invitus admonui*] non disserui multis verbis, ne vestram vobis calamitatem ante oculos ponerem, sed paucis admonui (§. 25.), ne quid eiusmodi vobis caventibus in posterum posset accidere. Man.

non haberet] discedente Lucullo iussu vestro. Man.

nisi ad ipsum discrimen eius temporis] Sic Erf., Col., Pal. IX., Parc., quae scriptura in reliquis libris varie vexata atque immutata est. „*Ad ipsum discr. eius temp.* est illo ipso tempore, cum summa illius provinciae res ageretur, cum amittenda Asia esset aut servanda. ad Fam. II, 7. *iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum con-*

tulisti tribunatum tuum." E GRAEV. De praepositione *ad* v. Hand. Turs. I. p. 99 sq. Germanice autem dicas: *gerade in dem entscheidenden Augenblicke jener kritischen Lage.* Ceterum si quis de veritate lectionis optimae dubitaverit, auctorem suae sententiae inveniet Beneckeum, cuius longam disputationem p. 249 sqq. refellere in animo non erat.

divinitus] non humano consilio; non enim Asiae Pompeio, sed maritimi belli administratio tradita fuerat. MAN. Cf. 5, 13. *cuius adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt ac retardatos.*

ad eas regiones] valet, ni fallor, „*in die Nähe jener Gegenden.*" Sic autem scripsit, non *in eas regiones*, ne nimia videretur veritatis superlatio.

insolita inflammatum victoria] cum antea victus esset a Sulla, a Murena, a Lucullo. MAN.

retardavit] *Continuit* de propinquo hoste Mithridate dixit, *retardavit* de Tigrane, qui longius aberat. Mithridatis enim, non Tigranis illa victoria fuit. MAN.

quid virtute perfecturus sit, qui ... perfecerit] Codd. aliquot deteriores habent: *profecturus sit* et *profecerit*; contra var. Stephaniana: *perfecturus sit ... profecerit*, quam lectionem Weiske et Orelli (1) amplexi sunt. At recte Benecke: „Populi Ro. non id solum interfuit, ut proficeret aliquid virtute Pompeius, sed multo magis, ut rem totam perficeret." Accedit quod conclusio ipsa postulat, ut idem verbum servetur; v. Madv. ad Cic. de Finn. p. 127.

CAPUT XVI.

§. 46. *Huic se uni*] Codd. deteriores *una*. „Optime *omnes uni* opponuntur. Sed *una* non convenit verbis *brevi tempore*; esse debuerat *omni tempore*. Et quomodo adeo invicem remoti se eodem tempore potuerint dedere?" BECK.

quod Cretensium legati] „Quod Col. *communis* [immo *communi*] *Cretensium* habet, ex quo Guilielmius *a communi* scribendum existimavit [ut est in Verr. II. §. 114. *cui statuae stant Romae inauratae a communi Siciliae* etc.], id merito editores neglexerunt; neque enim hic *communi* Cretensium locus est, et ipse ille codex nonnullis locis manum interpolatricem est expertus." BEN. De re autem adnotavit Drumann IV. p. 426: „Nicht das Ansehen des Pompejus bestimmte die Cretenser, sondern seine Milde gegen die Piraten und die Grausamkeit des Metellus Creticus (IV. p. 414. II. p. 52 sqq.); folglich hätte dieſs im Vorigen erwähnt werden sollen, wo von der Menschenfreundlichkeit die Rede ist, und auch dann war zu erwiedern, sie sei dem P. von der

Klugheit vorgeschrieben, und er habe seinem Rufe bei den Cretensern durch geheime Sendlinge nachgeholfen." Quod etsi vere dictum est, tamen oratori suas rationes sequenti facile condonabimus, quod in causa, in qua de imperatore deligendo agebatur, illud factum potius auctoritati Pompeii, quam mansuetudini eius aliive causae assignare maluerit.

in ultimas prope terras] „Elate pro *in Pamphyliam*." Hor. Graevio non videtur esse veritatis traiectio, quod Romani *ultimas terras* et *extremas gentes* vocaverint longissime Roma disiunctas, in finibus imperii Ro. remotissimis sitas. (Cf. supra ad §. 40.) Quod quamquam per se recte dictum est, tamen ad hunc locum minus pertinet, in quo non agitur de distantia ab urbe Romana, sed ab eo loco, unde legati illi profecti sunt. Cf. adn. ad §. 35. p. 165 sq.

idem iste Mithr.] „Recentissimi haeserunt in *idem*, quod proxima erat Cretensium mentio. At *idem iste* est, de quo nuper locutus iam sum et de quo tota est oratio. Satis erat inspexisse 7, 19: *deinde quod nos eadem Asia atque idem iste Mithridates ... docuit.* Ne ibi quidem proxime praecessit Mithridatis mentio." Madvig. Cf. etiam Beneck. ad h. l. p. 254 sq. et Reis. Vorles. p. 375.

ad Cn. Pompeium legatum] „nicht zu Metellus Pius, dem andern Feldherrn im Kriege mit Sertorius, dessen Ruf daher geringer war. Um das Volk und dessen Günstling sich zu verpflichten, wird Cic. nicht müde, die Ersten Roms anzufeinden, was ihm bittere Früchte trug. Die Sache selbst aber ist erdichtet oder doch entstellt. Nach allen andern Nachrichten unterhandelte Mithr. mit Sertorius, nicht mit Pompejus; man kann höchstens zugeben, dafs dieser einen Späher des Königs in seinem Lager ergriff, und aus Eitelkeit ihm scheinbar glaubte, er habe Aufträge an ihn." Drumann. IV. p. 416. n. 73.

usque in Hispaniam] Ex errore librarii profectum videtur, quod in uno Erfurt. legitur: *usque ad Hisp.* Tuetur *usque in H.* etiam Pal. IX.

eum quem Pompeius] Codd. deteriores: *eumque P.* „Non potuit hic interrogari: nonne eum Pompeius legatum iudicavit, alii speculatorem? sed tantum hoc quaeri: nonne Mithridates ad Pompeium misit legatum? quem Pompeius quidem legatum iudicavit, alii speculatorem." Beck.

quibus erat [*semper*] *molestum*] Omisit Madvigius *semper*, quod abest a Colon., Parc. et Franc. I. Contra retinuit Beneckе cum plerisque editoribus, sic disputans: „Talia librarii non solebant addere. Etiamsi autem *semper* ad sententiam non vehementer requiritur, satis tamen habet, quo se commendet. Urget enim notionem, quae inest in voc. *molestum*: indignatio illorum hominum diuturna fuit. Hinc etiam verborum collocationem, quam Erf. [et Pal. IX.] habet: *quibus erat semper mol.*, patet multo meliorem esse quam vulgatae: *quibus semper e. m.*" Si *semper* deleas, certe nulla iniuria oratori inferetur. Inest enim in repetito hoc vocabulo nescio quid ieiuni, ne dicam puerile.

Multumque valere debet, quod in duobus codd. familiae optimae *semper* non legitur, ad quos accedit tertius, Francianus I., qui haud raro cum codicibus familiae melioris conspirat.

multis postea rebus gestis] post Hispaniense bellum contra piratas. MAN.

magnisque vestris iudiciis] Et hoc referri necesse est ad maritimum bellum a populo ei mandatum. E MAN. Similiter p. Sest. §. 124. *maximum vero populi R. iudicium universi consessu gladiatorio declaratum est*, ubi v. not. p. 281.

valituram esse existimetis] „numeri causa, ut solet, pro *valitura sit*." BLOCH. Cf. supra ad c. 4. extr. p. 104. et ad §. 27. p. 146 sq.

§. 47. *sicut aequum est homines*] Sic Erf. Pal. IX. Teg. Parc.; codd. vulgares: *homini*. „Solus Lambinus vitium, quo hic corruptus erat locus, animadvertit, qui pro *homini* legendum *hominem* esse suspicatus est. Dativum enim nego a Cicerone potuisse scribi, cum *aequum est*, ita ut valeret *decet*, numquam sit cum dativo coniunctum. Cuius rei haec fuit causa, quod *aequum esse alicui* semper significavit *mitem, benignum et iustum erga aliquem esse*." WUNDER.

de potestate deorum] i. e. de ea re, quae est tota in potestate deorum, ut cavendum sit, ne in ea plus homini tribuamus: sic bene explicat fortunam. ERN.

timide] ne quod est deorum, homini tribuisse videar: et quia timide, ideo *pauca*. MAN.

Maximo, Marcello, Scipioni] Q. Fabio Maximo Cunctatori: M. Claudio Marcello, qui primus docuit Hannibalem posse vinci: P. Cornelio Scipioni, Pauli filio; hunc enim potius quam superiorem significari puto. MAN.

et ceteris] Si in trium pluriumve rerum enumeratione extremum membrum est generale, copula *et* non est inusitata, frequentius tamen a Cicerone omittitur; v. Madv. ad Cic. de Finn. p. 570 sq. et Seyfferti Pal. Cicer. p. 25.

ad amplitudinem et ad gloriam] Praetulerat Ernesti lectionem aliquot codd. deteriorum *et gloriam*, „quia *amplitudo* et *gloria* sunt fere synonyma, et sunt duae dicendi formae, prima per substantiva, altera per phrasin, ut dicimus." Cui opposuit Benecke praeter auctoritatem librorum Cic. locum de Inv. II. §. 166., in quo *gloria* et *amplitudo* sic distinguuntur: *gloria est frequens de aliquo fama cum laude: amplitudo potentiae aut maiestatis aut aliquarum copiarum magna abundantia.* Ac facile est intellectu, talem esse formam oratoriam, in qua praepositio in membro inter duo medio aegre desideraretur.

divinitus adiuncta fortuna] Aesch. Sept. c. Theb. 607. θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτούς. Aristoteles quoque fatetur εὐδαιμονίαν εἶναι

Θεόδοτον. Vide libellos Plutarchi de fortuna Romanorum et Alexandri. GRAEV.

dicam, sed ut ... videamur] Orator a numero singulari in pluralem transiisse videtur, quod significare voluit, idem quod ipse sentiat reliquos Pompeii amicos sentire. Ceterum cf. de hoc usu Klotz. in Iahn. Ann. N. Vol. 49. p. 41.

invisa ... ingrata] „*invisa*, si fortunam in Pompeii potestate positam fuisse dicam, quae deorum in potestate sita est: *ingrata*, si nec praeterita meminisse nec reliqua sperare videamur." MAN. Ad verba *aut ingrata* etc. haud inepte Weiske adnotavit: „esset enim ingrata oratio, si praeterita beneficia divina oblivisceremur, unde spes de futuris nascitur. Haec spes tamen non tam pertinet ad demonstrandum animum gratum, quam ad causam oratori iam defendendam."

§. 48. *domi militiae, terra marique*] *militiae* Erf., Pal. IX., Mon. e.; reliqui: *domi militiaeque*, qua admissa lectione ter deinceps particula *que* poneretur, quod auribus ingratum est. Similiter de Nat. D. II. §. 84. *Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum deorsum, ultro citroque commeantibus mundi partium coniunctio continetur.* Imprimis Salustius contraria bimembria ita collocare solet, ut pars prior coniunctione careat, posterior eam habeat, ut in Catil. 51, 1. *ab odio amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet*: ad quem l. v. Fabr. Contra aliam formam habet in loco simillimo Catil. 53, 2: *domi militiaeque, mari atque terra.*

quantaque felicitate] „Sermo hic non est de utroque, et de magnitudine rerum gestarum et de felicitate, sed de felicitate tantum. Itaque legendum videtur: *quantas ille res — quanta felicitate g.*" MATTH. At recte opposuit Moebius saepe sententias rhetorice per copulam explicantem, *et quidem quanta felicitate* (pro *et adeo tanta fel.*), ita coniungi, ut primum quod est infirmius, deinde id, in quo est caput rerum, dicatur.

cives assenserint etc.] „Verba *assenserint, obtemperarint, obedierint, obsecundarint* eiusdem generatim sunt significationis, sed et eleganti se excipiunt gradatione, et suo quodque subiecto (*civibus, sociis, hostibus, ventis*) cum dilectu tribuuntur." BLOCH. Cf. Doed. Syn. V. p. 271 sqq. et Iordan. ad or. p. Caec. p. 222 sq. Est autem verborum figura, quam artium scriptores *disiunctionem* vocant; v. Auct. ad Herenn. IV, 27. De usu denique activi verbi *assentiendi* v. Reis. Schol. L. L. p. 249.

venti tempestatesque obsecundarint] Et hoc poeticum, ut illud supra c. 12. *belli impetus navigavit.* MAN. Imitando expressit Claudius Mamertinus in Paneg. I. c. 11, 8. (I. p. 82. Iaeg.): *Facile itaque quivis intelliget, imperator, quam prosperi te successus in re militari secuturi sint, cum iam sic tempestatum opportunitas obsequatur.*

hoc brevissime dicam] *hoc* i. e. *nur dies, nur so viel*, sive *tantum*, ut est in Verr. V. §. 140. *tantum brevissime dico.*

ab dis immort.] Et hic et infra §. 49. ex Erf. [et Pal. IX.] *ab* pro eo quod vulgo legitur *a* recepi, de quo dixit Bentl. ad Hor. Carm. III, 16, 22. BEN.

tacitus auderet optare] „Auxit rem quantum potuit multis modis. Nam quod *tacitum* addidit, magnam et ipsum vim habet ad amplificandum. Multa enim saepe homines secum *taciti optant*, quae cum maiora sint captu illorum, si clara voce petituri essent, ne contemnerentur, numquam postularent. Unde profectum est praeceptum Pythagoricorum, de quo Clemens Alex. Stromm. Lib. IV. *Τί τοίνυν οἱ Πυθαγόρειοι βουλόμενοι μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι κελεύουσιν; ἐμοὶ δοκεῖ, οὐχ ὅτι τὸ θεῖον φθονερὸν μὴ δύνασθαι τῶν ἡσυχῇ φθεγγομένων ἐπαΐειν, ἀλλ' ὅτι δικαίας ἐβούλοντο εἶναι τὰς εὐχάς, ἃς οὐκ ἄν τις αἰδεσθείη ποιεῖσθαι πολλῶν συνειδότων.*" P. VICTORIUS in Var. Lectt. X, 11.

ad Cn. Pomp. detulerunt] Sic Erf., Teg., Pal. IX.; reliqui plerique: *contulerunt*. „Utraque Ven. *contulerunt*. Dubius in eligendo sum. *Contulerunt* optimum est ac paene firmius; sed fort. melius hic *detulerunt* ultro data [quod rectius opponi verbo *optare* Beckius monuit] significat, ut apud Nepot. in Attico c. 16. et 19. Suet. in Caes. c. 27. etc." GAB. Accedit quod, ut Steinm. recte observavit, *conferre ad aliquem aliquid*, eo quidem sensu, ut sit *tribuere*, vix dicitur, sed potius *in aliquem* vel *alicui.*

proprium ac perpetuum sit] v. Serv. ad Aen. I, 73. Donat. ad Andr. V, 5, 4. et viros doctos ad Plaut. Mercat. V, 2, 6. ad Nep. Thrasyb. 4. et Horat. Serm. II, 6, 5. GAB. Cf. etiam Orell. ad Hor. Carm. II, 2, 22. Sat. II, 2, 134.

ipsius hominis causa] utpote tot tantisque meritis digni, cuius perpetua sit felicitas.

sicuti facitis] quod imperia ad eum delata declarant. MAN.

§. 49. *dubitatis*] Nullam causam vidi, cur hanc omnium fere librorum scripturam, pro qua vulgari solet *dubitabitis*, respuerem. Inest enim in interrogatione firma negatio: *certe non dubitatis.*

quod vobis ab dis imm. oblatum et datum est] „Ernesti *vobis* [quod abest a codd. deterioribus] improbat, quia sermo sit de bonis Pompeii, amplitudine, gloria, rebus gestis, non populi Romani. Hoc quidem nihili est. Ipsa virtus et felicitas eius est bonum populo R. datum." WEISKE. Contra Beckius putabat Pompeium ipsum, qui illis ornamentis gauderet, bonum populo R. datum appellari: equidem simplicius explico, utque magis verbo *conferatis* convenit: *hoc tantum boni*, quod quidem huic bello talem imperatorem „*qui ad omnia nostrae memoriae bella conficienda divino quodam consilio natus esse videtur*" praeficere potestis.

CAPUT XVII.

§. 50. *Haec quoque opportunitas*] i. e. *dieser glückliche Umstand*, ut recte vertit Seyffert ad Cic. Lael. p. 129.

adiungatur, ut] v. Reis. Schol. L. L. p. 554 sq.

cur non ... committamus] Pro hac librorum meliorum (etiam Pal. IX.) scriptura habent deteriores *committimus*. „Qui dicit: *cur non ... committimus?* cum indignatione atque dolore indicat bellum illud Pompeio revera non committi; cf. ad Fam. II, 7, 5. ad Att. VII, 3. Hand. Turs. II. p. 180 sq. Qui contra dicit: *cur non ... committamus?* urget potius omninoque quod nondum factum est vult fieri, et cum quadam praeoccupatione indicat neminem posse esse, qui hoc bellum Pompeio committere dubitet; nullam enim esse causam, cur non committendum videatur. Sic Plancus ad Cic. X, 23, 15: *pro urbis vero salute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur?*" Ex Ben.

cui cetera summa cum salute reip. commissa sunt] „Heumannus ad *cetera* subaudiri vult *bella*, *summa* autem cum *salute* iungi. At erat Pompeio maximum imperium commissum." Beck. Recte Matthiae *summa cum salute* coniunxit, ad suam notam ad or. p. Mur. §. 2. provocans, nec puto iam quemquam fore, qui *summa* ad *cetera* referri velit. Nec tamen opus videtur *bella* ad *cetera* repeti: generaliter loquitur orator: *cetera*, quaecumque commissa sunt.

§. 51. *vestris beneficiis ampliss.*] nam consul fuit a. 78. a. Chr., in quo magistratu M. Aemilio Lepido collegae, post Sullae mortem rei publ. statum labefactanti, acerrime restitit; v. Prolegg. pag. 6.

summis ornamentis honoris] omnes adeptus magistratus, consulatum autem ante annos tres collega C. Caecilio Metello. Hot.

fortunae] propter nobilitatem: *virtutis* propter integritatem et prudentiam: *ingenii* pr. eloquentiam. Man. *Ornamenta fortunae* potius ad opulentiam Hortensii referenda videntur; v. Drum. III. p. 104.

multis locis] est ablativus temporis significans *bei vielen Anlässen, Gelegenheiten*, ut p. Sest. §. 106., ubi v. adnot. p. 249.

tametsi cognoscitis] Madvigius ex coniectura scripsit *cognoscetis* idemque Benecke ex cod. Monac. e. saeculi XV. nec optimae notae recepit. Quorum ille: „Verba illa," inquit, „*tametsi cognosc.* etc. non ad Hortensium et Catulum pertinent, sed hanc habent vim: poteramus illorum auctoritatibus opponere contrarias auctoritates fortissimorum et clarissimorum virorum; sed tamen omissis auctoritatibus etc. Atque his contrariis auctoritatibus utitur c. 23, 68. Itaque eas videtur h. l. antea promittere; *cognoscitis* quidem, quasi nunc, ipso dicente, populus cognosceret, ne de Hortensii quidem et Catuli auctoritate dicere poterat, sed *cognostis*: audierat enim eos populus." Similis est Beneckei longior argumentatio. Sed quamquam illis viris laus tribuenda est,

quod inveteratum errorem aliquot recentiorum interpretum, qui *contrarias sententias* dissuadentium dici putabant, a quo errore veteres interpretes, ut Sylvius et Agricola, liberi erant, notarunt atque everterunt, tamen post illa, quae Iordanus ad or. p. Caec. p. 166 sq. exposuit, vix opus esse videtur, ut *cognoscetis* contra librorum auctoritatem scribatur. Is enim magna exemplorum copia docuit tempus praesens illius verbi haud raro apud Ciceronem ibi inveniri, ubi facile aliquis perfectum requirat. Sed hoc interesse inter praesens et perfectum, quod illud cognoscendi actionem inceptam, sed nondum finitam, hoc eam finitam significet. Quodsi hanc rationem ad locum Pompeianae retuleris, orator, cum dicit *cognoscitis*, indicat populum cognoscere et videre viros fortissimos, qui ab Hortensii et Catuli ratione dissentiant, seque ad eos provocare posse, sed nolle se iam auctoritates auctoritatibus opponere, cum ipsa re ac ratione veritas exquiri possit.

omissis auctoritatibus etc.] „Similiter de Nat. D. I, 5, 10: *Non enim tam auctoritates in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt.* et Plat. Lach. p. 184. E: ἐπιστήμῃ γὰρ, οἶμαι, δεῖ κρίνεσθαι, ἀλλ' οὐ πλήθει, τὸ μέλλον καλῶς κριθήσεσθαι." HOT. Sunt autem *auctoritates* hominum intelligentium sententiae, quae apud alios pondus habere debent; v. Matth. ad h. l. et Fabri ad Liv. 23, 6. Quod deinde sequitur *ipsa re ac ratione exquirere veritatem*, vertas: *durch die Sachlage an und für sich und durch vernunftmäfsige Begründung die Wahrheit ermitteln.*

idem isti vera esse concedunt] Hoc cum dicit orator, ipse aperit omnia quae antea dixit quasi extra causam dicta esse; quae enim adversarii ipsi concedunt, ea nullam iam argumentationem requirunt. Sed saepe evenit, ut talia aliis, ut tum populo, probanda esse videantur.

§. 52. *dignissimum esse Pompeium*] Sic Erf., Pal. IX., Teg.; reliqui *unum dignissimum e. P.* „Nescio an recte Erf. vocem *unum* omiserit, quae certe ita displicet, ut lubentissime ea caream. Etenim si uni omnia tribuenda sunt et Pompeius dignissimus est, cur, quaeso, *unum* addere Tullius potuit, cum qui dignissimus esse dicatur, eum etiam unum esse necesse sit?" BEN. Recte ille quidem lectionem Erfurtensis defendit, sed parum felici argumentatione, quae in mentem revocat cavillationem illam, qua Demonax apud Lucianum (vit. Dem. c. 29.) formulam illam μόνος καὶ πρῶτος (de qua v. Fritzsch. Quaestt. Luc. p. 11 sq.) irrisit. Usu enim pervagato ad superlativi vim amplificandam *unus* addebatur, v. adn. ad Sestianam §. 140. p. 310.; sed admodum dubitamus, num hoc quoque loco Tullius ea dicendi forma usus sit. Nimia enim esset veritatis superlatio, si audientibus persuasurus erat, Hortensium ipsum dixisse, Pompeium, si uni omnia tribuenda essent, unum esse dignissimum.

sed ad unum tamen omnia deferri non oportere] „*omnia* intellige imperium provinciae, quam Lucullus tenuit, et Bithyniae, bellumque ad-

versus duos reges." Beck. Simile quid Benecke sensisse videtur, ut qui loco ex Plut. v. Pomp. c. 30. ascripto haec verba litteris diductis imprimenda curaverit: τοῦτο δ' ἦν ἐφ' ἑνὶ συλλήβδην γενέσθαι τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν. At apparet Hortensium dicere voluisse, non omnia imperia omnesque curationes ad unum eundemque deferri oportere. Cf. orat. p. domo c. 8, 19.

obsolevit iam ista oratio] „reiecta ac repudiata est; translate dicitur ab iis, quae ex usu remota reiiciuntur." Hot. „Priscianus p. 872. Putsch. et Ven. a. 1480. *ista ratio*, ex solita permutatione." Gar. „Confidenter ego Prisciani secutus auctoritatem, cui Mon. d. adstipulatur, reposui *ratio* pro vulg. *oratio*. Quid, quaeso, h. l. *obsoleta oratio*? Immo *ratio* ista, quam secuti illi viri ad unum omnia deferri oportere negabant, obsoleverat iam et re multo magis quam verbis refutata erat. Sic modo Tullius dixit: *Q. Catulus ... Q. Hortensius ab hac ratione dissentiunt.* Quod vero legitur infra §. 68. *illorum orationi respondere* etc., minime obstat quominus h. l. Prisciani scripturam recipiamus; ibi enim *oratio* facile ferri potest." Ex Ben. Prisciani auctoritas utique magni facienda esset, si locum Tullianum propter voc. *ratio* attulisset; nunc vero, quoniam loci propter v. *obsolevit* mentionem fecit, non maior est eius codd. auctoritas quam Tullianorum. Accedit quod lectio *oratio* etiam in Prisciano restituenda videtur; v. adn. crit. Neque erat, cur vox ipsa Beneckeo scrupulum iniiceret. Est enim *ista oratio* istud dicendi genus, ista argumentandi ratio, qua Hortensius iam iterum usus est. Simillime Matius in ep. ad Fam. XI, 28, 5. *te rogo, ut rem potiorem oratione ducas*, ad q. l. v. Süpfle in Epist. sel. p. 293. ed. II. Ac nescio an in ep. ad Att. XI, 12, 1. ex egregio fragmento cod. Wirzeburgensis, de quo v. Spengelium in Münchn. gel. Anz. 1846. p. 918., rectius „*nihil opus est mihi nova oratione*" scribatur, quam quod nunc legitur *ratione*.

re ... refutata] Ita loquitur orator, quasi Hortensius eiusque amici propterea legem dissuaserint, quod de felici rei eventu dubitarent.

tu idem, Q. Hortensi] Nulla neque a Plutarcho in Pomp. c. 25., neque a Dione 36, 7. et 13. Hortensii mentio fit, sed Q. Catuli et L. Trebellii et L. Roscii tribunorum pl. Steinm.

pro tua summa copia etc.] Solet Cic. in orationibus et suasoriis et iudicialibus eloquentiam adversarii extollere, ut auditoribus suspectum faciat, qui eloquentiae magis quam causae veritate nitatur. Sylv.

virum fortem, A. Gabinium] *fortem* appellat, quia contra senatus voluntatem et collegae intercessionem hanc legem ferre perseveravit. Sylv. Cf. Prolegg. p. 9 sq. et Drum. IV. p. 402 sqq.

permulta item] ut *multa* etiam in senatu summa copia dicendi contra Gabinium dixisti. Prave libri plerique: *p. idem*.

§. 53. *populi R. salus et vera causa*] „utilitas, ut supra §. 2. *qui vestram causam defenderent. Vera causa* non est iusta, aequa, ut interpretantur Heum. et Weiske, sed opponitur fictae, non recte perspectae, qualis erat ea, qua *ad unum omnia deferri non oportere* videbantur Hortensio." MATTH. Ut in genere iudiciali *vera causa* saepe illa dicebatur, quam nos iustam vocamus (v. Cic. de Inv. II. §. 90. de Off. III. §. 43. Tac. Dial. 38. et v. Peter. ad Cic. Brut. §. 226.), item in genere deliberativo non aliud valuisse putabimus. Incusat autem orator Hortensium, quod in lege Gabinia dissuadenda quasi suam rem egerit, populique causam, quae vera sit et digna, quae ab omnibus patriae amantibus defendatur, deseruerit.

legati, quaestores praetoresque] de legatis et praetoribus v. supra c. 12, 32. Quaestores autem Sylvius recte eos intelligit, qui cum illis praetoribus in provinciam proficiscebantur.

commeatu et publico et privato] Dio 36, 6: οὔτε γὰρ ἄλλο τι τῶν ἐπακτῶν ἐφοίτα σφίσι καὶ ἡ σιτοπομπεία παντελῶς ἀπεκέκλειστο. C. Cottae or. in Sal. fragm. §. 7. *classe, quae commeatus tuebatur, minore quam antea navigamus.*

ita clausa maria] „In Folge davon würde das Volk hungern, in Cicero's Augen ein schlagender Beweis, dafs es nun auch die Manil. Rogation bestätigen müfste; defshalb verweilt C. wieder am längsten beim Seeräuberkriege c. 17—19., als entkräfte er damit die Einwürfe der andern Parthei, welche eben in dem neuen Siege des P. einen neuen Grund fand, ihn zu beschränken, die Freiheit des Meeres und die Sicherheit der Provinzen in Asien nicht mit der Knechtschaft Roms erkaufen wollte." DRUMANN IV. p. 427.

neque privatam rem transmarinam neque publicam] „i. e. ut neque mercatores [aut negotiatores], neque magistratus, qui in provincias mittebantur, navigare auderent." HOT. Schuetzius male *rem publicam* ad vectigalia populi R. in provinciis transmarinis, de quibus paulo ante sermo erat, retulit.

CAPUT XVIII.

§. 54. *Quae civitas* etc.] De populis, qui maris imperium tenuerunt, v. impr. quae notavit Casaub. ad Polyb. lib. I. GRAEV.

satis late] quam late docet Dionysius Hal. Ant. R. I, 3: Ἀθηναῖοι μέν γε αὐτῆς μόνον ἦρξαν τῆς παραλίου ὀνεῖν δέοντα ἑβδομήκοντα ἔτη, καὶ οὐδὲ ταύτης ἁπάσης, ἀλλὰ τῆς ἐντὸς Εὐξείνου τε πόντου καὶ τοῦ Παμφυλίου πελάγους, ὅτε μάλιστα ἐθαλασσοκράτουν. HOT.

mare tenuisse] Sic pro θαλασσοκρατεῖν Graeci quoque κατέχειν τὴν θάλασσαν dicebant, ut Plutarchus in v. Themist. c. 4.

Karthaginiensium] v. Appiani Libyca c. 2. et Polyb. I, 10, 5. Quod autem Erf., Pal. IX. aliique codices formam *Carthaginensis* habent, quae alibi quoque in bonis codd. Tullianis invenitur, ut in Vaticano Philipp. XIV, 4, 9., tantum fere constat, *Carthaginiensis* formam antiquiorem, *Carthaginensis* recentiorem usuque minus receptam fuisse. Cf. Beneck. ad h. l.

Rhodiorum] Gell. VII, 3: *Civitas Rhodiensis et insulae opportunitate et operum nobilitate et navigandi sollertia navalibusque victoriis celebrata est.* Strabo XIV. p. 448. ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις λιμέσι καὶ ὁδοῖς καὶ τείχεσι καὶ τῇ ἄλλῃ κατασκευῇ διαφέρει τῶν ἄλλων· — θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν καὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον καὶ τὰ ληστήρια καθεῖλε. Steinm. Cf. Baumstark. in Paul. Encycl. III. p. 128.

disciplina navalis] i. e. peritia bonaque rerum navalium institutio.

quae civitas umquam [*antea*] *tam tenuis*] „Vix dubitaverim, quin *antea* eiiciendum sit, quod propter incertum locum, quem alium in aliis codd. occupat, suspectum est et in Monac. d. ac Britannicis CHSχ^3 plane omittitur, nec praeterea ita necessarium est, ut non sine aliquo sententiae detrimento abesse possit. Quam facile autem h. l. ab librariis addi potuerit, nemo non videt." E Ben. Omissa est vox utcumque suspecta a Madvigio et Orellio. Si quid tamen mutandum est, equidem leniore emendatione, ut unam lineam a voc. *unquam* detraham, scribere malim: *quae civitas, inquam, antea tam tenuis* etc.

at hercule] sic Erf., Teg., Pal. IX. „Contracta forma *hercle* brevibus tantummodo responsis ac ridicule dictis omninoque familiari sermoni accommodata est. Hanc ego formam sicuti probo in dialogis et apud comicos, ita alienam ab orationis gravitate esse arbitror." Ex Ben. Cf. Zumpt. ad Verr. p. 564. et 682.

nomen invictum in navalibus pugnis] Idem gloriatur Cic. in Verr. V. §. 97. *quo ... neque populi R. invicta ante te praetorem gloria illa navalis umquam ... penetrare potuit.*

permanserit] Sic restitui ex codd. Erf., Teg., Pal. IX. pro vulg. *permanserat.* Maior inest in coniunctivo vis, quo res contemplationi audientium subiicitur: *ille populus R., cuius nomen scitis invictum permansisse.*

magna ac multo maxima] pro *atque adeo m. m.* Sic *atque* usurpatur Orat. §. 52. *rem difficilem ... atque omnium difficillimam.* de Orat. II. §. 74. Off. I. §. 68. Goerenz. ad Legg. III. §. 32. Matth. Cf. Hand. Turs. I. p. 466. et de simili usu Graeco Fritzsch. Quaestt. Luc. p. 11.

non modo utilitatis, sed dignitatis atque imperii] *Utilitas* spectat ad vectigalia intercepta, *dignitas* amissa eo, quod coercere piratas non poterant neque impedire, quo minus legati, praetores, quaestores

caperentur. BECK. Perperam maluit Wernsdorf: *dignitatis imperii.* Carebat enim populus R. magna parte imperii, cum neque iam socios salvos praestare neque magistratibus interceptis vim imperii in provinciis exercere posset.

§. 55. *Antiochum*] Antiocho ad Thermopylas a M'. Acilio Glabrione cos. a. 563. victo, A. Atilius, praefectus Ro. classis, magnos regios commeatus iam fretum, quod ad Andrum insulam est, praetervectos excepit; alias mersit, alias cepit naves. Liv. 36, 20. Postea C. Livius, Atilii successor, adiutus ab Eumene rege, Polyxenidam, Antiochi praefectum, ad Corycum portum effuse fugere coegit, 13 captis navibus, 10 demersis. Id. c. 42 sqq. ORELLI. Adde victoriam anno insequente a L. Aemilio Regillo ad Myonnesum reportatam; Liv. 37, 27 sqq.

Persenque] *Cn. Octavius Kal. Decembr.* (a. 586.) *de rege Perseo navalem triumphum egit.* Liv. 45, 42. De declinatione autem nominis *Perses* v. praeter grammaticos impr. Niebuhrii adnotationem in „*Vorträge über röm. Geschichte*" Vol. II. p. 213.

pares esse poteramus] h. e. *eramus*; v. Wopk. ad Iust. VII, 4. p. 86. GAR. 2.

insula Delos] Strabo X. p. 334. τὴν μὲν οὖν Δῆλον ἔνδοξον γενομένην οὕτω (ob Latronae partum) ἔτι μᾶλλον ηὔξησε κατασκαφεῖσα ὑπὸ Ῥωμαίων Κόρινθος· ἐκεῖσε γὰρ μετεχώρησαν οἱ ἔμποροι, καὶ τῆς ἀτελείας τοῦ ἱεροῦ προσκαλουμένης αὐτοὺς καὶ τῆς εὐκαιρίας τοῦ λιμένος· ἐν καλῷ γὰρ κεῖται τοῖς ἐκ τῆς Ἰταλίας καὶ τῆς Ἑλλάδος εἰς τὴν Ἀσίαν πλέουσιν. De emporio autem Deli, de quo Garatoni Spanhemii notam ad Callim. Hymn. in Delum v. 16. et 316. conferri iubet, v. impr. Paul. Diacon. p. 122. Muell.: *Minorem Delum Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum, cui successit postea Puteolanum.* Cf. Hüllmann, *Handelsgeschichte der Griechen* p. 260 sqq.

referta divitiis, parva, sine muro, nihil timebat] „*Referta divitiis* erat haec insula tum propter merces tum propter templum ornatissimum, non modo pretiosis donis insigne, sed etiam *aerarium commune* habitum, ut ait Corn. Nep. v. Arist. c. 3., ubi v. Staveren. [At id quidem esse iam dudum desierat.] Erat autem ἀτείχιστος, ut ait Paus. III, 23., contulitque iam haec duo loca Spanhemius l. c. Cf. etiam dissert. Deliacam c. 3. in Obs. Misc. Amst. Vol. VII., quam Dorvillio tribuit Staverenius l. c. Est sane illo tanto viro prorsus digna: verumtamen ibi c. 10. p. 65. acute nimis haec verba Tullii *nihil timebat* explicari videntur, ut locus ad excidium Delo per duces Mithridatis illatum pertinere dicatur, de quo v. ad Verr. I, 18. „„Nihil timebat"" inquit, „„quo tempore timere poterat: nunc enim extrema iam passae, quod metuat, nihil est reliquum."" Atqui Cicero id tantum agit, ut veterem

securitatem comparet cum periculis posterioribus: illam Delos maxime, haec vero Appia demonstrabat via. Quid ad propositum, quod iaceat eversa Delos? Itaque non commemorat." GARATONI.

ac portubus] Liber manuscr. et hic et alibi semper habet *portibus* per *i*. LAMB. Sic etiam veteres Ven. ambae et Hervag. Cf. Voss. de Anal. II, 18. et Ond. ad Caes. B. G. III, 8. GAR. Cf. supra ad §. 16.

Appia iam via carebamus] quae cum sit propinqua mari, per eam iter habere piratis mare tenentibus sine periculo non licebat. MAN. Cf. supra 12, 33. *Carebamus* autem vertas cum Naegelsbachio (Lat. Stil. p. 197): *wir mufsten meiden*, coll. Verr. IV. §. 41. *Diodorus interea praetore isto prope triennium provincia domoque caruit.*

et iis temporibus] *iis* pro vulg. *his* emendavi ex Tegerns., quod non iam dudum ex coniectura factum esse miror.

in hunc ipsum locum escendere] Sic Col.; reliqui: *ascendere*. Lectionem Coloniensis commendans Graevius ad I. Fr. Gronovii adnot. ad Liv. II, 28. provocavit, Garatoni autem in Cur. sec. ad adnot. suam in or. Philipp. II. c. 34. Eandem lectionem Beierus quoque ad Cic. de Off. III, 20, 80. multis commendavit; contra Benecke eam admodum improbavit, qui repetito, quod Ruhnkenius ad Rutil. Lup. I, 13. dixit „qui hodie critices tirocinia ponant, verbum *escendere* nimis cupide obtrudere solere," inter alia haec disputavit: „Mirum debet videri, unde factum sit, ut editores veterum monumentorum illud verbum (*escendere*) tam cupide arriperent, nemo tamen, quaenam vis ei subiecta esset, planum faceret. Nam quod nonnulli dixerunt, *escendere* lingua vetere idem esse quod *ascendere*, vereor ne nihil dixerint; nec illud, quod Wolfio ad Suet. Caes. c. 61. in mentem venit, *escendere* tum dici, si quis maiore contentione in locum editiorem enitatur, tanti est, ut Bremio ad Nep. Them. 8, 6. repetendum videri debuerit. Ipsa autem differentia, quae est inter *ad* et *ex*, apertissime ostendit magnum discrimen etiam inter vv. *ascendere* et *escendere* intercedere. De qua re unus omnium verissime disseruit L. Schneider. Gr. Lat. p. 552 sq. Cfr. quos laudat Giese ad Cic. de Divin. I. §. 47. p. 87." Putares quae Schneiderus disputavit Beneckei sententiae magnopere favere: quae opinio ne quem fallat, Schneideri librum ipsum evolvat. Qui post Schneiderum quaestionem satis implicatam attigerunt, fere ad praeceptum Wolfianum, quod Benecke merito castigavit, redierunt, velut Seyffert ad Lael. p. 504. et Kühner ad Tusc. I. §. 71. p. 120. ed. III., quorum uterque *escendere* dici existimat, ubi de altitudine loci (loco arduo) et virium contentione agatur: quod ex quibus locis confici possit, equidem non video. Neque vero mihi tantum assumo, ut rem difficillimam ad liquidum me perducturum esse confidam; quod si possem aut vellem, propria dissertatione opus foret: nunc multa, quae afferre poteram, missum facere debeo, sed paucis

tamen quid sentiam declarabo. Si etymologiae rationem habemus, in verbo *escendere* magis locus, ex quo in alium scanditur, in *ascendere*, ad quem scanditur, spectari videtur, ut illud sit proprie nostrum *aufsteigen*, *hinaufsteigen von einem Orte*, hoc *emporsteigen*, *heransteigen zu einem O.* Quodsi usum intuemur, iam ex affini utriusque verbi significatione apparet in nonnullis locutionibus utrumvis dici potuisse; contra in aliis et fortasse plerisque usus non erat promiscuus. Velut ubi de longiore scansione, de gradatim facta, de tarda, de laboriosa, de impedita sermo est, ubi non locus, ex quo scanditur, sed is, ad quem scanditur, solus spectatur, semper *ascendere* in usu videtur fuisse. Hoc apparet ex huiusmodi locutionibus: *in urbem*, *in murum*, *in caelum*, *in Capitolium*, *in montem* vel *collem* (etiam *montem* sine *in*) *ascendere* aliisque similibus. Has si intuemur, non est mirum, quod in universo translationum genere fere solum verbum *ascendere* dominabatur. Minus late patebat verbi *escendere* usus, quod fere non invenitur, nisi de locis quae scandenti propinqua et facilia erant. Frequentissimae locutiones, quae inveniuntur, hae sunt: *in rostra*, *suggestum*, *tribunal*, *contionem*, *in aerarium*, *in rogum*, *in currum* (ut habet Palimps. Taur. in or. in Pis. c. 25.), *equum* (Liv. 23, 14, ubi v. Alsch.), *in malum navis escendere*; add. *in rotam esc.* ap. Cic. Tusc. V. §. 24., ubi sermo est de instrumento ad torquendum. In plerisque harum locutionum nos simpliciter *auf etwas steigen* dicimus, ut falsum appareat, quod nos lexicographi docere volunt, verbum etiam idem quod est *eniti* s. *emporklimmen* valuisse. Rarius simplex accusativus, qui usus post tempora liberae rei publicae invaluit, adiiciebatur, quod ubi fiebat, nostrum *besteigen*, ut *suggestum*, *rogum*, accurate respondet. Addo etiam illud, in nonnullis locutionibus, in quibus usus promiscuus videtur fuisse; tamen diligentius inquirenti aliquid interfuisse apparere, utrum verbum eligeretur, in quam rem contendi iubeo quod dixit Cic. de Divin. I. §. 47. *cum ascendcrĕt in rogum* cum loco Senecae de Tranquill. animi c. 11, 9. *rogum escendit.* Sed ut ad locum, qui totius disputationis causam dedit, redeam, propterea *escendere* praeferendum duxi, quod non solum Livii libri optimi in similibus locutionibus semper *escendere* habent, sed idem verbum etiam in plerisque locis Tullianis librorum optt. auctoritate confirmatur. Apud Livium legitur *in rostra escendere* 23, 23, 1. 30, 17, 3. 34, 56, 3. 39, 15, 1.; *in tribunal esc.* 2, 28, 6. 3, 47, 4. 28, 26, 13. 30, 15, 11.; *in contionem esc.* 2, 7, 7.; *in aerarium esc.* 29, 37, 12.; *in aram Concordiae esc.* 24, 22, 13. etc. Apud Ciceronem habent optimi libri de Off. III. §. 80. *in rostra escendere*, idemque cod. Vatic. Philippicarum II. §. 85.; in or. in Vatin. §. 34. ex lectione Scholiastae *in tribunal exciderit* nunc *escenderit* restitutum est, ut similiter ap. Rutilium Lupum I. c. 13. genuinum *escenderit* in *excederit* vitiatum est; *escendere in contionem* legitur in cod. Medic. epist.

ad Q. Fr. I, 2, 15. (de cuius auctoritate in his epistolis v. Orell. Praef. p. LV. ed. 1845.); item in fragm. orat. c. Metellum ap. A. Gell. XVIII, 7. In orat. p. Red. in Sen. §. 12. nunc quidem legitur *in contionem adscendit*, sed ex optimo Parisiensi n. 7794., cuius lectiones nuper accepi, emendandum est *escendit*, ut Guilielmius coniecerat. Contra in duobus locis, de Finn. II. §. 74. et ad Attic. IV, 2, 3., sine ulla varietate *in contionem ascendere* invenitur. Tacitus denique in duobus locis, qui huc pertinent, Ann. XIII, 5. *escendere suggestum*, et Ann. XV, 59. *esc. rostra* dixit.

CAPUT XIX.

§. 56. *In salute communi*] i. e. cum salus comm. ageretur, ut p. Sest. §. 103. *Dissentiebant principes et in salute optimatium temeritatem multitudinis et tabellae licentiam pertimescebant.* Cf. *Naegelsb.* lat. Stil. p. 209.

dolori suo ... obtemperare] ut infra §. 60. *maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse.* v. ad or. Sest. p. 105.

nos illa] in Pal. IX. est: *illa nos*, et mox (§. 57.): *id quod verius est.*

vere videremur] „Col. *videremini*, quod popularius videtur Grutero. At Cic. tum praetor populi R. multa potuit in prima persona efferre, quae alio tempore, cum magistratu non fungeretur, populo tribuebat." Beck.

§. 57. *anne Pompeio*] v. Hand. Turs. I. p. 356. et Zumpt. ad Verr. p. 725.

ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio] „Populus Gabinium legasset libentissime. Senatus eius legi maxime infensus (v. Plut. Pomp. 25. Vell. II, 31. etc.) legare noluit. Hinc infra: *de quo legando spero coss. ad senatum relaturos.* Vide quae de legatis disputavimus ad Verr. I. c. 22. Mox ostendit Cicero sperare se bello Mithridatico ab senatu legatum iri Gabinium, cum de illo relatum fuerit: multos nimirum non ita esse Pompeio inimicos, ut de Gabinio velint recusare. Utrum autem bello piratico, recenti legis invidia, impedita relatio fuerit de legatione Gabinii, an intercessum, an denique sententiis id fuerit pernegatum, Tullius, qui scientibus loquitur, nobis incertum relinquit." Garat. Quae praeterea habet vir doctissimus, omisi, quoniam aliena videbantur. Equidem totam rem sic explicandam esse censeo. Cum ex superioribus legibus senatui provinciae decernendae imperatorisque deligendi potestas esset (v. Cic. in Vat. c. 15. et adn. ad Sest. §. 33. p. 139.), consentaneum erat legatos quoque ex eius ordinis auctoritate legari. Tempore autem procedente usus ita tulit, ut senatus imperatoribus permitteret, ut quos vellent sibi legatos asciscerent; sed nulli

id facere licebat, nisi senatus auctoritatem haberet (v. Schol. ad Cic. in Vat. 15, 35.), itemque approbatione delectorum opus fuisse videtur, cum omnes qui legati in provincias exierunt SCto legati putarentur. Cf. etiam Klotz. ad h. l. I. p. 556 sq. Iam cum Pompeius lege Gabinia non tantum imperium belli maritimi, sed etiam potestatem quos vellet ex ordine senatorio sibi legandi a populo accepisset (v. Plut. Pomp. 25. 26.), est quod mirere, quod Pompeius inter 24 vel 25 legatos quos accepit (v. Prolegg. p. 10. n. 39.) non statim Gabinium, quem rogationis suae pretium exspectasse certum est (v. or. p. Red. in Sen. §. 11.), sibi legaverit. Quod ne faceret, obstabant leges Licinia et Aebutia (v. Cic. adv. Rull. II. §. 21.), quibus cautum erat, ne cui, qui de aliqua curatione aut potestate tulisset, ea potestas curatiove mandaretur. Si enim legis vis spectatur, consequens erat neque partem curationis tali mandari potuisse. Nihilominus tamen Pompeius fortasse iam tum ea lege contempta Gabinium sibi legasset (ut idem postea a Caesare in Vatinio factum videmus; v. Cic. in Vat. l. c.), nisi videret, quantam ille optimatium invidiam rogatione sua sibi conflasset. Tempus igitur opportunius, dum invidiae flamma relangueseeret, sibi exspectandum putavit, quo mercenarium suum praemio promisso remuneraretur, et fortasse iam tum, quod in bello piratico non posset, id se in Asiatico soluturum speravit. Quod autem orator ad excusandam Pompeii flagitationem tribunorum aliquorum auctoritate utitur, qui post tribunatum legati exierint, veram rei causam, nisi omnia fallunt, calumniosa legis interpretatione detorsit atque pervertit. Non enim hoc contra leges erat, post tribunatum legationem inire, sed legationem in eo exercitu et sub eo imperatore, qui eius ipsius tribuni lege constitutus esset. Iam quaeritur, illudne quoque contra leges fuisse putandum sit, quod Gabinio legatio in bello Mithridatico expetebatur. Si me audis, utique erat contra leges; nec moveor contraria Klotzii disputatione p. 560. Novum enim imperium continuatio erat ac prorogatio eius, quod Pompeius lege Gabinia acceperat; saltem Gabinius per triennium, in quod tempus Pompeio imperium demandaverat, ab omni in eius exercitu curatione exclusus esse debebat. Et ut concedam in novo bello legationem legitimam fuisse, non decuit tamen Ciceronem voluntati Pompeii faciles aures praebere. Postulaverat enim, ut Gabinius sibi legaretur, cum bellum Mithridaticum ei nondum commissum erat; postulaverat igitur, ut ipse auctor legis, qua imperium, quod etiam tum habebat, acceperat, sibi legaretur. Nescimus autem, feceritne Cicero, quod se facturum minitatus est, et de Gabinio legando ad senatum retulerit: illud scimus, Gabinium legationem exoptatam accepisse et sub Pompeio per aliquot annos in Asia militasse; v. Cass. Dion. 37, 5. et Drum. III. p. 44.

constituta est] Heum. malebat *restituta*, sed vulgatum optime et per se habet et referri videtur ad seq. *constitutus*. Weiske.

gloriae eius imperatoris atque eius exerc.] Cum in Erf., quocum Teg. et Pal. IX. consentiunt, scriptum sit „*cius gloriae atque imperat.* etc.," Orelli (2) verba sic posuit: *eius glor. imperat.* etc. At cum ex particula *atque* alieno loco inserta appareat in meliore codicum familia hic aliquid turbatum esse, equidem contortam illam verborum collocationem praestare noluerim.

qui consilio ipsius ac periculo est constitutus] „Nam si quam exercitus offensionem accepisset, eius offensionis culpa legislatori et auctori ascripta esset." Hot. Cf. impr. Cic. de Legg. III. §. 23: *Nimia potestas est tribunorum pl. Quis negat? Sed vis populi multo saevior multoque vehementior: quae ducem cum habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet. Dux enim suo se periculo progredi cogitat: populi impetus periculi rationem sui non habet.* De ipsius autem Gabinii periculo v. Cass. Dion. 36, 7: *Αὕτη (ἡ γερουσία) πᾶν ὁτιοῦν ὑπὸ τῶν λῃστῶν παθεῖν μᾶλλον ἢ ἐκείνῳ τοσαύτην ἡγεμονίαν ἐγχειρίσαι ἡρεῖτο· καὶ ὀλίγου καὶ ἀπέκτειναν τὸν Γαυίνιον ἐν αὐτῷ τῷ συνεδρίῳ.*

§. 58. *An C. Falcidius* etc.] „De hac ratione dicendi v. Hand. Turs. I. p. 350. et Wund. ad Planc. p. 126. Quod vero Handius plerumque futurum in hac elocutione vel coniunctivum dicit in altera sententiae parte poni, uni illi ex or. Planc. §. 49. indicativi exemplo prolato hic locus addi potest." Ben.

quos omnes honoris causa nomino] „Hac formula Latini primo uti videntur consuevisse, ubi virum aliquem tali in re nominabant, in qua nominari aliquid vel contumeliae vel reprehensionis vel offensionis potuerit habere; v. impr. Verr. Act. I. §. 18. p. Rosc. Am. §. 6. Deinde paulatim in sollemnem formulam reverentiae erga viventes declarandae transiit idque eo facilius, quod ipsum illud palam nominari nonnunquam ab iis, qui nominantur, aegre ferri potuerit. Cf. in Phil. II, 12, 30 sq. p. Rosc. Com. §. 18." E Ben.

anno proximo] „Significat hunc morem fuisse, ut ne ii, qui tribuni pl. fuissent, legati anno proximo iis essent imperatoribus, qui tribunis illis constituti fuissent." Hot. Cf. supra ad §. 57. p. 193.

in uno Gabinio] Sic Col., Erf., Pal. IX., Teg.; in vulgata lectione „*in hoc uno Gab.*," ut bene Madvigius animadvertit, aut pronomen aut nomen proprium abundabat.

sunt tam diligentes] „Haec verba alii referunt ad morem maiorum, quo tribunis pl. non licuerit anno post legatis esse, alii ad leges Liciniam et Aebutiam." Beck. Qui ad morem maiorum provocant, ex hoc ipso loco argumentantur, non alio, quod sciam, veterum testimonio nituntur. Altera igitur explicatio vera habenda erit; v. supra ad §. 57. et Cic. in Rull. II. §. 21. *Leges sunt veteres, neque eae consu-*

lares, sed tribuniciae, vobis maioribusque vestris vehementer gratae atque iucundae. Licinia est lex atque altera Aebutia, quae non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur.

quem per vos ipse constituit] Libri deteriores *per se ipse*. „*Per vos* recte Col. et Verd., h. e. Pompeio id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit; v. Mod. Ep. 129." GRUT.

praecipuo iure] Notanda locutio; nam hoc ipsum est, quod vulgo dicimus *privilegium aliquod habere*. HOT. Cf. Naegelsb. lat. Stil. p. 86.

esse deberet] Hunc locum interpretes non recte verterunt: *welcher auch ein vorzügliches Vorrecht haben sollte*. — Coniunctivus imperfecti suspensus est ab omissa enuntiatione conditionali; hoc enim Tullius dicere vult: Gabinius propter legem suam in exercitu Pompeii, si esset in illo, etiam praecipuo iure esse deberet. E BEN.

ego me profiteor relaturum] „nempe egressione relationis, de alia re a consulibus factae; v. Cl. s. v. Quod ait *nullius edictum* sibi impedimento futurum, id pertinet eo, quod consules in edictis, quibus convocabant senatum, solebant et poterant quaedam praecipere de modo sententiarum dicendarum, ne quis v. c. egrederetur relationem aut alio quo modo impediret confectionem eius causae, quae relata esset." ERN. Non loquitur orator de egressione relationis, quam omnibus senatoribus, qui ius sententiae dicendae habebant, facere licebat, sed de vera et propria relatione (v. Hofmanni *librum de Senatu R.* p. 93 sq.); nam praetores etiam consulibus praesentibus ius ad senatum referendi habuisse nunc quidem satis constat; v. praeter Klotzium ad h. l. Beckeri Antiq. Rom. II, 2. p. 423 sq. et impr. Fr. Hofmannum l. c. p. 95 sqq.

cuiusquam inimicum edictum] „Pro his cod. Hittorp. habet: *cuiusquam iniquitas*, quod non displicuit Modio. Guilielmius nihil mutabat, nisi quod censeret reponi posse *iniquum* pro illo *inimicum*." GRUT. Ob eam scripturam Benecke locum interpolatum habet; nam aliud quid olim scriptum fuisse ex lemmate quoque Scholiastae „*cuius initia*," quamvis corruptum sit, colligi posse. Ego initio putaveram Scholiastae lemmate Coloniensis scripturam quodam modo confirmari; sed quum in eius verbis „*cuius initia: edictum proposuerat, ut nemo referat de Pompeio, ut ipse hoc bellum experiatur*," post corruptam vocem *edictum* sequatur, postea intellexi mendum non minus facile ex lectione vulgata oriri potuisse. Hanc autem, quamvis sit altera lectio *iniquitas* speciosa, propterea praefero, quod oratori minitanti sermo apertus magis quam tectus videtur convenire. — De variis autem edictorum generibus v. Brisson. de Form. III, 9. et Rein. in Paul. Encycl. II. p. 624. et III. p. 20.

vestrum ius beneficiumque defendam] „*Ius* praeturae significat et *beneficium* magistratus a populo accepti: nam praetoribus quoque ius

erat ad senatum referendi." Hot. „In lege Gabinia scriptum arbitror fuisse, ut Pompeius, quos ipse vellet, legatos postularet." Man. „*Ius* nempe in tribunis, ut ii non excludantur ab honore legationis anno a tribunatu proximo; *beneficium* i. e. honorem tribunatus et eius iura." Ern. „Ego *ius* intelligo, ex quo populo R. quem vellet licuerit legare. Ius ergo habuit etiam Gabinium legandi. Cum vero quodvis munus esset *beneficium* populi, ipsa etiam legatio a populo accepta beneficium existimandum erat." Ben. „Wir verstehen unter *vestrum ius* etc. die Ernennung des Pompejus zum Oberfeldherrn im Piratenkriege. Die Verweigerung des Senats, den Gabinius als Legaten mit Pomp. gehen zu lassen, würde demnach von Cicero als eine Rache des Senats wegen jener ohne seinen Willen geschehenen Ernennung betrachtet, und eine Unterdrückung dieser Rache als ein Triumph der Rechte des Volkes." Ian. Wolffius denique *ius* intelligit populi, honores cui vellet vel contra leges demandandi; licuisse enim ei leges, si liberet, migrare. — Tanta est interpretum de loco non ita difficili dissensio, quorum sententias quam brevissime potero iam examinabo. Ut a Beneckeo incipiam, loquitur ille de iure quod populus numquam habuit aut usurpavit. Sed ut concedam tum sibi illud vindicasse, cur non iam ipse Gabinium legaverat? cur de ea re Cicero in senatu se mentionem facturum esse dicit? cur denuntiat, nisi consules de Gab. legando retulerint, se relaturum esse? cur non potius minitatur se ad populum ipsum rogationem laturum esse? Eodem omnino vitio Wolffii laborat sententia, quem ne quid velit quidem satis intelligo. Nec minus falsa videtur Ernesti explicatio. Cum enim legatio honos esset, quem iam ante tribunatum capere liceret, fieri non potuit, ut Cicero diceret: defendam ius, quod Gabinio beneficio vestro ac tribunatu concessistis, ut post tribunatum legationem iniret. Quod si praecipuum ius tribunatus fuisset, Gabinio tamen eo uti non licuisset, ut qui legatus imperatoris a se ipso constituti fieri non posset. Nec magis mihi probatur Ianii sententia, qui quomodo de populi iure imperii deferendi imminuto cogitare potuerit, equidem non assequor. Quod autem Manutius dixit, in lege Gabinia scriptum fuisse videri, ut Pompeius, quos ipse vellet, legatos postularet, id quidem apertis Plutarchi aliorumque testimoniis confirmatur, a quibus traditum est Pompeium legatos belli piratici ipsum sibi legasse. At si beneficio a populo sibi concesso in Gabinio ipse uti noluit, cur Cicero de ea re cum senatu conquereretur? Immo ius illud, postquam Pompeius legis beneficio in creandis legatis usus est, iam ad senatum redierat, ut ex ipsa Pompeii postulatione apparet, qui novum legatum a senatu per amicos suos accipere vellet. Quae cum ita sint nec nova explicatio excogitari posse videatur, quasi veritate ipsa ad Hotomani sententiam reduci videmur. Ut in tota oratione, sic in hoc quoque loco Cicero occasio-

nem aucupatur populi gratiae captandae. Quid autem dicere potuit, quod auribus eius magis blandiretur, quam se omne ius, quod beneficio praeturae accepisset, defensurum esse? Praetorum esse ad senatum referre. A quo iure tuendo si edicto consulari prohibeatur, populi ipsius ius praecipuum imminui, qui potestatem praetoriam sibi integram atque illibatam deferre voluerit. Ita ut verba oratoris intelligamus, quae sequuntur vel maxime suadent. Ius vestrum, inquit, i. e. ius a vobis mihi demandatum edicto consulari mihi eripi non patiar: tum demum a relatione desistam, si tribunus pl. intercesserit, i. e. si populus ipse tribuni voce atque intercessione mihi significarit se nolle de ea re ad senatum referri: „*de qua, ut arbitror, isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt.*" His verbis Tullius tribunos admonet, ut considerent, quo sibi ad populum tuendum creatis progredi liceat. Cum enim causa Gabinii non possit populo non gratissima esse, qui tanto consensu eius rogationem sciverit, verendum esse, ne, dum populi commodis sibi consulere videantur, in gravissimam eius invidiam incurrant.

praeter intercessionem] Blanditur populo, cum se solis tribunis pl. intercedentibus cessurum esse dicit. Man. Perperam Steinmetzius tribunorum intercessionem solam intelligendam esse negavit (coll. Varrone ap. Gell. 14, 7. *intercedendi, ne SCtum fieret, ius fuisse illis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui SCtum facere vellent, maioreve essent*); consulum enim intercessio (v. Hofmanni lib. de Senatu Rom. p. 98.) edicti interdicto continebatur.

rerumque gestarum Cn. Pompeio socius ascribitur] Haec est lectio melioris familiae codicum, libris deterioribus varie interpolatis; v. interpp. notas in Beneck. editione. „*Socius ascribitur*, i. e. pro socio Pompeii in bello maritimo habetur, eius gloriae particeps est; v. §. 57., unde sequitur, quod tamen audientibus ex iis, quae dicit, colligendum relinquit, eum praecipuo quodam iure legandum esse Pompeio. Si esset pro *legandus est Pompeio*, dicendum erat *ascribetur*, quod coniecit Heumannus. Depravata est lectio ab iis, qui genitivi *belli maritimi* etc. unde penderent vel quam vim haberent non intelligentes addiderunt *auctor*, alii *comes*. Similiter de hoc l. iudicat Wernsdorf in Nov. Actis Soc. Lat. Ien. I. p. 256 sq." Matthiae. Steinmetzius apte contulit Cic. ep. ad Att. XIV, 17. A. §. 1. *non possum non confiteri cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me ascribat tuis laudibus.*

CAPUT XX.

§. 59. *Si quid eo factum esset*] i. e. si quid humanitus ei contigisset, si obiisset. Ominis causa mortis mentionem vitavit. Man. Variae

huius euphemismi formulas collegerunt Schottus in Nodis Cicer. I, 2. I. Fr. Gronovius Lectt. Plaut. p. 290. Cortius ad Sal. fragm. p. 997. De duplici autem enuntiato conditionali v. Seyff. ad Lael. p. 256. et Naegelsb. lat. Stil. p. 287.

in ipso vos spem habituros esse] „Sic legendum, non ut vulgo: *in eo ipso*. Nam praeterquam quod pronomen *eo* non est in quibusdam libris mss., ratio et consuetudo Latini sermonis postulant, ut ita legatur, quemadmodum edendum curavi. Si enim *in eo ipso* legeremus, significaretur Pompeius. At ex Plutarcho notum est populum respondisse se spem habiturum in ipso Catulo." Lamb. De re v. testimonia veterum in Prolegg. p. 10. n. 37. Scripturam autem Lambinianam omnes editores recentiores uno excepto Klotzio secuti sunt, qui in Jahn. Ann. N. XXII. p. 153. *eo* hic vix deesse posse scripsit. Cum enim Quirites acclamare non potuerint: *in ipso spem habebimus*, sed: *in te ipso*, se non videre, quo pacto hic *eo* omitti potuerit. At alia est ratio in prima et secunda persona pronominis, ubi utique personale pronomini *ipse* adiungendum est, alia in tertia, ubi simplex *ipse* est nostrum *er selbst*, *is ipse* Graecorum *αὐτὸς οὗτος* sive *er gerade*, *dieser gerade*.

cum ... dixistis] v. Madv. ad Cic. de Finn. p. 690.

etenim talis est vir] „Non temporis causa, sed ex vero hanc laudem Catulo dedit orator. Nam sic ad filium scripsit de Off. I, 22. *Mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neque, cum versaremur in rep., Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur.*" Weiske. Addidit Benecke Cic. p. Sest. 47, 101. et Cass. Dion. 36, 13: *ᾔδοῦντο πάντες αὐτὸν καὶ ἐτίμων ὡς τὰ συμφέροντα σοφίσει καὶ λέγοντα ἀεὶ καὶ πράττοντα.*

in hoc ipso ... dissentio, quod] „*Quod* particula non explicandi causa adiungitur, ut in qua re Tullius a Catulo dissentiat, significet, sed causam affert, quamobrem ille sibi ab hoc dissentiendum existimet." E Ben. Respondet orator ei quod dixerat Catulus, ne Pompeii vitam nimis multis periculis exponerent; v. Xiphilinum ex Dione Cassio (Vol. V. p. 111. ed. Sturz.): *ἐὰν ἐπὶ ταῦτα ἐκπεμφθεὶς σφαλῇ, οἷα ἔν τε ἀγῶσι πολλοῖς καὶ τούτοις θαλαττίοις φιλεῖ γενέσθαι κτλ.* Recte autem monuit Omphalius hoc schema ab artium scriptoribus *τὸ βίαιον εἶδος λύσεων* dictum esse, quod fit, cum adversarium iisdem verbis premimus et coercemus, quibus ille confisus in iudicium venerat. Cf. impr. Ernest. Lex. Technol. Graec. rhet. p. 57 sq., ubi vir doctissimus hunc locum or. Pompeianae non praetermisit.

summi viri vita atque virtute] „Guilielmius substituit ex Verd. et Hitt. *viri* [pro vulg. *hominis*] non modo ob *παρόμοιον* in vocibus his *viri vita virtute*, sed quia a *viro* dicta *virtus* et eo plerumque haec coniunguntur." Gruv.

§. 60. *At enim ne quid novi fiat*] „Wunderus, qui codicis Erf. scripturam solet studiose defendere, in hac lectione interpolatum codicem confitendum putat. Quum enim edatur: *At enim nihil novi fiat* etc., codd. autem meliores, Erf. Verd. Colon. [add. Teg. et Pal. IX.], habeant: *At enim ne quid novi*, deteriores autem fere *inquit* addant post *enim*, putat *ne quid* glossam esse ad *nihil* ascriptam, inde ortum *inquit*; in quo primum non animadvertit sic glossam e melioribus codd. in deteriores alius originis transisse dici, et ita transisse, ut in omnibus illis vera sit glossa, in omnibus his corrupta; deinde quis ad vv. *nihil fiat* interpretandi causa adderet *ne quid fiat*? Et *inquit* quidem glossa est, verum non illinc orta, sed simpliciter addita ab iis, qui adversariorum sententiam a Cicerone induci significabant; eaque est in solis deterioribus libris, et similis (*inquiunt*) in meliorum infimo, Dresdensi; illa omissa lectio duplex est, bonorum vividior *ne quid* probanda, altera *nihil*." MADVIG. De ratione autem, qua Catuli argumentum ab oratore refutatur, v. Prolegg. p. 27.

non dicam hoc loco — non dicam — non commemorabo] „Figura benevolum promissa brevitate auditorem reddens, et eadem attentum, quia maius aliquid, quam quod omittit, pollicetur. Huius generis illud est or. I. in Rull. c. 7. *Non queror — praetermitto — non dico — praetermitto omnem hanc orationem et contioni reservo: de periculo salutis ac libertatis loquor*." MAN. Exempla simillima huius figurae reticentiae s. occultationis v. apud Auct. ad Herenn. IV, 27. et Rutilium Lupum II, 11. (ex Lycurgo), et add. imitationem Claudii Mamertini in Paneg. genethl. c. 5. §. 3 — 5. Vol. I. p. 150. Iaeg. Ceterum recte Madvigius monuit, recepta demum codicis Erf. scriptura, *non dicam hoc loco*, quam etiam Teg. et Pal. IX. habent pro vulg. *non dico h. l.*, veram orationis formam et figuram restitutam esse.

maiores nostros] in Pal. IX. est: *maiores vestros*.

in pace consuetudini, in bello utilitati paruisse] „Huius rei exemplum suppeditat historia de C. Mario apud Val. Max. V, 2, 8: *Duas*, inquit, *Camertium cohortes, mira virtute vim Cimbrorum sustinentes, in ipsa acie adversus conditionem foederis civitate donavit. Quod quidem factum et vere et egregie excusavit dicendo inter armorum strepitum verba se iuris civilis exaudire non potuisse.* Lege eundem Valerium lib. VII, 6. de necessitate." HOT. „In illo capite pulchre Valerius: *Cedit interdum generosus spiritus utilitati et fortunae viribus succumbit: ubi nisi tutiora consilia elegerit, speciosa sequenti concidendum est.* Sed haec omnium sapientium sententia est, serviendum tempori et necessitati; v. Cic. ad Fam. I, 9. et Suet. Caes. 19. ac quae ibi docti notant, et nos ad libros I. et III. Cic. de Off." GRAEV.

ad novos casus temporum novorum consiliorum rationes accommodasse] Similiter Sophocles in Aiace v. 735. *Οὐκ ἔνδον, ἀλλὰ φρενῶδος*

ἀρτίως, νέας βουλὰς νέοισιν ἐγκαταξεύξας τρόποις. Ceterum Steinmetzius vv. *nov. cons. rationes* parum feliciter aut saltem obscure explicuit: „nova consilia, quae eorum rationem haberent;" est potius, si ad verbum vertas, *den neuen Vorkommnissen, welche die Zeitverhältnisse mit sich führen, die Maſsnahme neuer Maſsregeln anpassen.* Cf. Auct. ad Her. I. §. 16. *Verisimilis narratio est, si ... spatia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum opportunitates constabunt.* et Cic. de Orat. I. §. 2. *quam spem ... graves communium temporum casus fefellerunt.*

duo bella maxima, Punicum atque Hispaniense] „quorum altero Carthaginem ipsam, altero Numantiam Africanus, Pauli filius, delevit: cum ei semel ante tempus, vetere lege praescriptum, aedilitatem petenti consulatus mandatus esset; iterum autem contra eam legem, quae vetabat quemquam iterum consulem fieri." Man. Contra haec Ferratius Epist. III, 10. p. 196 sq. recte ille quidem monuit Ciceronem proprie non de consulatibus, sed de provinciis loqui extra ordinem Scipioni datis novo exemplo, ut duo bella maxima unus conficeret, et a pari ostendere, etiam Pompeio deferri posse bellum Mithridaticum extra ordinem, qui et antea multa huiusmodi extraordinaria obtinuisset. Sed quod Manutium reprehendit, quod alterum consulatum contra legem, quae tum valeret, ne quis iterum consul fieret, eum accepisse scripserit, merito Garatoni negavit testimonio Livii Epit. 56. fidem derogandam esse. Legitur ibi: *Cum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque R. consulatus: quem cum illi capere ob legem, quae vetabat quemquam iterum consulem fieri, non liceret, sicuti priore consulatu, legibus solutus est.* De priore autem consulatu Scipionis v. Liv. Epit. 51: *P. Scipio Aemilianus cum aedilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per annos consulem fieri non licebat, cum magno certamine suffragantis plebis et repugnantibus aliquamdiu patribus, legibus solutus et consul creatus est.* et Epit. 51. *Karthago ... magno labore obsessa et per partes capta est, primum a Mancino legato, deinde a Scipione consule, cui extra sortem provincia Africa data erat.* Cf. nunc imps. Beckeri Antiq. Rom. II, 2. p. 19. not. 29. p. 30 sq. et p. 48. not. 96.

duasque urbes] Codd. aliquot: *duas u.* „Hotom. asyndeton maiorem vim habere contendit, quod audirem, si duo ista membra ad diversos homines pertinerent. Cum autem in utroque agatur de uno P. Scipione, copulam addi praestat." Schuetz.

ab eodem Scipione] „Vox *Scipione* adventicia et aliena videtur esse: nam cum supra dixerit *ab uno imperatore*, imperator autem ille Scipio fuerit, hic vel dicendum fuit *ab eodem imperatore*, vel satis fuit dicere *ab eodem*." Lamb. Contra Benecke dicit, cum omnes libri in voce *Scipione* consentiant, se eam eiicere non ausum esse. Nam etsi aliquid

habeat, quo offendat, tamen omisso nomine Tullium *imperatore* repetiturum fuisse. Neuter vidit, cur orator *Scipione* addidisset. Non enim refertur *idem* ad vv. *ab uno imperatore*, ut de eodem homine iam novum afferatur, sed *idem* dictum est pro *unus idemque*, ut sit: a quo Scipione Karthago est deleta, ab eodem alter ille imperii R. terror, Numantia. Sic paulo infra: *ut in uno C. Mario spes imperi poneretur, ut idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Teutonis bellum administraret.*

ut in uno C. Mario spes imperi poneretur etc.] De hac argumentatione v. Prolegg. p. 27. not. 30 sq.

bellum administraret] continuatis in eo contra legem consulatibus. MAN. Cf. Beckeri Antiq. Rom. II, 2. p. 48. not. 96.

CAPUT XXI.

§. 61. *Adolescentulum*] Erat tum bello Sullano 23 annos natus.

exercitum ... conficere] ut in Phil. V, 16. *C. Iulius prius confecit exercitum, quam quisquam hoc eum cogitare suspicaretur.*

ductu suo] Idem gloriatus est in ep. ad Senatum (Sal. Fragm. III, 11.): *Si advorsus vos patriamque et deos Penatis tot labores et pericula suscepissem, quoties a prima adolescentia ductu meo scelestissimi hostes fusi et vobis salus quaesita est* etc.

aetas a senatorio gradu longe abesset] Dubitatur de aetate senatoria, quoniam ne nunc quidem satis constat, quo aetatis anno quaesturam capere licuerit. Alii enim, ut Wexius in Novo Mus. Rhen. (1845.) III. p. 281 sqq. et Beckerus in Antiq. Rom. II, 2. p. 25 sqq. et p. 392., tricesimo aetatis anno, alii, ut Fr. Hofmannus de Senatu p. 172 sqq., rectius, ut videtur, vicesimo septimo anno quaestorem fieri senatuique interesse licuisse existimant. Post diligentissimas horum doctorum disputationes priorum interpretum adnotationibus, quas Benecke collegit, facile carere possumus.

Siciliam permitti atque Africam] Bellum adversus Carbonem et contra Domitium et Hiarbam gessit XXIV. et XXV. aetatis anno. De qua re ipse, cum rogatio Gabinia ferretur, sic gloriabundus ad populum dixit, teste Dione 36, 8: ὅσα δὲ ἔν τε τῇ Σικελίᾳ καὶ ἐν τῇ Ἀφρικῇ ἔκαμον, μηδέπω καθαρῶς ἐς ἐφήβους τελῶν.

bellumque in ea provincia administrandum] Restitui hanc lectionem, quam Erf., Pal. IX., Teg. soli servarunt, reliquis omnibus voc. *provincia* omittentibus. At si *in ea* legitur, ita loquitur orator, quasi Pompeio solum bellum Africanum (*in ea* scil. *Africa*) commissum esset, quod non fit, si codd. optt. lectio *in ea provincia*, i. e. in eo proconsulatu (*bei dieser Provincialverwaltung, in diesem amtlichen Wirkungskreise*), in integrum restituitur. Nec quidquam nos movere debet, quod

statim sequitur: *fuit in his provinciis*, quoniam haec verba in responso ad interrogationem leguntur, in quo eorundem verborum iteratio non potest videri vitiosa.

singulari innocentia, gravitate] At lege acerbissimam gravissimamque Helvii Manciae Formiani obiurgationem, quam nobis Valerius Maximus VI, 2, 8. servavit, et v. Prolegg. p. 4. not. 9.

victorem exercitum deportavit] v. Prolegg. p. 5. not. 12. De locutione ipsa v. Duk. ad Liv. 38, 50, 3. et Bak. ad Cic. Legg. p. 602.

equitem R. triumphare] primum a. 80. a. Chr., quo anno L. Sulla consul de eius reditu legem tulit, ut refert A. Gellius ex Sallustio X, 20, 10. (de quo loco v. Drum. IV. p. 334. not. 43.); iterum a. 71. a. Chr. ex Hispania; v. Prolegg. p. 5. not. 16. et p. 7. not. 25 sq. (Superiorum interpretum disputationes de annis, quibus Pompeius triumpharit, v. ap. Beneck. p. 292—294.) Scripsit autem Plutarchus de Pompeio equite triumphante c. 14: δῆλον δ' ἐστὶν ὅτι καὶ βουλῆς ἂν ἐπιθυμήσας τότε ῥᾳδίως ἔτυχεν· ἀλλ' οὐκ ἐσπούδασεν, ὡς λέγουσι, τὸ ἔνδοξον ἐκ τοῦ παραδόξου θηρώμενος. Οὐ γὰρ ἦν θαυμαστὸν, εἰ πρὸ ἡλικίας ἐβούλευε Πομπήϊος, ἀλλ' ὑπέρλαμπρον, ὅτι μηδέπω βουλεύων ἐθριάμβευε· τοῦτο δ' αὐτῷ καὶ πρὸς εὔνοιαν ὑπῆρχε τῶν πολλῶν οὐ μικρόν. Et audi ipsum de se praedicantem apud Cass. Dion. 36, 8: ἐφ' οἷς ἅπασιν οὐχ ὅτι ἀχάριστοι πρός με ἐγένεσθε, ἐρῶ· πόθεν; πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις, ὧν πολλῶν καὶ μεγάλων παρ' ὑμῶν ἠξιώθην, καὶ αὐτὸ τὸ πιστευθῆναί με τὴν ἐπὶ τὸν Σερτώριον στρατηγίαν ..., τό τε ἐπινίκια καὶ ἐπ' ἐκείνῃ παρὰ τὸ νενομισμένον πέμψαι μεγίστην μοι τιμὴν ἤνεγκεν. Ex superioribus enim legibus nemini nisi dictatori, consuli praetorive triumphare licuit; primusque Pompeius nullo magistratu gesto triumphavit; v. Beck. Ant. R. II, 2. pag. 81. not. 160.

sed omnium etiam studio visendam] „Unde apparuit hoc tantum populi studium in Pompeii triumpho? Manutius: „„Arbitror," " inquit, „„id totum dici, quia triumphus ei extra ordinem datus est, cum esset adolescentulus, nondum senator:" " quasi in eo populus suum in Pompeio studium ostenderit, quod adhuc adolescentulum triumphare iusserit extra ordinem. Quid vero usque ad illud tempus obtinuerat Pompeius, quod extraordinarium non esset? Privatus exercitum comparaverat, eidem sine S. C., sine lege curiata praefuerat; rep. perturbata expeditionem in Siciliam et inde in Africam susceperat: quid ex his non extra ordinem, non contra leges, non contra instituta maiorum? Ad idem genus triumphus etiam referendus est, cuius non minorem esse oportebat admirationem quam reliquorum. Atque cum unus imperaret Sulla, nulla fit senatus mentio: populus autem quid aliud praestare poterat, quam ut studiose pompam videret ac triumphanti acclamaret? hoc est, ex indulgentia dictatoris triumphavit Pompeius adhuc eques

R. sine SCto et populi lege." Ex Ferratio, II, 15. p. 135 sq. Non dubitavi autem scripturam optimorum librorum, i. e. Erf. Verd. Teg. Pal. IX., *omnium etiam studio*, quae hodie fere relicta est (in Colon. quid fuerit, incertum est; v. Adnot. crit.), reducere. Ernesti quidem: „Servavi," inquit, „*omni*: nam non est hic sensus, populum voluisse multos esse spectatores illius triumphi: hoc dici in tali re non solet. Sensus est: non modo vidit, sed etiam studiose et frequenter spectavit; quod sic oblique melius et numerosius more Ciceronis exprimitur." In hac disputatione illud quoque falsum est, quod verba *videre* et *visere* pro synonymis accipi videntur; at valet h. l. *videre* id quod nos dicimus „*erleben*." Benecke autem etiam longius progressus non tantum scripturam *omnium* ineptam vocavit, sed locum etiam propter incertam sedem, quam *etiam* in diversis codicum familiis habet, corruptum ratus *omni cum studio* omisso *etiam* scribendum esse proposuit. At locus non ita conclamatus est, ut tam violento remedio opus esse videatur. Non video enim, quidni Cicero dixerit: *sed omnium etiam studio* etc., i. e. ita rem visendam putavit, ut omnes studium testificarentur. *Omni studio* esset nostrum: *mit jeder Art von Theilnahme, mit aller möglichen Th.*; significantius est *omnium studio*, quod ei respondet quod nos dicimus: *mit allseitiger Theilnahme*. Ac recte Weiske adnotavit *studium* hic non tam esse cupiditatem spectandi, quam benevolentiam concursu significatam.

et concelebrandum] Haec verba in sola Germanica codicum familia servata sunt. Steinmetzius apte comparavit Liv. VIII, 7. de T. Manlii Torquati filio: *ut spoliis contectum iuvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur.*

§. 62. *Quid tam inusitatum, quam ut*] i. e. quid tam contra morem fiebat, quam ut; cf. Madv. ad Cic. de Finn. II, 3. p. 145 sqq.

duo consules]. Mam. Aemilius Lepidus, D. Iunius Brutus a. 77. a. Chr.

ad bellum maximum formidolosissimumque] Ipse in ep. ad Senat. §. 1. *saevissimum* appellavit.

hominem privatum] or. Phil. XI, 8, 18. *Sertorianum bellum a senatu privato datum est.* Cf. Beckeri Antiq. R. II, 2. p. 33. Bene autem monuit Rubino in *Comment. de tribun. potest.* p. 6. illo tempore ante restitutam potestatem tribuniciam rerum administrationem totam penes senatum fuisse: dedisse eum imperia non solum ordinaria, sed etiam extraordinaria, quibus lege opus fuisset. SCto Pompeium contra instituta privatum pro consule in Hispaniam missum, L. Lucullo Ciliciam et bellum Mithridaticum datum, M. Antonio infinitum maritimum imperium commissum, eademque ratione omnia reliqua, populo numquam consulto, gesta esse.

L. Philippus dixisse dicitur] „Consulibus Sertorianum bellum detrectantibus Pompeius electus est. Cum interrogarentur patres, quali debeat cum potestate mitti, Philippus, consulum ridens ignaviam, pro consulibus dixit. Cicero hoc capit, quasi hoc dixerit laude Pompeii, non consulum vituperatione." Schol. Etiam hoc dictum Philippi orator in suam rem convertere non veritus est, quamquam, ut iam Scholiastes recte significavit, a Philippo magis ad cavillationem consulum quam ad Pompeii amplificationem prolatum erat. Id apparet ex Plutarchi relatione in v. Pomp. c. 17. *ὅτε καί φασιν ἐν συγκλήτῳ πυθομένου τινὸς καὶ θαυμάζοντος, εἰ Πομπήϊον ἀνθύπατον οἴεται δεῖν ἐκπεμφθῆναι Φίλιππος, Οὐκ ἔγωγε, φάναι τὸν Φίλιππον, ἀλλ' ἀνθ' ὑπάτων· ὡς ἀμφοτέρους τοὺς τότε ὑπατεύοντας οὐδενὸς ἀξίους ὄντας.* Id igitur dictum Cic. sic in Pompeii laudem detorquet, ut populo comprobare studeat, Philippum, virum gravissimum (v. Meyerum in Orat. Fragm. p. 323 sqq. ed. II.), serio tum iudicium de Pompeio fecisse. Cf. Haunium p. 9. not. 3. Ceterum iam Gabinius in rogatione sua eandem rem tetigerat, si quidem Dio tradit 36, 10: *ἀλλὰ καὶ τοῦτον καὶ τότε μηδέπω μήθ' ἡλικίαν ἔχοντα μήτε βουλεύοντα, καὶ ἀντὶ ἀμφοτέρων τῶν ὑπάτων ἐξεπέμψαμεν.*

pro consule] „Ex hoc loco intelligi potest, proconsules non tantum eos dictos esse, qui ex consulatu in provinciam cum imperio consulari mittebantur, sed eos omnes, qui cum consules non fuissent, tamen cum eo imperio mittebantur. Ex Hot. Cf. longas interpretum disputationes in Beneck. editione, coll. Beckeri Antiq. R. II, 2. p. 33. et Hoeckii hist. R. I, 2. p. 181 sq.

duorum consulum munus] eorumque *clarissimorum fortissimorumque*, ut eos supra nominavit, quamquam eosdem Philippus asperioribus facetiis perstrinxerat. Atque ita loquitur orator, quasi tum moris fuerit unum bellum duobus consulibus administrandum committi.

ex SCto legibus solutus] In Pal. IX. praepositio *ex* omissa est. „*Solvi legibus* dicuntur, quibus praecipuo iure ut sint neque legibus teneantur, SCto permittitur." Hot. Asconius in Cornelianam p. 57. ed. Bait.: *promulgavitque* (Cornelius 65. a. Chr.) *legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis nisi per populum legibus solveretur. Quod antiquo quoque iure erat cautum, itaque in omnibus SCtis, quibus aliquem legibus solvi placebat, adiici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paulatim ferri erat desitum, resque iam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adiiceretur quidem in SCtis de rogatione ad populum ferenda.* Cf. Beckeri Antiq. R. II, 2. p. 453. et impr. Dirksenii dissertationem „*Ueber die Behörden, welche im Röm. Reich Privilegien ertheilten*," in *Civil. Abhandl.* I. p. 242 sqq., impr. p. 266 sqq.

legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset] Consulatum iniit a. 70. a. Chr. cum L. Li-

cinio Crasso, 35 annos et 9 menses natus. „Primum quaeritur, qua lege solutus sit Pompeius, cum factus est consul. Solutus est lege Villia annali, qua prohibebatur petitio consulatus ante annum 42. [v. nunc Beckeri Antiq. R. II, 2. p. 19 sqq.], aliisque duabus Cornelii legibus, quae ad consularem dignitatem eos non admittebant, qui quaestores praetoresque non fuissent. Deinde quaeritur, cur Pompeio 35 annos nato nullum alium magistratum capere licuerit. Hoc cum dicit Cic., solos curules intelligit. Aedilitas enim, qui magistratuum curulium primus erat, petebatur anno tantum 36. [v. Beck. l. c. II, 2. p. 24. not. 39.], et hinc apparet non licuisse Pompeio per leges, i. e. per aetatem ullum alium magistratum curulem capere. Quod denique eques R. dicitur, ea est causa, quod nondum quaestor fuerat, cum patere curiam iis, qui quaesturam gessissent, L. Sulla dictator lege lata voluerit." Ex Ferratio, Epist. II, 15. p. 136 sqq. Longas interpretum disputationes Benecke p. 301 — 305. collegit.

ut iterum eques R. ex SCto triumpharet] „Manutius ait Pompeium ex Hispania reversum ex SCto triumphasse, non ex populi rogatione, quia senatus eum, non populus in Hispaniam misisset. At P. Aemilio iterum consuli uter provinciam Macedoniam tradidit bellumque adversus Perseum, senatusne an populus? Decretas a patribus more veteri provincias consules sortiti sunt Livio teste XLIV, 17. *et consulum Aemilio Macedonia, Licinio Italia evenit.* A quibus victori Aemilio impetratus triumphus dicitur? ib. XLV, 35. *Tribus iis omnibus* (Aemilio, Octavio, Anicio) *decretus est ab senatu triumphus, mandatumque Q. Cassio praetori, cum tribunis pl. ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent.* Cur, inquies, non etiam de Pompeio eodem modo? Quia tum nihil per populum, omnia per senatum fieri solebant. Tandem quaeri potest, cur prius Pompeii consulatus commemoretur, quam secundus illius de Hispania triumphus. Patet autem responsio ex Verr. Act. I, 15. *ipse denique Cn. Pompeius, cum primum contionem ad Urbem consul designatus habuit*: habuit eam contionem consul designatus et ad Urbem, h. e. cum imperio, quia non dabatur imperatoribus in Urbem ingressus, nisi imperio deposito, cuius ultimus erat dies, quo triumphabant. Quod si ante triumphum Urbem ingressi essent, lex erat rursus ferenda de illorum imperio, quod obtinerent die triumphi, ut de Pomptino legimus ad Att. IV, 15. Designatus fuit igitur consul Pompeius, ante quam de Hispania triumpharet [quem triumphum habuit die ante quam consulatum iniret], servavitque temporum ordinem Cicero." Ferratius p. 137. Ceterum ut historiae sua fides constet, verba ita intelligenda sunt: *ut iterum eques R. triumpharet, idque ex SCto.*

ea tam multa non sunt] Comparavit Steinmetz Val. Max. VIII, 15, 8;

Quae in Cn. Pompeium et ampla et nova congesta sunt, hinc assensione favoris, illinc fremitu invidiae, litterarum monumentis obstrepuntur.

in hoc uno homine videmus] „Est quasi quaedam conclusio eorum, quae dixit, et sententia haec est: Omnino ea, quae in hoc uno homine constituta scimus, multo plura sunt, quam quae nova umquam in omnibus hominibus constituta sunt. Hinc apparet scripturam libri Erf. aliorumque *videmus* solam huic loco accommodatam esse." E Ben. Idem priorem scripturam *vidimus* bene refutavit. Ceterum cum hoc dicit orator, suam ipse argumentationem optime refellit. Ob eam enim ipsam causam, quod tot nova in uno homine constituta sunt, tandem tempus erat, ut ad exempla atque instituta maiorum rediretur. Id cum senatus intellexisset, rogationi Gabiniae vehementissime adversatus erat, quod callide orator dissimulavit, neque infinitum illud imperium, quod lege Gabinia accepit, quamvis esset inauditum, in exemplis novis enumeravit, scilicet ne ipse argumentationem, quae sequitur, elevaret.

§. 63. *Atque haec tot exempla*] Oratorie *tot* dixit; nam tantum tria postrema in Pompeium ex senatus auctoritate profecta sunt.

a Q. Catuli] Confirmat Pal. IX. hanc lectionem Erf. et Tegerns., sed mox habet: *atque ceterorum* sine *a*.

CAPUT XXII.

§. 63. *Quare videant, ne*] v. Hand. Turs. IV. p. 88 sqq.

suo iure] sine illorum auctoritate, et quasi iam istorum auctoritati minus esset obnoxius, quam levem eventus esse iudicavit. Hor. Cf. interpp. ad Florum I, 17, 5. Gar.

qui dissentiunt] Ernesti coni. *dissentiant*. At Cic. significavit eos, qui tum dissentiebant, non eos, quicunque dissentirent. Beck.

isdem istis] v. supra ad 7, 19.

§. 64. *suis consiliis regere*] scil. in contionibus.

plus in re publ. vidistis] v. Seyffert. ad Lael. p. 544., qui recte convertit „*einen tieferen politischen Blick haben*, coll. or. Phil. II. §. 39. *cum me vidisse plus fateretur, se speravisse meliora.*

vos iis repugnantibus] Sic emendavi ex cod. Teg. (eodem ducit Pal. IX. scriptura: *hys*), cum vulgo *his* legatur, quod falsum est de iis, quos orator modo et paulo post iterum *istos* appellavit. Sed recte se habet pron. demonstrativum, cum verba ad superiorem eorum commemorationem referantur; v. Madv. Opusc. p. 508.

Atque in hoc bello Asiatico] „In meo libro [i. e. in ed. Aldina a. 1519., ad cuius marginem et lectiones codicis cuiusdam et adnotationes manu antiqua adscriptae sunt] haec scripta sunt: „„Haec tota pars usque ad vv. §. 68. *Quod si auctoritatibus* etc. tractata est superius (c. 13.): *Non enim solum bellandi virtus* etc.; hic rursus est tota repe-

tita, quae neque cum iis, quae praecedunt, neque cum iis, quae sequuntur, convenit, neque prudenter posita, sed prorsus aliena est tractatio, non solum a Cicerone, sapientissimo homine, sed etiam ab infimae prudentiae homine reiicienda. Naugerius, homo praestantis iudicii, dicebat verisimile esse Ciceronem, ut fieri solet, bis eandem partem domi composuisse, postea, quae videbatur melius esse tractata, eam accepisse: utramque tamen indeletam apud se domi servabat. Post eius vero mortem qui libros ediderunt, invenerunt utramque partem, et quoniam non erant eo iudicio, ut de iis rebus iudicare possent, et a Cicerone sine ordine relicta erat, in fine posuerunt, inepte quidem et sine ratione.'" Nuernberger in Progr. Campodunensi a. 1832. p. 6. „Quae litteris inclinatis exprimenda curavimus, ea subditicia et ex aliqua declamatiuncula hic inculcata esse viderunt Naugerius, Pantagathus, Blochius, qui subtiliter ea de re disputavit, et Madvig." Orelli. 2. Scripsit de ea re Madvigius in Opusc. p. 132: „Omnem hanc partem orationis Ciceronis non esse vidit dudum Pantagathus, de qua re nihil dicendum puto, quod civis meus Blochius nuper de ea recte exposuit. Est tamen declamatoris artificiose et Latine scribentis." Quamquam vereor, ut hodie homo ingeniosissimus idem sentiat, tamen, ne ignavia quadam mea rem detrectasse videar, operae pretium erit Blochii argumenta paulo accuratius inspexisse. Is igitur: „Totum hunc locum," inquit, „quem Victorius quoque in editione duobus semicirculis inclusit, spurium esse ex variis huius ipsius orationis sententiis formulisque dicendi Ciceronianis utcumque contextum et orationi deinde insertum facile patebit inspicienti 1) consilium oratoris ac materiae dispositionem. Bipartitam enim cum Cic. fecerit orationem, atque priorem eius partem extremo iam cap. 16. absolverit, in altera deinde a cap. 17. usque ad perorationem (c. 24.) obiectiones adversariorum sibi sumit refutandas: in quibus incommodum plane fuisset et a consilio suscepto alienum de eo, quod iam erat (c. 13—14.) evidentissime demonstratum, denuo disputare atque ostendere, propter temperantiam ipsius bellum esse Pompeio committendum, praesertim cum non inepto tantum loco et sine ulla idonea causa ista revocentur, sed 2) ne novum quidem ullum afferatur argumentum, quo res populo commendetur, verum aliis tantummodo verbis repetantur, quae antea iam suis locis de imperatorum Rom. intemperantia questus erat orator: id quod cummaxime declamatorem arguit, qui ex Ciceronianis sua composuerit. Quid enim? putandumne est optimum oratorem in orat. ad populum habita, cui clarissime erant omnia demonstranda, quamque orationem primam pro rostris habuit, summoque studio et cura praemeditatus fuerat, sic negligenter versari, ut, quae paulo ante et suo loco et aptissimis verbis exposuerat, ea nunc, turbato rerum ordine et ratione, ut mox videbimus, minus commode

repetiturus fuerit? Nam ut singula excutiamus fontemque, unde hausta sint, indagemus, primum verba, unde orditur additamentum, „*Atque in hoc bello — requiruntur*" nata videntur ex capp. 11—13., in quibus haec res copiose pertractatur, et quidem c. 13. his verbis: „*Non enim solum bellandi virtus ... comitesque virtutis:*" quae, quaeso, cur tandem h. l. erant otiose repetenda? Et cum *de aliis* quoque *virtutibus animi multis et magnis* dicturum se pollicitus sit, frustra tamen hanc excitat exspectationem, ac de sola temperantia Pompeii declamitantem hominem audimus. Quanto aliter orator c. 13., qui quas commemoravit virtutes, eas etiam omnes singulatim deinde persequitur. Quae sequuntur „*difficile est in Asia* etc." quum fundum habent in c. 14., tum praesertim vv. „*deinde etiam — nemo arbitratur*" non modo originem trahere ex loco §. 41. videntur „*nunc denique incipiunt credere — videbatur*," verum etiam a consilio oratoris h. l. sunt plane aliena, quum causa, cur ad bellum mittendus esset Pompeius, id quod h. l. spectatur, non in eo posita sit, quod socii propter multitudinem cupidorum hominum neminem non talem esse arbitrarentur, atque igitur ne Pompeium quidem essent excepturi, sed in eo, quod hanc sociorum opinionem tollere adventu suo Pompeius posset, ut c. 14. demonstratur. Porro vv. seqq. *difficile est dictu* etc. et commemorationem *fanorum* suggessisse scriptori videntur loci 9, 23. et ille 13, 38. de calamitatibus, quas propter avaritiam imperatorum apud exteras nationes exercitus Ro. concitarent, cuius loci amplificationem esse facile patet, quae hic sequuntur de iniuriis ac libidinibus imperatorum Ro. Atque manifestius adeo verba *pro sociis vos contra hostes mittere putatis* etc. expressa sunt ex vv. §. 13. *quod ceteros in provinciam* etc.; ut nihil de hyperbole dicamus, omnem fidem excedente, quod nulla civitas tam opulenta esse dicitur, quae vel *unius tribuni mil. animos ac spiritus capere posset.* Quid quod sequente tandem conclusione, „*quare etiamsi quem habetis— qui ... mittatur*," non tamen cessat, ut exspectandum erat, declamatio ista, sed iterum his verbis infit: *ecquam putatis civitatem*, donec altera conclusio ita rursus finitur: *quare nolite dubitare* etc. (tertia et ea quidem unice vera mox sequitur extremo capite): in qua orationis perturbatione quis est qui Ciceronem agnoscat? Neque minus offendit, quod rursus ad *cupiditates*, *iacturas et conditiones*, *quibus in provincias proficiscantur*, oratio recurrit, inepte haec petens ex c. 13, 37., ubi idonea profecto de pecuniarum divisionibus dicendi causa erat; sed ad refellendas Hortensii et Catuli obiectiones nihil omnino illa pertinent. Ac denique haec ultima „*qui inter tot annos ... gaudeant*" quum nullo pacto ea probant, quae probari his voluit scriptor „*quare nolite dubitare*, *quin huic uni credatis omnia* (quomodo enim, quod socios non vexabat Pompeius, ideo idoneus erat, qui omnia gereret in re publ.?), tum orta se produnt ex illis §. 13. *ut ii beatissimi esse videantur*, *apud*

quos ille diutissime commoratur. In his omnibus quid habes, quod ad rem, de qua dicendum h. l. fuit, ad obiectiones Hort. et Catuli, ullo modo pertineat? quid aliud, nisi recoctas ex superioribus atque aliis tantum verbis expressas sententias? quid denique, nisi unum illum iam c. 13. satis luculenter tractatum locum de temperantia Pompeii, declamatorio more amplificatum? ut iam affatim causae sit suspicioni rhetoris cuiusdam ingenio haec deberi, qui quum in hac Ciceronis imitatione sibi mirifice placeret, haec margini libri sui ascripserit. — Accedit 3) quod, tametsi non sine eleganti aliqua Ciceronis imitatione conscripta pleraque haec sunt, nonnulla tamen in eis occurrunt, quae aut affectatione quadam aut negligentia a latinitate summi oratoris abhorrere videantur. [Pauca quae hic Blochius operose collegit, omittenda putavi, quoniam, quae refutatione indigere videbantur, suo quaeque loco in verborum interpretatione expedita sunt.] Denique 4) si quae sequuntur spectamus, ea per ineptam interpolationem a praecedentibus, ad quae pertinent, divulsa esse apparet. Refutatis enim Hortensio Catuloque, quorum auctoritati nihil tribuendum esse docuit, alias orator commode adfert summorum virorum auctoritates, quibus, si auctoritatibus confirmanda haec causa sit, parendum potius esse demonstrat. Sequuntur enim c. 23, 68. haec: „*quodsi auctoritatibus* etc.," quae verbis §. 64. „*aliquando isti principes ... populi R. universi auctoritati parendum esse fateantur*" continuo subiicienda esse docet cum nexus et sententia loci, tum vel ipsa particula *quodsi*, quae ad rem diversi argumenti non commode potuit referri; et conclusio denique „*quare videte ... respondere posse videamur*," qua evidenter indicatur, quid demonstrandum sibi h. l. proposuerit orator. Omissis autem, quae moleste sunt interiecta, recto se omnia et perspicuo excipiunt ordine, nec amplius est, quod oratorem impatienter feramus de rebus iam dictis alieno loco et argumentis ne ad rem quidem pertinentibus disputantem." Non est is animo totam istam accusationem quam, utcunque re salva potui, contraxi, singulatim refellere; sufficiet demonstrasse, hanc amplificationem oratoriam, et verbis illam et sententiis ornatissimam, neque inepto loco neque sine causa ab oratore illatam esse. Ut enim in superiore confirmationis parte probare studuit, unum Pompeium propter eximiam virtutem imperatoriam dignissimum videri, qui bello Mithridatico praeficeretur, ita iam post confutationem, ea quae in variis orationis partibus de sociorum vexationibus conquestus est complectens, per formam egressionis ostendere conatur, eundem unum esse, quem populus sperare possit bellum ita administraturum esse, ut socii fere exhausti non iterum novis calamitatibus affligantur. In eam rem imprimis spectanda sunt verba §. 67. extr.: *quasi vero Pompeium non cum suis virtutibus, tum alienis vitiis magnum esse videamus.* Continet enim tota amplificatio quasi argumentum negativum, cur Pomp.

praeficiendus videatur. Suis virtutibus omnium dignissimus existimandus est: aliorum vitiis fit, ut idem solus idoneus videatur, cui bellum Asiaticum, quod in regionibus longa bellorum serie exhaustis administrandum sit, committi possit. Hac orationis conformatione Tullius proprium sibi argumentum contra Hortensii et Catuli sententias comparavit: ut enim vera videantur, quae adversarii contra dixerint, tamen propterea ista non audienda esse, quod imperator deligendus sit, qui non tantum suis virtutibus excellat, sed etiam communibus aliorum vitiis careat. Sic aptissime concluditur prima pars confutationis, quae bipartita est, cum in priore parte adversariorum sententiae argumentis, in posteriore (§. 68.) contrariis virorum clarissimorum auctoritatibus refellantur. Quodsi interroges, cur orator hanc confirmationem ita in oratione collocarit, ut nullam in disponendo rationem secutus esse videatur, pro nobis respondeant artium scriptores. Docet enim Auctor ad Herennium II. c. 9. duo esse genera dispositionum, unum ab institutione artis profectum, alterum ad casum temporis accommodatum. Praeter dispositionem ab arte profectam *alia est*, inquit, *quae cum ab ordine artificioso secedendum est, oratoris iudicio ad tempus accommodatur, ut si* etc., *quorum nihil, nisi causa postulet, fieri oportebit*, et deinde: *His commutationibus et translationibus partium saepe uti necesse est, cum ipsa res artificiosam dispositionem artificiose commutare cogit.* Maxime autem huc pertinent quae praecipit §. 18: *In confirmatione et confutatione argumentationum dispositiones huiusmodi convenit habere: firmissimas argumentationes in primis et in postremis causae partibus collocare: mediocres ... interponi et in medio collocari oportet ... Et quoniam nuperrime dictum facillime* [sic pro *facile* corrigendum est] *memoriae mandatur, utile est, cum dicere desinamus, recentem aliquam relinquere in animis auditorum bene firmam argumentationem. Haec dispositio locorum, tamquam instructio militum* [cf. Xenoph. Mem. III, 1, 8.], *facillime in dicendo, sicut illa in pugnando, parare poterit victoriam.* Hac autem ad tempus accommodata dispositione propterea oratori utendum erat, quod non poterat non intelligere, quam infirma esset tota pars confutationis; quamobrem eam conclusit firmissima aliqua argumentatione, quam recentem in animis auditorum relinqueret. Ob has causas equidem ita sentio, hanc orationis partem, quam alii ineptam et ingenio Tulliano prorsus indignam iudicarunt, eximio quodam artificio ab oratore compositam videri.

magnae et multae] „Sic Erf., utique contra veri Ciceronis usum; cf. §. 23." Orelli. Vereor ut hoc cupidius dictum sit. Equidem in hac verborum collocatione, quam etiam Pal. IX. exhibet, propterea non offendo, praesertim cum adiectiva suo substantivo subiecta sint, quod maius est, si *magnae*, quam si *multae* quoque animi virtutes requiri dicuntur. In vulgari verborum ordine vertendum esset: *viele große*

Vorzüge; in hoc singulari: *groſse und zahlreiche V.*, ut utriusque adiectivi vis commode exprimatur. Ex Cicerone ipso simile exemplum nunc quidem mihi non praesto est, sed dixit aequalis eius, Auctor ad Herenn. II. §. 37: *homines magnis et multis incommodis conflictantur propter immensam pecuniae cupiditatem.*

difficile est in Asia] quam Cic. ad Q. Fr. I, 1, 19. *provinciam corruptricem*, Tacitus in Agr. 6. *divitem ac paratam peccantibus* appellat.

in Asia, Cilicia, Syria] Aliquot codd. deteriores *Lycia* post *Cilicia* addunt. „Quis hic locus esse potest *Lyciae*, regiunculae nullius momenti, inter *Syriam* et *Ciliciam*, potentissimas et opulentissimas regiones? Omnino haec *Lycia* nobis ex *Cilicia* nata est." MODIUS ep. 32.

regnisque interiorum nationum] „*Interiores nationes* sunt intimae Asiae incolae [proprie: ab ore maritimo remoti]. Auctor Declamationis in Sallustium dixit: *hoc Africam interiorem obtinente.*" MODIUS. Graevius comparavit Pomponii Melae lib. I. c. 8. *interiores etiam incultius* (scil. agunt), et I, 4. *intra, si credere libet, vix iam homines.*

nostrum imperatorem] „Enallage pro *nostros imperatores.*" HOT. At v. adn. ad §. 26. extr. p. 146.

nihil aliud nisi] Sic Erf., Pal. IX., Teg.; in reliquis est: *nihil aliud quam.* Recte ait G. T. A. Kruegerus in Comment. de formulae *nihil aliud facere quam* vel *nisi* cognatarumque usu tam pleno quam elliptico (Brunsvigae 1838. 4.) pag. 10. not. 1: „Lectio *nihil aliud nisi* sine dubio praeferenda est, ut sit: *ut de nulla alia re, praeterquam de hoc uno, de hoste ac de laude, cogitet.*" Add. Hand. Tursell. IV. p. 244 sq. Immerito Benecke lectionem reliquorum codd. praetulit, non cogitans in tali re vel unum codicem bonae notae solum audiendum esse. Quam proni enim librarii fuerint ad particulam *quam* post *nihil aliud* inculcandam, insigni est documento scriptura memorabilis in libris deterioribus or. Verr. IV. §. 63., ubi v. Zumpt. p. 714.; neque alia est ratio loci Cic. de Legg. I. §. 25., quo, quamvis sit corruptus, et Kruegerus et Handius testimonio utuntur. Quod enim ibi vulgo legitur: *est autem virtus nihil aliud quam in se perfecta et ad summum perducta natura*, Bake ex vestigiis codicum egregie sic emendavit: *nihil aliud nisi* (ex *in se*) *perfecta* etc.

propter multitudinem cupidorum hominum] „Quales enim plerique sunt, tales esse omnes existimantur." HOT. „*cupidorum*, i. e. avarorum. Hoc sensu noster *cupidus* dixit in Parad. VI. c. 3. *non esse cupidum pecunia est*; p. Sest. c. 43. *homo castus ac non cupidus*; ad Fam. IV, 14, 2. etc." HEUM.

§. 65. *quanto in odio simus*] Idem de eadem Asia et Cilicia et Syria confirmat Cicero, Ciliciae proconsul, in ep. ad Senatum XV, 1: *Sociorum auxilia propter acerbitatem atque iniurias imperii nostri aut ita imbecilla sunt, ut non multum nos iuvare possint, aut ita alienata a nobis,*

ut neque exspectandum ab iis neque committendum iis quidquam esse videatur. Cf. in Verr. I, 32. Steinm.

per hos annos] Libri deteriores *hoc anno*. „Loquitur Cic. non de uno illo anno, sed de aliquam multis proxime praeteritis." Modius. Cf. supra §. 13.

et copiosae] Sic scripsi ex Teg., Pal. IX. aliisque aliquot libris (v. adnot. crit.) pro vulg. *ac copiosae*, quoniam certum est Tullium *ac* ante literam *c* rarissime posuisse; v. Haas. ad Reis. Schol. L. L. p. 416. not. 409. et Osann. ad Cic. de Rep. p. 464. Paulo ante pro *ac munitam* in Tegerns. legitur: *aut munitam*, quae lectio haud scio an Pal. IX. scriptura *et munitam* confirmetur.

quibus causa belli ... inferatur] „i. e. quibus occasione aliqua quaesita bellum inferatur." Lenic. Perperam explicuit Hotomanus: „quae bello lacessantur et quibus detur occasio belli adversus nos excitandi, ut postea fenestram apertam habeant ad eas urbes utpote hostiles diripiendas." Immo valet *alicui causam belli inferre*, quod nos dicimus: *gegen einen den Grund zu einem Kriege geltend machen* sive *einen Kriegsgrund aufsuchen*. Apte comparavit Benecke Phaedr. fab. I, 1, 4., ubi lupus agnum devorare cupiens *iurgii causam intulisse* dicitur. Sed alienum est alterum exemplum ex Auct. de B. Hisp. c. 1. *aliqua ei inferebatur causa*, ubi *causam inferre* idem est quod *crimen* s. *accusationem inferre*, de qua locutione v. Dirksenii Manuale s. v. *inferre* §. 8.

propter diripiendi cupiditatem] „Habent veteres libri [scil. Colon.] *propter dirip. facultatem*, quod non videtur reiiciendum. Sic infra §. 69. *de perficiendi facultate.*" Modius ep. 32. Recte editores unius codicis auctoritati non obtemperaverunt. Atque apparet, si vv. *quibus causa belli inferatur* recte intelliguntur, hanc lectionem vulgata non posse non deteriorem haberi.

§. 66. *Libenter haec coram ... disputarem*] i. e. privatim: „nam nomina ipsa hominum cupidorum et eorum facta iis proderem eosque ad causam Pompeii defendendam adducerem. — *disputarem*, sermone pertractarem, plane persequerer; eos enim haberem assentientes." Weiske.

non modo imperatoris ... sed unius tribuni] Prave explicuit Tischer ad Cic. de Senect. §. 1: *die Städte Asiens sind nicht nur eines Imper., sondern sogar eines Tribunen Wünsche zu befriedigen unfähig.*" Immo valet *non modo* idem quod est *non dicam*; v. Hand. Turs. IV. p. 283 sqq.

CAPUT XXIII.

§. 66. *Qui se a pecuniis sociorum*] „Mirum est neminem editorum animadvertisse, pronomen *se*, cum *manus*, *oculos*, *animum* sequatur, plane supervacaneum esse atque ineptissimum, nisi forte cuipiam videtur

quaedam oppositio statuenda. Veri autem simillimum est pronomen illud inculcatum ab iis esse, qui orationis exitu non exspectato ex notissima elocutione *se cohibere*, *se continere* hoc quoque loco illud in initio enuntiati desiderarent." Ex BEN. Quod Beneckę neminem vidisse putavit, iam dudum ante eum Heumannus fecerat; iis auctoribus Madv. in edit. alt. *se* delevit; nec tamen res adeo certa videtur, ut nullus dubitandi locus relictus sit. Poterat enim orator in primo membro pronomen ponere, et deinde in extremo alia forma idem per partes suas digestum iterum referre. Quod si factum sit, habemus in oratione anacoluthon, quod rhetoricum appellare possis.

qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum] Hoc incisum ex solo Colon. accessit, recteque a plerisque editoribus receptum est, quamquam Beneckeo verba quae antecedunt §. 65. „*quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum?*" facile ansam interpolandi dedisse et Verrinae verba commodasse videntur, in quibus (IV. c. 17.) legitur: *Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas.* Equidem iam propterea hoc additamentum in dubium vocare nolim, quod quo plura sunt membra relativa, eo facilius pron. *se*, quod omnes libri tuentur, tolerari potest.

manus, oculos, animum cohibere] „Cf. in Verr. IV, 45. *Hisne rebus manus afferre non dubitasti .... a quibus etiam oculos cohibere te religionum iura cogebant?* Hotom. laudat illud Periclis dictum apud Cic. de Off. I. c. 40. *At enim praetorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere.*" STEINM.

§. 67. *pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam esse locupletem, quae istis pacata esse vid.?*] v. supra ad §. 31. p. 156.

ora maritima] Prosopopoeia pro: incolae orae maritimae.

videbat enim praetores locupletari quot annis pecunia publica praeter paucos] Sic nunc scribitur ex codd. bonae familiae, quam lectionem iam et Manutius acute coniectura assecutus erat, et Nic. Agricola, ut ex eius commentario coniicio, in editione sua (Norimb. 1550. 8vo.) habuisse videtur. Post Gruterum et Heumannum eam iterum commendavit Madvigius in Praef. oratt. sel. (Opusc. p. 132 sq.), sic disputans: „Restitui eam lectionem, quam ceteri recentiores ex imperita notarum confusione ortam putant. Edunt autem: *Videbat enim* (ora maritima) *populum Romanum non locupletari quotannis pecunia publ. praeter paucos, neque nos quidquam aliud assequi classium nomine* etc. Reditus publicos interversos significari putant. At, ne quid dicam de locutione *populum R. non locupletari praeter paucos*, quid non recti ora illa videbat? Populum enim locupletandum vectigalibus, et quotannis locupletandum, quis putavit? ne pauci quidem debebant. Omnino autem vectigalia non populo, sed publicanis solvebantur; hi quod aerario debebant, intervertere non poterant. Deinde autem vectigalia, quae

solvuntur a provinciis, pecuniae publicae nomine nusquam sunt appellata; ea est, quae in aerario est et inde erogatur in publicas impensas, eamque hic intelligi ostendunt proxima. Pecuniam enim publicam ad classes tuendas sociosque defendendos datam interverti verba significant. Atqui haec certe pecunia locupletare populum non debebat nec poterat. Itaque verissima est lectio optt. codicum: *videbat enim praetores locupletari* etc. Iam patet, quo illud *quot annis* pertineat, singulaque verba recte dicuntur. Nihil autem magis hoc verum esse ostendit, quam quod particula negans, in falsa lectione necessaria, non solum in optimis codd. abest, sed in deteriorum quoque nonnullis, ut in 2 Oxonn.; in Hauniensi in margine suppleta est." Veriora haec sunt, quam quod Garat. in Cur. sec. suspicatus est, locum ex optt. librorum vestigiis sic restituendum esse: *Videbamus praetores locupletari quotannis pecunia publica, praeterea paucos: neque nos* etc. coll. Sall. Iug. 41, 7. *praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant.* Post Madvigium Benecke, qui superiorum interpretum explicationes et conatus p. 313—318. collegit, et R. Klotz in Praef. I. p. LVI sq. similibus argumentis comprobarunt lectionem optimorum librorum unice veram esse. Badenii autem argumenta contraria (v. Iahn. Tabul. philol. II. p. 347 sq.) refellere operae non est pretium.

praeter paucos] „Garatonius ait: quid illa hic adest exceptio, *praeter paucos*, cum aperte ad M. Antonium haec spectent aliosque, qui per eos annos adversus piratas male rem gesserunt? Non enim Tullium id agere, ut nonnullos duces defendat, sed potius ut doceat unum Pompeium sanctissimum esse hominem. At non video, cur excipere paucos Tullius non potuerit. An causae suae melius consuluisset, si praeter unum Pompeium neminem integrum esse dixisset? Quid quod Servilius, vir clarissimus, aderat, qui piratas non incruenta victoria fuderat, de quo honorificentissime iudicat in Verr. III, 90, 211." Ex Ben.

quot annis] „Disiuncte scribi *quot annis* in omnibus, quos viderit, Mss. (vidit autem plurimos et vetustissimos) testatur Pierius Valerian. ad Virg. Ecl. I, 43. disiuncteque dant h. l. profecto ambae veteres Venetae, quod in aliis etiam eiusdem aevi editt. auctorum vett. obvium est. Vide Noris. Cenot. Pis. IV, 2. §. 2." Gar. Testatur Benecke sic h. l. omnes Monacenses scriptum exhibere; cf. Wagneri Orthogr. Vergil. p. 468. Scriptura quoque Tegerns. *quod annis* saepius invenitur in Inscriptionibus, ut in Cenot. Pis. v. 19. ed. Or. I. p. 162. v. Wagn. l. c. p. 428.

neque eos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut ... videremur] „Non recte editur *eos* pro *nos*; *assequi* enim nunquam est, ut vertit Klotz., *erwirken* (perficere aliquid pro alio), sed *erreichen* (ipsum labore aliave re consequi), rectissimeque populus, qui erogata classium

nomine pecunia tamen nihil nisi detrimentorum a praetoribus acceptorum turpitudinem assequebatur, praetoribus opponitur, qui interversa illa pecunia ipsi magnum lucrum faciebant." Wesenberg. Observv. critt. in Sestianam pag. 10. not. 1. At non video quid obstet verba ita interpretari: Praetores classium nomine, i. e. cum classium ductores se ferant*), non assequuntur, ut populo R. sua dignitas sociisque salus restituatur, sed ut maiore turpitudine afficiamur (*sie erreichen nichts anderes als Schande für uns*, cuius sententiae similis est illa p. Sest. §. 114. *nec quidquam illis comitiis, quod boni viri vellent, nisi repulsam tulit*). Cf. p. Rosc. Am. §. 95. *qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur.*

quibus iacturis et quibus conditionibus] „*Iacturae* sunt largitiones, pecuniae datae, pronuntiati per tribus nummi, aut, ut ipse supra 13, 37. dixit, divisi magistratibus et hominibus gratiosis, quorum suffragatione potestates et provincias acceperant. *Conditiones* autem sunt pactiones cautionibus et syngraphis factae, promissa pecunia vel gratia; v. Suet. Caes. c. 23. Sic vocab. *conditio* saepe Ciceroni accipitur, ut in Verr. Act. I. §. 16. *ut primum e provincia rediit, redemptio est huius iudicii facta grandi pecunia; ea mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum iudices reiecti sunt.*" I. F. Gronovius de Pec. Vet. IV, 4. p. 286. Apte comparavit Steinmetz Cic. fragm. or. in Clod. 2, 2. *creditoribus suis spem ostentare provinciae videtur*; et 3: *augent magnum quendam cumulum aeris alieni*, ubi ait Schol.: *quod non posset nisi omnium provinciarum spoliatione dissolvi.* Ceterum dedi cum Erf., Pal. IX. et Teg. *et quibus cond.* (in rell. deest copula), cum nullam causam videam, cur haec lectio respuatur.

cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis] Eadem causa Agricolae infesta erat, de quo Tacitus in eius vita c. 41: *sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.*

magnum esse videamus] „Monendi causa scripsi maiuscula littera *Magnum*, quia graviore sono Tullius id pronuntiavit, de cognomine, quod illi Sulla dederat, significans." Weiske. Etsi recte monuit Weiske cognomen illud significari, tamen sententia ipsa vetat, ne *Magnus* scribatur. De tempore autem, ex quo Pompeius *Magnus* vocari coeperat, v. Drum. IV. p. 335 sqq. et Bak. ad Cic. Legg. p. 469.

§. 68. *qui inter tot annos unus inventus sit*] Graevio placet Schotti coniectura [Nod. Ciceron. I. c. 3.] *inter tot*, scil. *imperatores.* Sed et ipsum *inter tot* nimis abruptum est et ellipsis durior. *Inter tot annos*

---

*) Alii vv. *classium nomine* (in Pal. IX. est: *nomine classium*) sic interpretantur: sub titulo classium, i. e. cum praetores classes, quas re vera non habebant, sese habere simularent.

est *per tot annos*, quod est et in or. p. Quint. 14, 46: *qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium*; nec esse debet Latinis auribus insolens, ut Graevio visum est." Edn. Scrupulos a Beneckeo iniectos disiecerunt L. de Ian l. c. p. 78. et Fr. Haud, qui in Turs. III. p. 404. monuit: „Quae Beneck. de h. l. disseruit, falsa argumentatione laborant: nam nulla omnino ratio obstat, quo minus recte dicam *inter tot annos unum P. inventum esse, quem venisse gaudeant*: nam coniunguntur verba *inter tot annos unus*: *der einzige in so vielen Jahren*."

bellorum omnium] i. e. omnis generis; v. supra 10, 28.

P. Servilius] P. Servilius Vatia Isauricus cons. a. 79. a. Chr., proconsul Isauros in Cilicia domuit; de rebus ab eo contra praedones gestis v. Drum. IV. p. 696. — C. Scribonius Curio cons. 76. a. Chr., qui proconsul Macedoniae de Thracibus et Dardanis triumphavit. — Cn. Cornelius Lentulus Clodianus cons. 72. a. Chr., qui Pompeio legatus in bello maritimo fuit; de eo v. Drum. II. p. 546 sq. — C. Cassius Varus cons. 73. a. Chr.

summis vestris beneficiis ... praeditus] Lambinus scripsit *beneficiis usus*, Gruterus coniecit *summis vestris beneficiis maximus*, *maximus rebus gestis* ex scriptura Colonienses *s. v. beneficiis maximus rebus gestis*; contra Benecke ait se libenter participio *praeditus* carere, cum haud raro homines interpretantes hoc ablativi usu non perspecto tale participium aut simile inculcarint; v. Klotz. ad Lael. p. 168 sq. At cum in omnibus codd. *praeditus* inveniatur (v. supra §. 51.), id eiicere non minus violentum foret, quam si quis cum Lambino et Grutero aliquid in priore parte sententiae immutare vellet. Illud dubium videtur, utrum priores duo ablativi absoluti sint an et ipsi a participio *praeditus* suspensi. Mihi posterior ratio vera videtur, quoniam orationis concinnitas prohibet, quominus duplex verborum structura in eodem inciso statuatur. Quamquam enim insolens esset, si quem *maximis rebus gestis praeditum* diceres, tamen ceteris ablativis adiunctis ita dicere oratori licuisse pro certo habemus, modo cogites *praeditus* latiore sensu pro *ornatus* dictum esse.

videte, ut horum auctoritatibus ... respondere posse videamur] „Magnopere hic locus editores torsit ac plerique non dubitarunt, quin corruptus esset. Permirum est autem, quomodo Schuetz., Matth. et Orell. scripturam vett. editionum *videte num* retinere potuerint, quae, ut ipsi senserunt, a sententia huius loci prorsus aliena est. Neque magis probanda est Orellii coniectura: *videte horumne*: eiusmodi interrogationi nullus hic locus. [?] Quod vero viri docti in scriptura optimorum [et fere omnium] librorum *videte ut* haeserunt, vereor ne hanc dicendi formulam non recte ceperint. Nam manifestum est Tullium hoc dicere: His vobis auctoribus nominatis vestrum est curare, ut illorum orationi respondere possimus; nam quo magis adversarii huius causae verendum

esse putant, ne non respondere suae orationi auctoritatibus possimus, eo magis vobis curandum est, ut hoc posse videamur." Ex Ben. Similiter iudicavit Klotzius in Praef. p. LVIII., qui verba sic vertit: *Defshalb sehet zu*, d. h. *setzt uns in den Stand, dafs wir mit dem Gutachten dieser Männer der Rede jener ... entgegentreten zu können erwarten dürfen.* Nec tamen persuasit Madvigio, qui in edit. II. oratt. sell. Orellii coniecturam, quam ille in edit. maiore proposuerat, sed in minore a. 1837. ne commemoravit quidem, recipiendam putavit: *videte horumne auctorit.* etc. Equidem nullam causam video, cur lectio librorum optt. deseratur. Si enim oratorem sic putidius locutum esse dicas, id studio eius populi auribus blandiendi condonandum erit. Videte, inquit, et curate, ut respondere posse videamur (*dafs wir uns schmeicheln dürfen entsprechen zu können* etc. v. Seyff. ad Lael. p. 80 et 111.); hoc autem tum facietis, si vestra auctoritas ad horum auctoritates accesserit.

CAPUT XXIV.

§. 69. *Auctore populo Ro.*] Ita loquitur, quasi populus iam sententiam tulerit; cf. supra c. 22. in., quod utique ei licuit, cum populus tanto studio rogationi Maniliae obsecundaret, ut Tullius oratione sua suasoria omnino supersedere posset; v. Prolegg. p. 23. n. 22. et Drum. IV. p. 418 sq.

satis esse animi] in Pal. IX. est: *s. animi esse.*

animi perseverantiaeque] Codd. deteriores: *animi constantiaeque.* „Hanc lectionem ita defendit Heumannus, ut alteram illam ex interpretamento esse enatam adfirmet eoque inepto. Nam *constantiam* h. l. non esse idem quod *perseverantiam*, sed *fortitudinem* et animi magnitudinem. Verum ut *animus* opponitur *minis* et *vi*, ita *perseverantia* refertur multo melius ad verba: *maneas in sententia.*" Beck.

cum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videamus, quantam iterum nunc in eodem homine praeficiendo videmus] Codd. deteriores: *quantam non iterum ... vidimus* vel *videremus.* „Col. *nunc iterum ... videmus. Nunc iterum* dicit propter illud tempus, quo eidem Pompeio bellum piraticum mandatum est." Modius. „Hittorp. codex rectam servavit nobis lectionem, suffragante Erf., cuius vestigia in Dresd. quoque deprehenduntur, in quo *non* perperam quidem scribitur, sed *videmus* pro *vidimus* recte legitur. Quid est Latinis *non iterum vidimus*? Si hoc voluisset, quod id significare putant, Cic. scripsisset: *quantam numquam antea in eodem homine praeficiendo vidimus.* Ceterum in Franciano II. haec omnia vv. non leguntur et fort. rectius absunt. Nam *praeficiendo* non addita re, cui praeficiatur, Tullius numquam posuit, nec alii, credo, Latine docti." E Graev. „In priore parte enuntiationis

necessario legendum est: *cum t. multitudinem ... adesse videmus.* Vult enim C. hoc dicere: Si tanta multitudo, ut videmus, tanto studio adest, quantam nunc iterum in eodem homine praef. adesse videmus, quid est quod etc. Qua quidem sententia omnis grammatica ratio indicativum, quem Erf. habet, poni efflagitat. Verissima est enim Wunderi ad Planc. p. 101. observatio, particulam *cum*, quoties *eo quod* significat, indicativum adscisere. Cf. p. Planc. §. 78. *Atqui haec cum vides, quo me tandem in te animo putas esse?* p. Rosc. Am. §. 58. *cum hoc modo accusas, Eruci, nonne hoc palam dicis* etc. Iam vero confirmata hac Erf. scriptura continuo apparet in verbis sqq. ex eodem cod. rectissime legi: *quantam nunc iterum* [ex Freundio nunc scimus in Erf. esse: *iterum nunc*; Pal. IX. ex compendio male intellecto mendose habet: *iterum in me*] *in eodem homine praef. videmus* tantumque abesse, ut haec vv. vel uncis includi debeant, id quod Matth. fecit, vel prorsus omitti possint, quod Graev. rectius putavit, ut ad sententiae integritatem vel maxime necessaria videantur. Nam quod in usu absoluto verbi *praeficere* offendit, Moebius iam comparavit p. Sest. 18, 41. et or. p. domo 53, 136." Ex Ben. „Miror Beneck. comprobasse hanc sententiam: si tanta mult., ut videmus, tanto studio adest, quantam nunc iterum ... adesse videmus, quid est quod etc., nec sensisse, quam inepte Cic. locutus esset, nec animadvertisse prima in parte sententiae recte se habere coniunctivum *videamus*. Cohaerent verba *iterum in eodem homine*, et scripsit Cicero: *quantam non iterum in eodem homine praef. vidimus*, i. e. *wie grofs wir sie bei einer wiederholten Ernennung nicht gesehen haben.*" Hand in Turs. III. p. 526. Eadem fuerat sententia Heumanni, qui locum ita explicuit: „sentit Cic. tantam nunc adesse multitudinem, quanta nunquam antea adfuerit, cum aliquis iterum praeficiendus fuerit bello. Cave enim putes *eodem homine* designari Pompeium." At recte iam Beckius monuit tum scribendum fuisse: *quantam numquam in eodem homine iterum praeficiendo vidimus.* Quod autem Handius negat *cum videmus* hic admitti posse, mea quoque sententia est (v. nunc impr. Madv. ad Cic. de Finn. p. 24 sq. et O. T. Keilii Quaestt. Tull. spec. II. p. XI sqq. Liegnitz. 1846. 4.) et malim, si quid illi scripturae Erf., Teg. Palatinique IX. dandum est, tum ex coniectura *quoniam ... videmus* scribere, quam lectionem relinquere, in qua verendum est ne soloecismo oratio deformetur. Quod autem ad totam sententiam attinet, negare ego quidem noluerim, Tullium ita dicere potuisse, sed facere non possum quin fatear mihi quoque in tota sententia nescio quam iniucunditatem redundantiamque molestam videri inesse. Quare non possum non acute excogitatum putare, quod Garatoni margini editionis ascripsit: „*quantum ... videmus* omittit Teg.; neque aliqua non est redundantia. Fort. fuit: *quum tantam multit. tanto studio nunc iterum in eodem homine praeficiendo adesse videamus* etc. Fuit qui *tantam* putaret *quantam*

poscere: tum *videmus* addere oportuit. Quibus duabus eiectis vocibus, quae in ipso codice absunt, sanus emergit locus. Illud miror, quum apud Modium ep. 32. *tanto studio* sine *cum* Colon. habeat, neminem animadvertisse."

de re] de tanto viro deligendo; *de perficiendi facultate*, cum e summa populi R. frequentia summoque studio, quid de promulgata lege sentiat, facile cognoscatur." Man. De gerundio autem, quod in genitivo casu haud raro in substantivi notionem transit, v. Madv. ad Cic. de Finn. p. 130. Ellendt. Expl. ad Cic. de Orat. p. 202. Weissenb. in Diar. Antiq. 1843. p. 359.

hoc beneficio populi R. atque hac potestate praetoria] De hoc usu particulae *atque*, quae vim habet explicandi, v. Hand. Turs. I. p. 465. Ben. Est frequentissima illa coniunctio, qua prius membrum generalius altero magis proprio accuratius explicatur; v. Madv. ad Cic. de Finn. p. 75. Seyff. ad Lael. p. 151. et nos ad Sullanam p. 52.

polliceor ac defero] ut ad Fam. VI, 6, 13. (quem locum Heum. comparavit): *tibi ... studium, officium, operam, laborem meum iampridem et pollicitus sum et detuli.*

§. 70. *qui huic loco temploque praesident*] multa enim circum forum templa, Iovis, Castoris, Concordiae, alia. Et vocat Rostra templum, ut p. Sest. 29, 62. [ubi v. Manut.] in Vat. 10, 24. Man. Saepe autem voc. *locum* ornandi causa *templo* similibusque vocabulis additum invenimus; v. adn. ad or. Vatin. p. 80.

neque rogatu facere cuiusquam] „Pompeii absentis aut eius amicorum. Cf. in Rull. II, 18, 49." Man. v. Prolegg. pag. 21.

neque quo etc.] Debebat sequi *sed quod hoc reip. utilissimum esse confido.* Sed commutavit constructionem §. 71., ut p. Quinct. 3, 11. de Orat. II, 18, 74., ubi v. Muell. E Matth.

neque quo mihi ... aut praesidia periculis aut adiumenta honoribus quaeram] i. e. ut explicuit Wesenberg in Observv. ad Cic. Sest. p. 51. „quo quaeram mihi, quae ad pericula praesidia sint, ad honores adiumenta." Cf. editionem meam Sestianae p. 273. et Madv. Gramm. §. 241. not. 2.

ut hominem praestare oportet] quatenus praestare homo debet innocentiae praesidio. Man. Immo ait Cicero: ut hominem praestare decet, quod sit totum in potestate deorum; cf. §. 47.

honorem autem] „Vix dubitandi locus relinquitur, quin scriptura *honores* ab solo ingenio Naugerii profecta sit, qui, cum vv. *adiumenta honoribus* praecedant, istam correctionem necessariam esse putaverit. Quod autem editores consulatum hic Tullium respicere putant, id quidem omnino est verum, falsum est autem, si hoc certa etiam voce indicare eum voluisse opinantur. Ita enim utique dicendum erat *honores*, aut addito adiectivo vel pronomine etiam *honorem* poterat dici:

quod bene sensit Ernestius. Revocanda igitur scriptura *honorem*, i. e. delationem praemii virtutis, de qua huius vocis significatione v. Wund. ad Planc. p. 59. Quemadmodum Tullius ante voce *honoribus* usus diserte consulatum significaverat, ita nunc vocabulo utitur abstracto, cum quidem honore ipsi honores contineantur." EX BEN. Graevium recte ex Erf. *honorem*, ut item in Pal. IX. scribitur, enotasse nunc Freundii testimonio confirmatum est.

neque ab uno neque ex hoc loco] neque Pompeii gratia, neque hic in rostris vestris voluntatibus obsecundando: in extrema tamen oratione aperte confitetur se propter voluntatem populi R. rogationem Manilian suasisse.

§. 71. *mihi susceptum est*] v. Madv. ad Cic. de Finn. p. 27. et Fr. Schneider. in Iahn. Ann. N. Vol. 43. p. 393 sq.

id ego omne me reip.] *id ego omne* in Erf. et Pal. IX. solis legitur; reliqui codd. *ego* aut post *omne* ponunt aut plane omittunt Contra abest a Pal. IX. *me*, qua in re conspirat cum cod. Tegerns. Haud scio an Cic. scripserit: *id ego me omne* etc.

rei publ. causa suscepisse] „Cicero legt dem Begriffe Nutzen des Staates hier eine andere Bedeutung unter, als in der ihn die Senatoren gefafst hatten. Er fafst immer nur den nächsten Zweck, die glückliche Beendigung des Krieges, auf, und glaubt also den Nutzen des Staates durch Sicherung seines äufseren Ansehens besorgt; jene blicken weiter, und finden den Nutzen des Staates in der Feststellung seiner Grundlagen." HAUN p. 22.

bonam gratiam] Sic p. Mur. 20, 42: *Sed tamen L. Murenae provincia multas bonas gratias cum optima existimatione attulit.*

vobis non inutiles] quippe pro re publ. et populi commodis susceptas, ut ait C. Cotta consul in orat. apud Sallustium: *avidissimus privatae gratiae maximas inimicitias pro re publ. suscepi.* Add. Cic. in Verr. V, 70. Tac. Ann. III, 54. extr. IV, 38. etc. Poterat autem Tullius invidiam sibi imminentem minuere, si optimates mollius in oratione tractasset; v. Drum. IV. p. 420 — 427.

rationibus] Latius patet, quam *commodis*; omnes enim res dicit, quae ad ipsum pertineant. MAN.

praeferre oportere] si gratus erga vos, si bonus in re publ. civis esse volo. MAN.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Ab praepositio participio in *dus* addita 126. nominibus urbium addita 157.
ab dis 183.
abesse prope 115.
ablativus temporalis in *adventu* et similibus 129.
ac = atque adeo 188. *ac* ante litteram c 212.
Achaia provincia a Graecia distincta 164.
ad = quod attinet ad 85. *ad* cum gerundio a substantivo pendens 92. *ad ipsum discrimen* 178.
adesse prope et *propter* 115.
adiectiva diversi gradus num Cicero iunxerit 128. adiectivorum collocatio adiuncta praepositione 113. 121.
aditus pluraliter 173. *aditus adventusque* 131.
admurmuratio populi 170.
adornare aliqua re 165.
adventicium auxilium 139.
adventus pluraliter 111.
aetas senatoria 201.
agere cum populo 85. *agere* absolute 99. *agitur de aliqua re* et *aliqua res* 93.
aliquis et *ullus* 167.
alter — *alter* cum plurali verbi 92.
anacoluthon 119. 213.
anne 192.
ante et *antea* 118.
antiptosis 65.
M.' Aquilius 107.
Ariobarzanes, rex Cappadoc. 93. 109.
artes 166.
ascendere et *escendere* 190.
ascribi socium 197.
Atheniensium imperium maritimum 187.
atque = *und zwar* 90.
attingere et *contingere* confusa 86.
attractionis species 92. 161.
auctoritates 185. *auctoritas loci* 86.
bellum piraticum quo tempore confectum sit 165.
bini et *uni* confusum 102.
Bithynia, provincia Romana 93.
Bosporus Cimmerius 101.
Brundisium et *Brundusium* 157.
capta atque oppressa classis 160.
Carthaginiensis et *Carthaginensis* 188.
caste 88.
causa = res de qua agitur 94. *causa vera* 187.
ccusam belli inferre 212.
ccnsere et *ducere* confusa 90.
certa vectigalia 94.
certe quidem 122.
clausum mare 157.
cogi omissum 155.
cognoscere, ubi perfectum exspectatur 184. *cognovistis* et *cognostis* 174.
colligere se de copiis 140.
Comana 138.
comitiorum dilatio 88.
commutationis figura 156.
comparandi forma liberior 162.
concelebrare 203.
concipere et *suscipere maculam* 95.
conditiones = pacta 215.
confecti stipendiis 144.

conferre et *deferre* 183.
conficere provinciam 149. *conf. exercitum* 201.
coniunctivus et indicativus in interrogatione 184. post sententiam relativam 112. post *postea quam* 99.
coniunctus cum re publica 125.
consequi re et *in re* 90.
consilium = rei publ. peritia 173.
conspectus vester 85.
consulatuum iteratio 200.
contemnere = non metuere 175.
Corinthus lumen Graeciae 107. eversae causa 106.
cum cum indicativo plusquamperfecti 123. cum indic. et coniunct. 217.
cuncta Asia pro *in cuncta Asia* 109. (add p. Flacco §. 17.)
custodiae publicanorum 117.
Cyzicus 130.
dativus duplex 219. dativus p. ablativo cum praepos. *ab* 220.
de = quod attinet ad 104.
deferre et *conferre* 183.
Deli insulae emporium 189.
denotare 96.
devocare 172.
dicere et *agere* 85.
disciplinae 148.
discrimen temporis 178.
disiunctionis figura 182.
dispersa collectio 134.
dispositionis orationis genera duo 210.
districtus et *distractus* confusa 103.
diversus de regione 102.
ducere et *censere* confusa 90. *duco aliquid esse* 120. *ducitur* aliquid = principium ducit 91.
e et *ex* 97.
εἶδος βίαιον λύσεων 198.
emergere translate 97.
erudire ad aliquid 150.
escendere et *ascendere* 190.
esse in potestatem 158.
et et *ex* confusa 97. *et* in distributione ita positum, ut alterum et non sequatur 119. *et* in extremo membro, si plura enuntiantur 181. *et* in indignatione 175.
euphemismus 197.
ex et *e* 97. *et* et *ex* confusa 97. *ex loco* et *in loco* confusa 174.
exercere et *exigere vectigalia* 115.
explicavi et *explicui* 153.
fama et *opinio* 175.
fides i. e. *Credit* 123.
fructui esse 118.
fuga et *timor* coniuncta 135.
futuri exacti forma 118.
generum et *gentium* confusa 174.
genitivi diversi generis ab uno substantivo pendentes 171. genitivus III. declinationis in *i* 129.
genus belli quid sit 94. *belli genus* = *bellum genere suo* 126.
gradus diversi adiectivorum coniuncti 127.
Graecia ab Achaia provincia distincta 164.
gratia bona 220.
gravis opinio 137.
Hercule et *Hercle* 188.
hi et *ii* confusa 190. 206.
hic et *ille* 124.
hoc dico = tantum dico, *nur so viel* 183.
homo Romanus, adolescens, similia 172.
honoris causa nominare 194. *honos* sensu peculiari 219.
hyperbole 166.
iacturae, i. e. largitiones 215.
idem iste 122. 180.
ii et *hi* conf. 190. 206.
ille et *hic* 124.
ille ipse et *ipse ille* 143.
imperfectum coniunctivi post *dixisse videor* 146.
de imperio dimicare 103.
impetus belli 162.
implicatus et *implicitus* 124.
in re = cum agitur res 192. *in potestatem esse* 158.
incumbere ad bellum 125.

indicativus et coniunctivus in interrogationibus 184. in sententia relativa 112.
infinitivus perfecti passivi cum *esse* et *fuisse* 128.
inflammari studio 130.
ingenium de dicendi facultate 167.
insidere translate 95.
insignia victoriae 98.
integre 88.
inter tot annos 215.
interiores nationes 211.
internicio s. *internecio*, *interitio*, *interemptio* confusa 154.
invenire = parare 172.
ipse quo casu ponatur, ubi pron. reflexivum adest 170. *ipse* pro *is ipse* 198.
is pleonastice post pron. relativum 161.
ita — ut 98.
iudicia magna 181.
labefacere et *labefactare* 124.
labor sensu abstracto 152.
lacessere bello 135.
legati ac litterae 101. legati a quibus creari soliti sint 192.
legibus solvi 204.
lex Villia annalis 205.
liberi de uno dictum 160.
locus amplus et ornatus 85.
locus templumque 219.
lucem adferre 161. 173.
lumen translate 107.
lux Asiae 98.
magnae pecuniae 121.
magnitudo belli 126.
membra iuncta per parataxim pro hypotaxi 87.
memoria antiquitatis 147.
metonymia 158.
metus ac terror 139.
Mithridatis nomen 92. Mithridates socer Tigranis 12 not. 4.
Mithridaticum bellum superius 95.
mixtum bellum 151.
multa et magna, *magna et multa* 210.
nam neque et *neque enim* confusa 122.
naviculator vox nullius auctoritatis 106.
navigat impetus belli poetice dictum 162.
ne dicam et *ut non dicam* 176.
nervi rei publicae 120.
nihil aliud quam et *nihil aliud nisi* 211.
non modo — sed 212.
nos et *vos* conf. 115.
noster et *vester* conf. 98. 105. 112. 142. 156.
noster imperator 146.
numerus diversus primae personae in eodem enuntiato 182.
nunc iam 154.
oblivio singulariter dictum 99.
opinio et fama coniuncta 175.
opinio gravis et vehemens 137.
opportunitas 184.
opprimere classem 160.
oratio et *ratio* conf. 186.
oratio directa post verbum *credendi* 123.
ordines 120.
ornamenta pacis 95.
ornare classem 101.
Ostia 160.
ostium Oceani 161.
partim = nonnulli 121. *partim* accusativus antiquus p. *partem* 144.
pecua 113.
persequi = ulcisci 108.
Perses quomodo declinetur 189.
pervadere rem et *per rem* 137.
piratae communes gentium hostes 176.
pleonasticum dicendi genus 104.
plusquamperfecti indicativus post *cum* 123.
Pompeius quando *Magnus* vocari coeperit 215. quando eques triumpharit 202. eius dicendi facultas 173.
portibus et *portubus* 117. 190.
positivus et superlativus coniunctus 127.
postea quam cum coniunctivo 99.

in potestatem esse 158.
praecipuum ius 195.
praedicatum ad appositum constructum 107.
praeditus latiore sensu dictum 216.
praepositio in terrae nomine omissa 163.
praeterprimus num quis dictus sit 89.
praetorum ius ad senatum referendi 195.
processus et *processio* 139.
prohibere re et *a re* 121.
pronominis possessivi collocatio 112.
propter adverbialiter 110. — *propter adesse* 115.
propugnacula imperii 156.
publicanorum genera 114.
putare diverso sensu in duabus sententiis accipiendum 167.
qua adverbium post pron. demonstrativum 134.
quidem certe 122.
quoniam dixi, formula transeundi 125.
quot annis disiunctim scribitur 214.
ratio et *oratio* conf. 186.
rationes 119. *rationes consiliorum* 199.
re et ratione exquirere veritatem 185.
refertus cum genitivo et cum ablativo 155.
regum maiestas apud gentes orientales 141.
relinquere hostem 92. *relinquere* = non persequi 108.
retardare a re 135.
reticentiae figura 199.
Rhodiorum gloria navalis 188.
salinarum vectigal 116.
saltus = pascua 117.
scriptura 114.
senatoria aetas 201.
sententiae bimembres contrarie positae 182.
si quid eo factum sit formula euphemismi 197.
silvae = pascua 117.
Sinopen et *Sinopam* 131.
solvi legibus 204.
stipendiis confectus 144.
studium atque odium coniuncta 130.
summa hiems 157.
suscipere poenam 96. *suscipere* et *concipere* maculam 95.
tantus etiam minuit rem 112.
tempora amicorum 87.
tentare et *lacessere* 135.
terror et *metus* 139.
θέσις 148.
Tigranes gener Mithridatis 12. not. 4.
tota in Asia et *tota Asia* 96.
traductionis figura 87.
transmittere = tribuere 87. *transmittere bellum ad aliquem* 175.
ullus et *aliquis* 167.
usque in 101.
ut non = *ohne daſs* 124. *ut non dicam* et *ne dicam* 176.
utilitas belli 113.
vectigal certum = vectig. stipendiarium 94.
vectigales ac socii 91.
vectigalia = terrae vectigales 91.
vectigalium genera 114.
vehemens opinio 137.
vester et *noster* confusa; cf. s. *noster*.
vetere et *veteri* 144.
videte formula cohortandi 125. *videre ut* 216. *esse videatur* clausula Tullio frequentata 146.

GOTHAE LITTERIS OFFICINAE DUCALIS ENGELHARDO-REYHERIANAE.